1a
6150

F. Fracti del Victoria

RELECTIONES

1ª
6150


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SALAMANCA


BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SALAMANCA

b 17368340



b17360340

REVERENDI



CVM PRIVILEGIO.

REVERENDI

Patris F. Frãciſci Victoriæ ordi. Præd. ſacrę Theologiæ profeſſoris eximij atq; in Salmãticenſi Academia quondam Chatedræ primarię moderatoris prælectoriſq; incõparabilis, Relectiones vndecim. Per R. P. præſentatum F. Alfonſum Muñoz eiuſdẽ ordi. à prodigioſis in numerabilibuſq; vitijs, quibus Boyeri, hoc eſt prima æditio, plena erat ſumma cura repurgatæ, atq; ad germana exemplaria integritati ac ſinceritati natiuæ reſtitutæ.

Quarum ſeriem verſa pagella indicabit.



SALMANTICÆ,
Apud Ioannem à Canoua.
M. D. LXV.
CVM PRIVILEGIO.

PRIMVS TOMVS

De
- Potestate Ecclesiæ, prior & posterior.
- Potestate Ciuili.
- Potestate Papæ & Concilij.
- Indis prior.
- Indis posterior, siue de iure belli.
- Matrimonio.

SECVNDVS TOMVS.

De
- Augmento charitatis.
- Temperantia.
- Homicidio.
- Simonia.
- Magia.
- Eo quod tenetur, veniens ad vsum rationis.

POR quanto por parte de vos Fray Alonso Muñoz presentado en santa Theologia, de la orden de sancto Domingo, nos ha sido fecha relacion que vos auia des compuesto vn libro intitulado Relectiones de Fray Francisco de Victoria, en el qual auiades gastado mucho tiempo y trabajo y era obra vtil y prouechosa, acerca lo qual nos suplicastes os diessemos licencia y facultad para imprimir y vender el dicho libro, y juntamente cõ la dicha licencia preuilegio para que por el tiempo que nuestra merced y voluntad fuesse, ninguna persona destos nuestros reynos le pudiesse imprimir ni vender, so graues penas, o como la nuestra merced fuesse, lo qual visto por los del nuestro consejo, y por quanto en el dicho libro se hizo la diligencia que la prematica por nos agora nuevamente hecha dispone, fue acordado que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula, en la dicha razon, y nos tuuimos lo por bien, por la qual damos licencia y facultad para que qualquier impressor destos nuestros Reynos puedan imprimir è impriman el dicho libro que de suso se haze mencion, sin que por ello caygan è incurran en pena alguna, y para que por tiempo de diez años primeros siguientes, que corran y se quenten desde el dia de la data desta nuestra cedula en adelante, vos el dicho Fray Alonso Muñoz, o la persona que su poder ouiere le puedan imprimir el dicho libro. Y mandamos que persona ninguna sin vuestra licencia durante el dicho tiempo de los dichos diez años le pueda imprimir ni vender, so pena de perder todos los libros que del ouiere imprimido, y mas veynte mil marauedis para la nuestra camara, y mandamos que despues de impresso, no se pueda vender ni venda, sin que primero se trayga al nuestro consejo juntamente con el original que en el fue visto, que va rubricado y firmado al fin del de Domingo çauala nue-

ſtro ſecretario de camara de los que reſiden en el nueſtro conſejo para que ſe vea ſi la dicha impreſsion eſta conformе al original, y ſe taſſe el precio, porque ſe ouiere de vender cada volumen, ſopena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha prematica y leyes de nros reynos y mãdamos a los del nro cõſejo, Preſidẽte e Oydores de las nueſtras audiẽcias Alcaldes, Alguaziles de la nueſtra caſa y corte y Chancillerias, y a todos los Corregidores Aſsiſtente, Gobernadores, Alcaldes, y otros juezes y juſticias qualeſquier de todas las ciudades villas y lugares de los nueſtros reynos y ſeñoríos, y a cada vno y qualquier dellos, aſsi a los que agora ſon, como a los que ſeran de aqui adelante, que vos guarden y cumplã eſta nueſtra cedula y merced que aſsi vos hazemos, y que contra el tenor y forma della ni de lo en ella contenido, no vayan ni paſſen, ni conſientan yr ni paſſar, por alguna manera. So pena de la nueſtra merced, y de cinquenta mil marauedis para la nueſtra camara. Fecha en Daroca a quatro dias del mes de Septiembre, de mil y quinientos y ſeſenta y tres años.

Yo el Rey.

Por mandado de ſu Mageſtad.

Franciſco de Eraſſo.

SERENISSIMO ATQVE AVGVstissimo Hispaniarum Principi Carolo Philippi regis eiusdem filio

F. Alfonsus Muñoz Teuarius. S.



MEMORIAE proditum est, Sereniſsime atq; Auguſtiſsime Princeps, Alexandrum illum magnum, Philoſophiæ moralis apprime peritū fuiſſe, id quod ex dictis documentisq; eius, ac geſtis Plutarchus luculeter oſtēdit. Quodipſum aperte licet intueri, ex tempore, quo adoleſcens ſummi ingenij, ingenti auiditate ſciendi, atq; incredibili ſtudio. Operam dedit Ariſtoteli præceptori, philoſophorum omnium longè abſolutiſsimo. Tāto etiam affectu proſequutus eſt

duo illa diuina poæmata Homeri. Iliadem nimirum, & Odyſſeam, vt ſe vſquequaq; ſe quuta, viatici inſtar, aſſerere ſolitus fuerit. Nec dubiũ, quin hoc non fecerit, dũtaxat illectus, ac delectatus incõparabili, atq; inimitabili illa ſtyli venuſtate, ac maieſtate, quam charites atq; muſæ, ceu in hoc ipſum coniuratæ, Homero ipſi ſuppeditaſſe, videntur. Sed longe magis ea ratione, q; ibi inuenerit omnibus ſuis numeris perfectã philoſophiam, & omnium artium locupletiſſimum quoddam emporium: ac præterea pœnè ſpirans quoddam ſimulacrum regis, atq; deinde viri boni, fortiſq; diſcriminum varietate volutati. Sed ſemper, & vbiq; cõſtãtis. Neque his contentus, elogia philoſophiæ, cõmentarioſq; ſapiẽtum de animi fiducia, & moderatiõe, deq; eiuſdem magnitudine, de fragẽdis libidinibus, & id genus alijs, comites itineris habebat, aut certe cũ ei ſuppetebat otiũ lectitabat. Par ſtudiũ, cõſimile philoſophiæ

losophiæ ac omniũ bonarũ artiũ amorem, cũ exercitio cõiũctũ, videre licet in Iulio Cæsare illo Romano Imperatore clariſsimo. Cuius rei hodieq; veſtigia, ac monumenta nõ exigua extãt in illis eiuſdẽ cõmentarijs, tãtopere abhirtio nobiliſsimo hiſtorico, atq; adeo à M.T. Cicerone collaudatis. Hæc duo tantũ lumina protuliſſe ſat eſt ex omni antiquitate quibus clariſsimũ fit, vchemẽter errare eos, qui regiã dignitatem arcendã eſſe putãt â morali philoſophia, ac pulcherrimarum rerum cognitione. Cum hæc igitur, & plura his ſimilia, ſæpe, ac diu cogitauerim, verſans animo huius operis nũcupationem: nõ ab re facturũ me ſperaui, ſi tuæ celſitudini illud dicarẽ, ac deniq; ita animũ induxi. Nã quid dignius Colloquio Principis, quâm ſummus & eloquẽtiſsimus philoſophus, idemq; prudẽtiſsimus atq; cõſummatiſſimus theologus, quẽ videre eſt loquẽtẽ in hoc ipſo opere. At nugas hic agit. Imo vero argumenta tractat eximia & vere digna regis ac

principis lectione atq; consideratione idq; facit mira quadã eloquij facilitate, suauitateq;, & cum cedro digna semper tradiderit, quietamq; reddiderit lectoris mentem, tam modesta submissione sui decreta placitaq; sua indulcat, vt non minus inde amãdus videri possit quàm quod tantam lucem attulerit tenebris quæstioni, ac ipsi rei cõtrouersæ. Multum debet Hispania tota huic præstãtissimo viro, quoniam ipse pluribus nominibus demeritus est, illo præsertim, q; cũ theologia apud Hispanos confusanea, puluerulẽta, aut potius lutulẽta, lacera, pannosa, muta, ac pene elinguis iaceret, huius solius ope claritati, nitori, candoriq; suo puritati, ac dignitati, venustati, ornatui, & integritati veluti longo postliminio restituta est. Testimonio sunt huius veritatis nõ modo centuriæ, sed Yliades etiam discipulorum eiusdem, quos schola ipsius quoque versum effudit. Opusculum hoc huius tanti viri, socordia atq; ignorantia Typographorum, & eorũ,

qui

qui prælo cõmittendũ curarunt. Totum erat prodigiosè corruptũ & vltra omnẽ fidẽ vitiatũ â capite vsq; ad calcẽ, quousq; iussu atq; authoritate eorũ quibus nõ auscultare nefas erat ad germana exẽplaria ego correxi. Nunc igitur. Tuæ Augustissimæ celsitudini illud offero protegendũ, & tui nominis claritate illustrãdũ vt huius operis patrociniũ nõ dedigneris præstare. Res est enim cũ primis digna Carolo Hispaniarũ principe, tutela Theologicæ disciplinæ, & eorũ qui ipsi nauãt operã, ipsamq; illustrant. Deus Optimus Maximus tuã serenissimã atq; Augustissimam celsitudinem incolumẽ seruet in nostræ Hispaniæ eximiũ decus, & ecclesiæ ingens obsequium atq; catholicæ fidei augmentum & propagationẽ Toleti apud inclytum, Regiumq; Diui Petri martyris cœnobium. Calendis Decembribus salutis nostræ.

Anno. 1564.

AVGVSTISSIMO ATQVE SERENISSIMO HISPANIARVM PRINCIPI Carolo Philippi Regis filio Ioannes â Canoua Typographus. S. P. D.



VANTA nuper affectus fuerim lætitia, Sereniſsime princeps, cũ me, vt typis mandarem Thucydidis opera, è greco ſermone, in Hiſpanam linguam conuerſa: iubere dignata eſt celſitudo tua: licet mihi centum ora totidemque linguæ eſſent, verbis adhuc exprimere nõ poſſem. partim, quod tuſsis tuis obtemperare, quòdd ã imperij genus eſſe cenſeam: partim verò quod te totis viribus conari intelligerem, vt hæc noſtra Hiſpania, omni bonarum literarum genere, in dies magis ac magis exornetur. In hoc tuorum maiorum aſſectans veſtigia: quorum labore ac induſtria, ad hunc vſque gradum res peruenisſe videtur, vt Græcis aut Latinis iam pauca inuidere poſsimus, propter authorũ in omnibus ſcientijs infinitũ numerum, quos iam noſtra nobis Hiſpania peperit, inter quos optimo iure cenſendus eſt Franciſcus à victoria vt pote qui victor & verè καλὸνικος inter ſui temporis ſcriptores extiterit cuique procul dubio non minus debemus quã olim

olim AEgyptij Mercurio illi trismegisto se deuinctos vno ore prædicabant. Etenim, si propter literarum characteres adinuẽtos, Tybiæ Lyræ, aut huiuscemodi inuẽtionem, tanti ab illis factus est, vt eum in deorum numerum adscribere non dubitarint: quanta de nobis meritus est is, qui non in pontificio tantum, verum & in Cæsareo iure, tot fecerat progressus, vt non de his solũ quæ ad munus. Imperatoris, sed & ad pontificatus dignitatem administrandam pertinere possent, nihil intactũ reliquisse videatur? is is est de quo merito dubitare possemus, nũ potius perfecti Theologi quã iuris vtriusque peritissimi nomine docorare debeamus: in cuius certè laudẽ: multò adhuc vlterius mea progrederetur oratio nisi τὸ μάρμαρον ζῶγράφου οὐκ ἂν δεῖσθαι certo scirem. Illius igitur opera: multò accuratius quam antea impressa tum propter. P. F. Alphonsi Muñozii animaduersiones, tũ propter meam in his quæ ad me pertinere poterant curam adhibitam: vt æquo & libenti animo accipias iterũ atque iterum rogo (Serenissime princeps) quod quidem si feceris, efficies vt omni labore ac sumptibus postpositis multo alacrius in posterum munus meum exerceam.

Vale.

FRATER ALPHONSVS MVGNOZIVS TEuarius Lectori Candido. S. P. D.



VM Salmanticæ agerem, auxiliaemq; nauarem operam fratri Dominico Soto in emaculãda impreſſione quarti Sententiarum, qui tũc excudebatur (Candide Lector,) libellus quidam prodijt ſpecioſiſsimo titulo, innumerabiles portentoſaſq; mẽdas, deliramenta pudenda, atq; contumelioſa autori, tum etiam toti theologorum ſcholæ continens: ſtupori erat in tantillo libelli corpuſculo tam incredibilẽ vitiorum congeſtam intueri colluuiem, pudori atq; dolori q vi febatur tãtum licere nebulonibus in eximias clariſsimorũ virorũ lucubrationes idq; impune. Titulus libri is erat Relectiones R.P. Fratris Franciſci Victoriæ ordinis prædicatorum Sacræ Theologię in Salmanticenſi academia quondam primarij profeſſoris. Vides inſcriptionem pulcherrimam & vndecũq; pollicitabundã atq; adeo propter quã vt Plinius dixit vadimoniũ deſeri poſsit. Cum igitur hunc ipſum librũ Salmanticæ offendiſſem recens è prælo prodeuntẽ ſumma auiditate cœpi legere & vix dum cõieceram oculos in pagellam, quæ prior ſeſe obtulit, & ecce in oculos ipſos incurrit impius quidam error in.

in materia Simoniæ, illeq; mirum in modum stomachum mihi mouit. Sed nihil hoc moratus, cũ res esset quę facile à quouis vel mediocriter erudito deprehendi posset, pergo, & quo amplius procedebam, plures errores, nõnullaq; etiam truncata inueniebã. Cumq; vidissem rem esse minime ferendam, detuli ipsam ad reuerẽdos admodum patres. F. Dominicũ Soto, & F. Melchiorem Canum, qui mihi autores fuerũt huius prouinciæ assumendæ, nempe librum istum corrigendi ad veriſsima exemplaria. Resciuit hoc ipsum magister Franciscus Sãctius, Salmãticensis ecclesiæ Canonicus, & in Salmantino item gymnasio cathedræ philosophiæ moralis moderatoris, atq; adeo administer sanctæ Inquisitionis in negotio examinandorũ librorũ, qui recipiendi sunt, aut reijciendi. Is ad fratrẽ Dominicũ Soto venit de hoc ipso cũ eo tractaturus, eiusdẽq, Frãciſci impulsu accersitus sum, ac denuo ab ambobus ipsis Sparta mihi hæc iniuncta est exornanda. Et quamuis nosſem, quã sit inamœnũ negotium quam dura ac morosa res, quã inglorius labor, corrigere atq; instaurare monumenta aliena præsertim tam vlcerosa, tam turbata vndiq;, tam misere, pœnæ dixerim & hostiliter habita, vt hęc ipsa erant: tamẽ autoritate præcipientiũ motus, tum etiã amore pulcherrimi operis, & illustris autoris eiusdemq; charissimi mihi præceptoris mei Victoriæ adductus

ductus

ctus, humeros amato oneri suppositui. Rem aggredior assumpto mihi sotio F. Petro ab Añaya viro nobili & religioso, atq; amicissimo, qui mihi prælegebat impressum illum libellum, Ego vero exemplaria mihi ipsi simul mente præcurrebam legentis vestigia insequens, & cum quid occurrebat difficultatis vel erroris sistebamus ambo gradū & reponebatur quod deerat, aut corrigebatur, quod erat vitiatum. Quod si quando res erat dubia adhibitis pluribus exemplaribus manu scriptis, suppetebat enim copia, lis illa cōponebatur. Si vero res erat quæ nullis talibus exemplaribus adductis, vt pote vitiatis & ipsis, posset transigi, ad ipsos fontes recurrebam, vnde ipse autor hauserat siue essent diuini libri, siue ecclesiæ vel pontificum decreta, siue antiqui patres, siue sententiarij theologi, siue philosophi, siue historici siue quicunq; alij autores, & sic euidens fiebat germana lectio restituenda. Hūc ipsum laborem secundò assumpsi à capite vsq; ad calcem libelli, ac tertio veluti sepositam ad tempus picturam reuisi, & deniq; iam ipsum opus, tibi perhumane lector, tradere audeo, frœtus tuo cādore. Fruere igitur fœliciter his, quæ tibi nostris vigilijs & laboribus parauimus, quibus factum est, (absit verbo inuidia,) vt pro luthulēto antea opere, ne dicam luteo, tersum nitidumq; habeas, atq; vndiq; aureum & splendidum id quod facile experimento com-

comperies, Si quacunq; liber apertus fuerit conferre volueris, & perpendere, quid distet noster hic, quem tibi tradimus, ab illo, qui correctus est à nobis, quem videlicet Iacobus Boyer excusſit Lugduni Anno domini.1557. Ante quem nullus erat impressus: neq; postea ausi sunt vlli Tipographi ipsum excudere timentes hanc nostram, quantula eacumq; est, diligentiam, quam non ignorant. Vale.

In laudem operis ad Lectorem.

Continet exiguus liber hic quamplurima lector,
Leges, pontifices, Theologosq; sacros.

REVERENDI

patris fratris Francisci à Victoria, ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ in Salmanticensi Academia quondam professoris primarij Relectio prior.

(2.)

DE POTESTATE ECCLESIÆ, super illum locum Matthæi decimo sexto, Tibi dabo claues Regni cælorum.

SVMMA.

1 *Ecclesia, dictio Græca, quid significet, & de eius varia interpretatione.*
2 *Ecclesia, & synagoga, an sint idem, & in quo differãt.*
3 *Synagoga, quid & vnde deducatur.*
4 *Ecclesiam nostram quare apostoli nunquam dixerint synagogam, sed semper Ecclesiam.*
5 *Acceptio varia nominis, Ecclesia.*
6 *Hæretici an sint membra Ecclesiæ.*
7 *Hæresis, quid signet. Et vnde hæretici dicti.*

De potestate Ecclesiæ.



DE potestate Ecclesiæ in præsentiarum disputaturus, de ipso Ecclesiæ nomine, vt paucam prius præmittam, necesse est, vt intelligatur quid sit id, de cuius potestate disserere constituimus. Ergo Ecclesia, vocabulum Græcum & nomen est, ἐκκλησια, ας. concilium, concio, congregatio, & locus ipse, quo conuenitur, vt etiam capit Lucianus in Dialogo Mercurij, & Maiæ. Vnde ἐκκλησιαζω, concionor, ἐκκλησιαστης, concionator. Verbum est ante salutem orbis, id est, ante christianitatem nondum latinitate donatũ, sicut pleraq; alia Græca fuerũt, nec (quod sciã) per ea tẽpora ab aliquo latinorũ vsurpatũ. Sed tamẽ apud christianæ eloquentiæ & religionis patres & principes frequẽtissimũ, vt videre est apud Tertullianũ. Cyprianũ Lactantium, Hieronymum, aliosq; item clarissimos authores. Vbi verò sacræ literæ Græcę habẽt Ecclesiã, interpretes plurimũ idẽ verbum reliquerunt, sed nonnunq; etiam pro Ecclesia, aut congregationem, aut contionem verterunt: vt Deute. 18. vbi nos ita legimus, prophetam de gẽte tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio cõgregata est, septuaginta habent, in diem Ecclesiæ ἐκκλησίας.

Et

Et est idem vocabulum cum synagoga: significat 2
enim συναγωγη congregationem. Vnde Gene. 1.
congregationes aquarum appellauit maria. Septuaginta transtulerunt, συναγωγας, synagogas.
Inter quæ tamen duo nomina non nihil interesse videtur. Vnde Beda, exponẽs illud Prouerbiorum. 5. Pene fui in omni malo, in medio Ecclesiæ
& synagogæ, dicit, Ecclesia, & synagoga Græca
nomina sunt, & vnam & eandem rem significãt,
Latine conuentum, silicet plurimorum adinuicem. Si autem accuratius distinguamus, Ecclesia,
cõuocatio, synagoga cõgregatio dicitur. * Vnde 3
συνναγω, congrego, non conuoco, videtur enim dictum, ἀπὸ τοῦ συν ἀγω, duco, traho. Et Augustinus Psalmo. 81. Super illud, Deus stetit in synagoga Deorum, id est, populorum Israel: ipsorũ propriè, inquit, synagoga dici solet, quamuis & Ecclesia dicta sit: sed nostram Apostoli synagogã 4
nunquam dixerunt, sed semper Ecclesiam, siue discernendi causa, siue quòd inter cõgregationem,
aut synagogam, & conuocationem (vnde Ecclesia nomen accepit) aliquid distet, q̃ scilicet cõgregari & pecora solent, ac ipsa propriè, quorum &
greges propriè dicimus. Conuocari est magis vtẽtium ratione, vt sunt homines. Idem Isidorus lib.
8. Etymologi. capite. 8.. vt notetur scilicet irrationalitas Iudæorum. Quamuis autem Ecclesia, si ra

tionem nominis aspicias pro quacunque hominum congregatione accipi possit: tamẽ in sacris literis siue nouum, siue vetus testamentum reuoluatur, non inuenies (quantum puto) nisi pro * cõ
5 tione, aut congregatione fidelium, id est, vnius religionis aliquo modo, siue bonorum, siue malorũ: quamuis in illis ipsis locis satis appareat esse alias ecclesias præter ecclesias fidelium, Dicitur enim ecclesia sanctorum, & ecclesia Dei, & eccle-
6 sia Israel, &, odiui ecclesiam malignantium. Sed hoc etiã modo loquẽdo de ecclesia * dubitari potest, an hæretici sint de ecclesia. Et quidem esse de ecclesia videtur, quia ecclesia iudicat de illis, vt patet cum excommunicet, & ad iudicium pertrahat, & tamen nihil ad ecclesiam de his, qui foris sunt. 1. Corinth. 5. quid enim mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? Item tenentur præceptis ecclesiæ. Item baptismus est sacramentũ ecclesię, & hę retici sunt vere baptizati. Item, vt postea disputabitur, hæreticis potest esse non solum presbyter, sed pontifex etiam summus, ergo caput ecclesiæ, & per consequens membrum ecclesiæ. Certè licet disputatio non videatur ad rem multum attinere, sed potius ad nomen ipsum: sed videtur in sacris literis, & apud vetustiores non accipi ecclesiam, nisi pro congregatione fidelium, atq; adeò
7 hæreticos non censeri intra ecclesiam. Hæresis sane electionem, aut sectam, vel diuisionem signa

re vide

re videtur, vt Isidorus dicit libro. Etym. ergo hæretici ideo videntur dicti, quòd ab ecclesia diuisi, & secti sunt. Item Matthæi. 18. dictum est Petro. Si ecclesiam nō audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus. ergo non plus hæretici annumerari in ecclesia debent, quàm ethnici, & publicani. Item ad Ephe. 4. Apostolus, Vnus Deus, vna fides, vnū baptisma. Videtur ergo, quòd hæc tria contineāt vnitatem ecclesiæ. Item de summa Trinitate & fide catholica firmiter. Vna est fidelis vniuersalis ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur. Ergo infideles non sunt de ista ecclesia. Cyprianus ad Rogatianum. Hæc sunt initia hæreticorum, & ortus, atque conatus schismaticorum, si de ecclesia egreditur, si altare profanum foris collocatur Augu. sup, Ioan. propter hanc fidei communitatem omnes vnum sumus, iuxta illud, ad Galatas. 3. Omnes vos vnum estis in Christo Iesu. Glo. id est, in fide Iesuchristi. Et demū ecclesia nihil aliud videtur significare, quàm Christianā rempublicā seu communitatem, & religionem. Parum autem refert, an hæretici aliquo iure aut ratione spectēt ad ecclesiam: certè re & operibus in ecclesia non continētur: sicut transfugæ nō pertinent ad exercitum, a quo transfugerunt. Nos itaque in hac relectione de Ecclesia, hoc nomine solum vtimur, ac loquimur, vt idem sit, quod fidelium communitas, siue respublica.

De potestate Ecclesiæ.

QUAESTIO PRIMA.

An in Ecclesia, sit aliqua dignitas, vel authoritas ecclesiastica, præter potestatem ciuilem.

SVMMA.

1 Potentiæ, quæ dicantur. Et quod non sit idem potestas & potentia.

2 Potestates, quæ potius appellãtur, ab authore recẽsent.

3 Ecclesia vtrùm præter ciuilem, & laicam potestatẽ necessario habeat aliam spiritualem.

4 Potestas ad quid constituatur in republica.

5 Vitæ sunt duæ, vna terrena, altera spiritualis. Et quomodo humana societas nõ possit sine vtrãq; manere.

6 Claues regni cælorum, potestas remittẽdi peccata, & excommunicandi, consecrandi. &c, sunt in ecclesia.

7 Apostoli Domini quam potestatem, & authoritatẽ habuerint in ecclesia.

8 Potestas tẽporalis, & ciuilis est integra apud paganos

9 Potestas gubernandi scientiam exigit.

10 Potestas regia quamuis contineat omnem potestatem ciuilem tamen non habet authoritatem ad cultum diuinum, & ad actiones spirituales.

11 Deus quomodo vniuersalis ecclesiæ duas instituerit dignitates.

12 Potestas spiritalis testimonia ex scripturis recensentur

13 Deus

13 *Deus ea sapientia, qua constituit in naturalibus, vt inferiora regerentur à superioribus, eadem etiam prouidit, vt in ecclesia sua ordo rerum esset arca dignitates, & officia.*

PRimum oportet, sicut de nomine Ecclesiæ fecimus, * ita quid per nomen potestatis intelligatur, declarare. Neque enim omnino idem videtur esse potestas, quod potentia. Nec materiam si quidem, neque sensus, imò nec intellectum, aut voluntatem potestates, sed potẽtias vocamus. Contra autem magistratus, sacerdotia, & omnino imperia, potestates potius, quã potentias appellant. Ista vocat Paulus. Ro. 13, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Ergo vt S. Tho. 4. dis. 24. q. 1. art. 1. q. 2. ad. 3. exponit, videtur potestas præter potentiam ad actionem dicere præeminentiã quandã & authoritatẽ. Atque adeò quærere, an in Ecclesia sit aliqua potestas spiritualis: perinde est ac si quæreret, an in Ecclesia sit aliqua vis, aut authoritas ad aliquid spirituale: & hæc an sit alia à ciuili potestate. Ad hanc quęstionẽ, quoniã permultę, & quidẽ graues, nobis disputandæ sunt, breuiter respondeo per vnicam conclusionem. Necesse est in ecclesia præter ciuilẽ, & laicam potestatem esse aliam spiritualẽ. Hæc conclusio probatur, in ecclesia sunt plures actiones, & variæ non spectantes ad vnam potestatẽ

1

2

Dubium

3

Concl.

statem: & aliquæ spectãt ad potestatem ciuilem, aliæ non ad illam, sed ad aliam potestatem, silicet spiritualem. Vnde de ecclesia dicitur, quod astitit à dextris Dei in vestitu deaurato, circundata varietate. Psalmo. 44. sed potestates distinguntur ex fine, sicut potentiæ perobiecta. Ergo præter potestatem ciuilem oportet ponere aliam spiritualem.

4 Secũdò probat. Duran. in tractatu de origine iuris, potestas constituitur in republica, vt homines prouocentur ad bonum, & arceantur à malis iuxta illud. 1. Petr. 2. quòd potestas est ad vindictam malorum, laudem verò bonorum, & Roma. 13. Vis non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudẽ ex illa. Quòd si bona quidem ad quæ homines promoueri deberẽt, & mala, à quibus deterri oporteret, spectarent solum ad vitam politicam præsentem, sufficeret certè temporalis, & laica potestas. Et cum vita fideliũ nõ solum tẽdat ad finem & statum ciuilem, imò multo impensius, & principalius in bona perpetua, quærendo primum ea iuxta Domini consilium, Primum quærite regnum Dei. Matthæi. 6. & eam fœlicitatem, quam oculus nõ vidit, neq; auris audiuit: timeat præterea mala, & pœnas potius alterius vitæ, q̃ præsentis, nec tam eos qui occidũt corpus, quam eum, qui postquam occiderit, habet potestatẽ, & corpus, & animã perdere & mittere in gehennã ignis

ignis. Matth.10. & Luc.12. Ideo vt homines dirigantur & prouehantur in finem illum super naturalem,& si forte aberrauerint, reuocentur in rectam viam, vel laude, vel præmio, vel timore, vel pœna: necessariũ fuit, vt esset aliqua potestas præter ciuilem. Hãc rationem elegãter ponit* Hugo 5
de sacra.par.2. Duę, inquit, sunt vitę: vna terrena, alia spiritualis vt autẽ vtraq; in iustitia seruetur, & vtilitas proueniat: primũ vtiq; distributi sunt, qui vtriusq; bona secundum necessitatem acquirant: deinde alij, qui eam secundũ æquitatem dispensent. Si ergo non potest humana societas sine vtraq; vita manere, necessaria est duplex, potestas ad conseruationẽ iustitiæ: vna quę præsit terrenis, ad ordinandum vitam terrenam: alia, quæ præsit spiritualibus ad cõponẽdã vitã spiritualẽ.

Tertiò probatur, in ecclesia * sunt claues regni 6
cęlorum. Matth.16.&.18. Sed hęc potestas est alia à potestate ciuili, quæ certe non habet huiusmodi claues. ergo, &c. Cõfirmatur, in ecclesia est potestas remittendi peccata. Ioan.20. Quæ nõ est in Rege, nec in alio magistratu ciuili, ergo, &c. Item in ecclesia est potestas excommunicãdi. Matth. 18.&.1.ad Corinth.5. Item est potestas consecrandi verum corpus Christi. Luc.22.&.1. Corinth.11.

Quartò principaliter, Apostoli Domini ha- 7
buerunt potestatem, & authoritatem in ecclesia, vt ex locis iam inductis, & ex alijs multis cõstat:

ea autem nõ fuit ciuilis, cùm regnum eorum nec potestas fuerit de hoc mundo. ergo, &c.

8 Quintò, Apud paganos* est integra potestas tẽporalis & ciuilis, vt aliàs à me probatum est, & satis constat ex Paulo, Rom. 13. vbi iubet esse subiectos principibus etiam paganis, & apud eos non est potestas ecclesiastica: ergo hęc potestas distincta est ab illa. Vltimò, Quia* potestas gubernandi exigit scientiam, iuxta illud Grego. Ars artium, regimen animarum. Sed principes tẽporales non sunt periti legis diuinæ, quam oportet esse regulam potestatis ecclesiasticæ. Ergo oportet esse alios Pontifices, & præsides sacrorum, quàm principes seculares. Item confirmatur, Quia non sufficeret vnus & idem homo vtrumque munus implere, neque vtranq; disciplinam percipere, scilicet administrandi secularem & ecclesiasticã rempublicam: nec si maximè vtrumq; calleret, posset vtrique administrationi commodè intendere, & 10 vacare. Confirmatur apertè, Nam* regia potestas continet omnem potestatem ciuilem: hoc enim importat Rex, vt sit vnus supra omnes in republica: sed Rex non habet authoritatem ad cultum diuinum, & ad actiones spirituales. Ergo est alia potestas distincta à potestate ciuili. Antecedens patet: quia ad mandatum Domini fuit Saul institutus Rex. 1. Regum. 10. Samuel scripsit legem regni & scripsit in libro, & reposuit coram Domino, &

tamen non est data ei potestas sacerdotalis: imò cùm postea Saul in Galgala obtulisset holocaustum propter absentiã Samuelis, vindicata est seueriſsimè præſumptio: & dictũ est ei, Stultè egisti nec custodisti mandatũ Domini, quod præcepit tibi: ꝙ si nõ feciſſes, iam nũc præparaſſet Dñs regnũ tuũ ſuper Iſrael in ſempiternũ. 1. Reg. 13. De vtraq; potestate Pelagi⁹ Papa: & habetur. 96. dis. c. duo ſunt. Duo ſunt (inquit) Imperator Auguſte quibus principaliter hic regitur mũdus, authoritas ſacra Pontificũ, & regalis poteſtas. Et confirmatur: quia etiã apud Gentiles erant Pontifices, & Sacerdotes, ad quos ſpectabat adminiſtratio ſacrorum, & nõ ad Conſules, aut alios magiſtratus ciuiles. Et in. c. ſi Imperator. eadẽ diſtinctione. Si Imperator catholicus eſt, filius eſt, non prẽſul eccleſiæ, quod ad religionem cõpetit (diſcere ei conuenit, non docere) habet priuilegia ſuę poteſtatis quæ adminiſtrãdis legibus publicis diuinitus cõſequutus eſt. Et in. c. ſolitæ. de maiorita. & obedien. Fecit Deus* duo magna luminaria in firma- 11
mento cæli. hoc eſt, vniuerſalis eccleſiæ duas inſtituit dignitates. De vtraque in veteri teſtamento aperta habemus exempla: & de ſeculari quidem Exod. 17. quòd Moyſes ex electis viris ſtrenuis de cũcto Iſrael cõſtituit eos principes populi tribunos, & cẽturiones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicarẽt populũ Dei omni tẽpore.

Numeri

Numeri autem.3.ponuntur gradus summi Sacerdotis Aaron, & minorum Sacerdotum submini-
strantium. Functiq;, inquit, sunt sacerdotio Eleazar, & Ithamar coram Aaron, & infrà, Dabis dono Leuitas Aaron & filijs eius, quibus traditi sunt alijs Israel. In nouo autem testamento, Roma.12. &.13.Paul. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Quod de qua potestate intelligendum sit, ipse Paulus illic satis ostendit, & Petrus.1.sua Epistola, cap.2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deũ, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam à Deo missis ad vindictã malefactorũ, laudem verò bonorũ. Quãquam Lyranus de vtraq; potestate, Pauli locum
12 intelligendum censet. Sed de spirituali potestate plura testimonia sunt, quàm vel opus sit, vel vacet in præsentia recensere. Iohãnis vltimo, Pasce oues meas. &, Quorum remiseritis peccata, &c. Iohan. 20. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quodcunque solueritis, &c. Matth.16.&.18.& de præsbyterorum potestate Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem. Et iterum de ratione constituendi Episcopos, presbyteros, diaconos, 1. ad Timot.3. item ad Tit.1. Actuum.14. &.20. Sed ad maiorem declarationem huius cõclusionis arguitur paucis argumentis contra illam. Primò,
1, cap. 6 Multitudo principatuum esset mala, ex Aristot. 12.Metaphy.& in libro Politico. ergo non expedit

dit in ecclesia esse varias & distinctas potestates, maximè cùm ecclesia sit non solùm vna respublica, sed vnum corpus. Roma. 12. Multi vnum corpus sumus in Christo. &. 1. Corin. 12. Et sic habere multos principes, aut prælatos, videtur quasi habere multa capita vnius corporis: quod mõstruosum est. ergo potius conuenire videretur, vt vnus atque idem res seculares & ecclesiasticas administraret. Secundò, Ciuilis potestatis finis est reddere, aut constituere homines bonos, & efficere studiosos, id est virtutibus præditos. 2. Ethico. Sed hoc satis est ad consequutionem fœlicitatis, non solùm humanę & temporalis, sed etiam immortalis, & supernaturalis. ergo frustra comminiscimur aliam potestatem. Tertiò, Matth. 17. Dominus dixit, Ergo liberi sunt filij. Vbi glo. In quolibet regno filij regis liberi sunt. Christiani autem sunt filij Dei. Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Iohã. 1. ergo sunt liberi. & Iohannis. 8. Si ergo vos filius liberauerit, veri liberi eritis. &. 1. Corint. 7. Pretio empti estis, nolite fieri serui hominũ. Ex quibus locis videtur, Christianos exemptos esse & liberos ab omni potestate, & subiectione, sed omnes esse æquales, nec alteros dominari, alteros seruire & sic nulla erit authoritas, vel potestas, saltem iurisdictionis. Quartò arguitur, In statu innocẽtiæ non fuisset aliqua potestas. ergo nec nũc debet esse. Nam Christus redemit nos. Ista sunt argumen-

2 arg.

3 arg.

4 arg.

ta

ta hæreticorum, ac schismaticorũ, quibus simplicium hominũ corda à debita obedientia vel principum, vel sacerdotum dehortantur & reuocant, resistentes Dei ordinationi ad suam ipsorũ dãnationem, & perditionẽ, vt Paul. ait: nec opus erat alijs responsis post tam aperta testimonia scripturarum, quibus illorum vesania aperte retunditur sed quia sapientibus, & insipiẽtibus debitores sumus, Ad solutionem istorum est attendẽdum, q̃ Sap. 7. dicitur, quòd sapientia attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter. Hoc est enim proprium sapientis, vt etiã Arist. tradit. 1. Metaphy. ordinate omnia disponere. Potuit ergo Deus sicut summè sapiens, ita summè potens, sine vllo ordine principum & subiectorum prælatorum & inferiorum omnia quidem gubernare, administrare & sine vlla etiam, si ita voluisset, iactura rerum creatarum. Sed profectò hoc non erat consentaneum tantæ sapientiæ, & infinitæ prouidentiæ: sed potius ita componere, vt orbis non rerum cumulus fortè iacẽtium deforme spectaculũ redderetur, sed vt potius corpus quoddã vnum, aut ædificium suis partibus, & velut membris constaret, seruaretq; decorem dignũ suo au-
13 thore. Eadem* ergo sapiẽtia, qua constituit in naturalibus, vt inferiora regerentur à superioribus, vt. 1. Metaphys. dicitur, & Diony. 4. c. de diuinis nomi. nominatim de sole dicit: & qua etiam in cę

lis vo-

lis voluit, vt inferiores angeli à superioribus illuminarentur: eadem inquam prouidit, vt in ecclesia sua ordo rerum & distributa officia essent, vt alij oculi essent, alia manus, alij etiam pedes, & reliqua in hanc rationem composita. Vt etiã Apostolus dicit elegantissime ac differtissime in hanc sententiam. 1. Corinth. 12. Sicut enim corpus vnũ est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum autẽ corpus sunt, sic & Christus. &c. Nam & ipse Aristot. primo Politic. expedire ait in omni multitudine rectè compositâ, vt aliquis prior sit, cui cæteri pareant, in quo consistit ratio potestatis. Ad primũ ad. 1.
igitur argumentum respondeo, quòd esset quidẽ incõueniens, si essent plures principatus, aut magistratus, ad eundem finem, spectantes ex æquo: quod in proposito non contingit. Nec enim ad eundem finem contendit potestas ciuilis & ecclesiastica, vt suprà satis explicatum est. Præterea non ex æquo se habent, sed certo modo vna potestas ad aliam ordinatur, vt infra disputabitur.
Ad secundum etiam aperta est solutio ex superioribus. Non enim tota administratio ciuilis satis est ad constituendum hominem in statu salutis ęternę, nec sufficit moralis aut ciuilis virtus, & bonitas ad vitam æternã, cùm, vt reliqua omittamus, necessaria sit fides. Mar. 16. Qui verò nõ crediderit. &c. & sacramẽta etiã semp fuerint aliqua,

Nisi

Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua.&c.Iohan. 3.Et alibi, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.Collatio autem sacramentorum non spectat ad potestatem ciuilem, sed ad spiritualem,& ecclesiasticam.Itaq; sicut oportet iustitiam nostram abundare supra iustitiam Scribarum & Pharisæorum, Matth. 5. ita oportet abundare supra iustitiam, non solùm paganorum & hæreticorum, sed etiam bonorum philosophorum:& sic habere aliquos actus ordinatos in supernaturalia.

De tertio argumento disputabo latiùs inferiùs, cùm agemus de libertate Ecclesiasticorũ.Sed pro solutione in præsentia dico,cum.S.Tho.& Bona uent,in fine.2.Senten.quòd Christus illic loquutus est de se & de discipulis suis, qui omnino erãt liberi,vel ratione officij, quod exercebant etiam ex authoritate,scilicet spiritualis potestatis,ratione cuius etiam stipendia illis debebãtur: iuxta illud, Si spiritualia vobis seminauimus, multũ est vt carnalia vestra metamus.1.Corint.9. Vel, quia nihil habentes,hac ratione se liberos reddiderant ab omni exactione: nec enim tributum debetur ratione personæ,sed bonorum, nec per subiectionem ad potestatem spiritualẽ* aliquid deperit de potestate,cùm ea tota sit non ad vtilitatem potestatis,vel præsidentis,sed subditorum.

Ad quartum respondeo,negando assumptum.

quamuis

quamuis enim nõ fuissent Magistratus, nec principes ad cogendum homines timore pœnarum, fuisset tamen potestas directiua, & gubernatiua, vt potestas paterna, cui tenerentur filij parêre. Imò multiplicato humano genere, vero similius est, futuros aliquos, qui pręessent sacris: & sic fuisset aliqua ratio etiã potestatis spiritualis. Sed de hoc etiã statim latiùs, & S. Tho. 1. par. q. 96. arti. 4.

QUAESTIO SECUNDA.

Vtrum potestatis ecclesiasticæ sit aliquis effectus propriè & verè spiritualis.

SVMMA.

1 *Potestas ecclesiastica, vere & simpliciter est causa alicuius effectus spiritualis.*

2 *Potestas ecclesiastica, duplex est. Et de vtriusque effectibus Et quomodo nonnulli hæreticorũ abvtraq; clave tollunt omnem effectum mere spiritualem.*

3 *Potestas vtraque ordinis scilicet, & iurisdictionis, habet verum effectum spiritualem.*

4 *Christus inquantum homo, habuit potestatem remittendi peccata, & quomodo sæpe vsus fuerit ea, imò & eam tradiderit Apostolu. Et de remissione peccatorum per claues Ecclesiæ traditas.*

5 *Error duplex eorum, qui dicunt virtute clauium non verè remitti peccata, sed solùm ostendi remissa.*

6 *Remedia duo efficacia ad remissionem peccatorum à Deo in ecclesia relicta.*

7 *Claues ecclesiæ, solæ sufficiunt ad salutem, & ad aperiendum regnum cælorum, vbi nulla alia via esset apertum.*

8 *Contritio quid importet.*

9 *Dolor, quando non dicatur contritio.*

10 *Dolor qualis sufficiat ad remissionem peccatorum cũ clauibus.*

SED quia distinximus potestatem ecclesiasticam à ciuili ex fine (quia scilicet altera in finem temporalem ordinata est altera in spiritualem) sequitur secunda quæstio, An potestatis ecclesiasticæ sit aliquis effectus purè & simpliciter spiritualis? Ad hanc quæstionem respondeo primò, dato quòd potestas ecclesiastica nullum haberet huiusmodi effectum spiritualem, nihilominus differt à potestate ciuili, & diceretur potestas spiritualis. Probatur hoc, & ostenditur: nam adhuc haberet finem distinctum à fine potestatis secularis, puta beatitudinem supernaturalem, & cultum diuinum, & bonum spiritus, id est animæ: quæ omnia non spectant ad potestatem ciuilem, sed ecclesiasticam, & inter spiritualia an-
1 numerantur. Secundò pono conclusionẽ, q̃* potestas ecclesiastica verè & simpliciter est causa ali

cuius

cuius effectus spiritualis. Pro cuius declaratione est reuocãda huc in præsentia illa distinctio Theologorum, de duplici potestate, ordinis scilicet, & iurisdictionis. Duplex * igitur potestas est eccle- 2
siastica, potestas ordinis, & iurisdictionis. Potestas ordinis est in ordine ad corpus Christi verũ, scilicet eucharistiam: iurisdictionis in ordine ad corpus Christi mysticum, id est ad gubernãdum populum Christianum in ordine ad beatitudinẽ supernaturalem. Sed in potestate ordinis non solùm intelligitur potestas consecrandi eucharistiã sed disponendi, & idoneos reddendi homines ad eucharistiã, imò omnia gerẽdi, quæ ordinãtur aliquo modo ad eucharistiã, vt est cõsecrandi presbyteros, & alios ordines cõferẽdi, & in vniuersum omnia sacramẽta administrãdi, remittẽdi quoq; peccata, & tandem omnia faciendi, quæ alicui ratione alicuius consecrationis conueniunt: vnde etiã potestas ordinis, potestas consecrationis plerumq; vocatur. Ad potestatem autem iurisdictionis spectat gubernatio populi Christiani extra Sacramentorũ, vel consecrationẽ, vel administrationẽ: vt est leges ferre, & tollere, excomunicare, dicere ius extra forum pœnitentiæ, & id genus alia facere. His præmissis est aduertendum, quòd nonnulli hæreticorum ab vtraque claue tollunt omnem effectum purè spiritualem. Qui enim negant in eucharistia contineri verũ corpus Christi

negant aliquid spirituale confici â sacerdote con secrãte euchariſtiam. Euchariſtia enim apud eos non eſt, nec cõtinet aliquid ſpirituale, ſed ſymbolum ſolùm eſt, & ſignum vel corporis Chriſti, vel gratiæ. Iidem etiam negant ſacerdotem euãgelicum verè remittere peccata, & gratiam conferre, inde etiam à poteſtate iuriſdictionis effectum aliquem ſpiritualem prorſus tollunt, negantes excommunicationem aliquid ſpirituale auferre ab excõmunicato, ſed ſolum cõmunicationem exteriorem fideliũ, quæ ſpiritualis non eſt. Sed omiſſa prima veſania hæreticorum circa euchariſtiã, de qua nunc nihil conſtitui tractare: de remiſſione peccatorum, & effectu excõmunicationis dicendum aliquid eſt: nec multis tamẽ, eò quòd in ordinarijs lectionibus locum illum aliquando ac curatiùs tractauerim. Sed quia etiam inter catholicos authores ſunt, qui poteſtati ordinis nõ ſimpliciter tribuant remiſſionem peccatorũ, vel collationem gratiæ, vel omnino aliquem effectum verè ſpiritualem: atque alij etiam, qui per excommunicationem non concedant tolli aliquid ſpirituale: ideo repetendo concluſionem, dico, quòd

3 *vtraque poteſtas, ſcilicet ordinis, & iuriſdictionis habet effectum ſpiritualem verum. Et primo dico, quòd claues eccleſiæ, ſiue authoritas eccleſiæ ſiue authoritas eccleſiaſtica eſt cauſa propriè remiſſionis peccatorũ, & gratiæ. Eſt autem diſputatio

tatio eadem cum illa, An per sacramẽtum pœnitentiæ cõferatur aliquando prima gratia. De qua quæstione licet inter antiquos, & gauiores authores nõ videatur magnopere dubitatũ, apud quos in confesso fuit, virtute clauium nonnunquã peccata ita remitti, vt sine illis non remitterentur: tamen inter recentiores scriptores non est aut parua, aut parum acris cõtentio & dimicatio dicunt enim ex illis quidam, acutiores quidẽ, & ingeniosiores, quam par esset in theologica philosophia, q̃ peccata mortalia remitti nunquã possunt, nisi per contritionẽ, atq; adeo nec virtute clauiũ vnquam peccata remittuntur, aut confertur prima gratia: non remittũtur inquam in foro Dei, & vt remitti propriè dicat tolli peccata. Cum quibus aliâs maiori studio & conatu confliximus. Nunc summa sequens fastigia rerũ, paucis argumentis arguo pro conclusione nostra, & contra illorum sententiã. Et primo adduco verba Domini, Iohã. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Et quodcunq; solueritis super terram, &c. Matt. 18. Et tibi dabo claues regni cælorum, Matth. 16.

Ex quibus arguitur sic, Illa verba sunt eadem, quæ ponuntur in nostra conclusione. Ergo si illa vera sunt, conclusio nostra vera est. Et confirmatur, Remitti peccata propriè hoc sonat, tolli scilicet peccata, quibus aliquis prius tenebatur: nec certè significat ostendi, aut declarari prius remis-

sa sicut remittere debitum. Confirmatur secũdò, Christus habuit potestatẽ remittẽdi propriè peccata ad sensum cõclusionis,& potuit eã dimittere Apostolis sed nõ alijs verbis apertioribus potuit declarare donationẽ,aut cõmissionẽ illi⁹ potestatis,quã illis, quibus dedit claues.ergo, &c. Quòd
4* autem Christus habuerit huiusmodi potestatem etiam inquantum homo, certè non est dubitandum. Ipse enim dixit Marci.2. & Matth.9.& Luc.15. Vt autem sciatis quòd filius hominis in terra habet potestatem dimittendi peccata,ait paralytico, &c. & Matth.28. Data est mihi omnis potestas in cęlo & in terra.Et certè non solùm habuit potestatem declarandi remissionem peccatorum, sed nec dubito quin vsus fuerit illa potestate, cùm dixit paralytico, Fili remittuntur tibi peccata tua:& cùm dixit Luc.7. Dimittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multùm. nec Christus voluit ostendere,ac disputare, aut defendere se habere potestatem declarandi peccata esse dimissa.Eisdem autem verbis,quibus dixit,Remittuntur tibi peccata, dixit, Quorum remiseritis peccata.Eadem enim vis verbi est remittendi, & dimittendi, nisi quòd Latinius fortasis est remittere,quàm dimittere: sed Græcè idem vtrobique verbum est.Facit & quod eodem loco Dominus præmisit,Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. & statim sequitur,Accipite spiritum sanctũ,quo

rum

rum remi. &c. Vnde videtur, quòd talem potestatẽ dedit eis, qualem habuit. Item quid opus erat dare Spiritum sanctum ad soluendum, vel remittendum peccata in foro ecclesiæ duntaxat. vel ad ostendendum remissa? Profectò Apostoli per illa verba aliud intelligere non poterant, quàm se veram potestatem remittẽdi peccata accepisse, nec verò satis intelligi potest, quomodo claues regni cælorum tradiderit Dominus, si (vt isti docent) nunquam sacerdos regnum cælorũ aperit. Quis enim alius vsus clauium, nisi ad aperiendum, aut claudendum? Secundo principaliter arguitur, Si enim claues ligare verè possunt, remittere peccata non possunt: non inter priuilegia ecclesiæ, & gratias, sed inter onera potiùs, & quidem grauissima, numerari claues deberent. Quid enim beneficij accepimus, si ratione clauium obnoxij quidem sumus ad peccata cõfitendum (quod est per molestum) si quando cum peccato ad claues veneris, non modò gratiam, aut remissionẽ non cõsequeris: sed (quod isti non diffitentur) nouo peccato grauaberis, & teneberis? Quid tantopere hãc potestatem sancti in cælum laudibus efferunt, præconio tollunt? Quid tantum præmium illius insignis confessionis & fidei principis Apostolorum, pro cuius remuneratione Dominus ei pollicitus est, Tibi dabo claues regni cælorum? vinculũ potius: catenæ, aut quid vis potiùs, quã claues

sunt. Si quidem tenemur clauibus illis, & non solu-
uimur: deterior multo in hac parte esset conditio
legis Euangelicæ, quam naturæ, aut Mosaicæ.
Tertio principaliter arguitur, Si sensus verborũ
esset, Absoluo, id est ostendo absolutum: ergo il-
la forma absolutionis esset recta & legitima, Ego
te declaro absolutum: qua tamen nec illi quidem
auderent vti. Confirmatur, Cui enim ostendit sa-
cerdos peccatorem absolutum? non ecclesiæ qui-
dem, multo autem minus Deo. Præterea sacerdos
verè remittit pœnam debitam peccatis, nec ostẽ-
dit solum remissam, ergo vel verbum remitti, aut
absolui oportet æquiuocè capi, vel propriè respe
ctu vtriusque. Quarto principaliter arguitur, In
baptismo remittuntur peccata: ergo in sacramen
to pœnitentiæ, Ad hoc argumentum variè respõ
detur ab illis. Aliqui enim dicunt, adulto etiam
non remitti primo per baptismum: alij non ne-
gant quidem de baptismo, negant tamen de sa-
cramento pœnitentiæ. Sed cùm eisdem verbis
in Euangelio habeatur, imo apertiùs videtur ha-
beri de remissione peccatorum per claues, quam
per baptismum: profecto nec probabiliter, nec
constanter concedi de baptismo potest, & nega-
ri de clauibus. Quod autem baptismus detur in
remissionem peccatorum, præterquam quod
sancti omnes iuratissimè confirmant, non uideo
quomodo negari possit: illic enim nõ potest esse

remissio

remissio peccatorum, id est declaratio, vt ipsi in sacramento pœnitentiæ intelligi volunt. Si ergo secundum Scripturam est remissio peccatorum oportet vt sit verè & propriè remissio: imò videtur articulus fidei. Cõfitemur enim vnum baptisma in remissionem peccatorum. Et confirmatur Si enim (vt aduersæ opinionis authores fatẽtur) per sacramentum peccatum originale & veniale primò tolli potest: vnde hæc coarctatio, vel diuinatio orta est, potius non posse se extendi ad peccata mortalia, cum in Euãgelio absolutè in remissionem peccatorum data sacramenta legamus, nulla differentia posita de originali, aut veniali à mortalibus. ¶ Quinto, Si sacramenta nunquam conferunt primam gratiam adultis (nã idẽ apud eos est de omnibus iudicium) quid ergo est, quòd omnes sancti, omnes authores docent, & prædicant sacramenta nouæ legis esse causam gratiæ? Sed aiunt per sacramenta augeri gratiam. Primũ omnium hoc nescio, an sit priuilegium sacramẽtorum, cùm in omni actu meritorio augeatur gratia. Sed non ex opere, inquiunt, operato, vt ipsorum verbis vtar. Esto sanè. Sed quid mea? Tantũ enim consequar etiam eorum sententia, si paululum in actu meritorio animum, aut conatum intendero, quantum per illud opus operatum consequuturus sum, Quanta ergo est hæc prærogatiua sacramentorum, vt per sacramenta obtineam

aliquem gradum gratiæ, quem tantula actus intensione, & feruore consequi potuissem? Ego adduci non possum vt negem, quin aliquid potius sacramenta conferant. Sed vt quid vim facimus verbis, & loco suo detorquemus? Dare enim gratiam nec fuit, nec erit vnquam augere gratiam. Etenim gratiæ est facere amicum, aut gratũ hoc enim significat constituere in gratia, ex non grato gratum facere. Aliud sane est augere amicitiam, aliud amicum facere: & nũquam antiqui ad hunc modum loquuti sunt, vt augere gratiã intelligerẽt esse causam gratiæ. Sexto & vltimo. Si enim claues non remittunt peccata, nullum argumentũ habemus ex sacra scriptura, ꝙ sit aliquod sacramentum pœnitentię. In scriptura nãq; non habemus aliud, nisi quod per claues remittuntur peccata. Si ad hoc per te non requiritur collatio gratiæ, quia non est nisi declaratio: nihil restat, quare ponamus sacramentum pœnitentiæ. Propter hoc enim solum ponimus, quia ex scriptura habetur, quod per claues remittuntur peccata, & hoc non potest fieri sine gratia. ergo claues confe rũt gratiam: & sic conficitur sacramentũ. Totũ autem hoc artificium ruit ad sententiam illorũ. Om
5 nino * mihi non videtur ferendum, dicere quod virtute clauiũ non vere remittantur peccata, sed solum ostendantur remissa: sed homines alioqui acres, & docti, bis in hac disputatione peccant,

& er-

& errant, ex eo quod nō bene sentiant de cōtritione, putantes primo, quod contritio est ita sufficēs ad remissionem peccatorum, quod quasi ex iustitia debeatur remissio, & gratia posita contritione: vnde etiam prouenit, vt meritum, ponant congrui ad primam gratiam contra Apostolum Paulum: non considerantes, quod quacunque dispositione posita in peccatore est omnino tanta liberalitas in collatione gratiæ, & tam gratis remittuntur peccata, sicut data fuit gratia Adæ in primo statu, imo magis. Nec oportet imaginari aliud meritum, nisi puram misericordiam diuinam: nec plus contritio est meritum ad gratiam, vel remissionem peccatorum, quam bona opera sunt merita ad prædestinationem. Hæc erat bona pars erroris Pelagianorum, si ego quicquam intelligo. Secundo errant contrario modo, credentes, quod contritio ita sit necessaria ad remissionem peccatorum, quod pene Deus ipse vix posset sine contritione remittere peccata. Veritas autem sic habet, quod * ad remissionem peccatorum Deus in Ecclesia duo remedia efficacia reliquit, aut pœnitentiam, aut claues Ecclesiæ. Et ita aperte dictum est, quod per claues Ecclesiæ remittuntur peccata, sicut per pœnitentiam. Satis est ergo, vt quis non ponat obicem clauibus, id est, non afficiatur peccato præterito vel futuro, 6

hoc est

hoc est, vt pœniteat de præterito, & proponat in futurum cauere, etiam si hoc ita faciat vt non sufficiat, ad remissionem peccatorum sed remaneat in peccato. Hæc enim dispositio non requiritur ad remissionem peccati, sed solùm ne ponat obicem clauibus. Hoc ergo est summũ beneficium & priuilegiũ, quo Christus redemptor noster ecclesiam suam in nouo testamento singulariter ornauit. hoc est, quod tantum celebratur à
7 vetustissimis & sanctissimis patribus, quòd* omnino claues Ecclesię sufficiunt ad aperiendum regnum cælorum, vbi nulla alia via apertum esset: sed solæ sufficiunt ad salutem, nec mihi de hoc dubitandum omnino videtur, & maximè quia in concilio Florentino dictum est. Effectus sacramẽti pœnitentiæ est absolutio à peccatis.

Sed contra hanc veram sententiam arguitur.
1. arg. Primo, Accedens ad sacramentum pœnitentię in peccato mortali, nõ consequitur remissionẽ peccatorum. imò peccata de integro. ergo claues nõ remittunt peccata. Confirmatur, Quia aliàs liceret scienter accedere cum peccato mortali ad claues.
2. arg. Secundo, Cùm aliquis post contritionem accedit ad sacramentum pœnitentiæ, est verum sacramentum, & forma vniuocè idem significat, sicut cùm quis accedit ante contritionem, sed tunc non absoluit sacerdos, sed ostendit absolutum. ergo sic debet intelligi absolutio & remissio peccatorum,

torum, id est declaratio. Tertio arguitur, Vel sufficit quicunq; dolor ad tollendum obicem, & recipiendum gratiam, vel non. Si aliquis non sufficit, nõ videtur posse assignari, quis solus sufficiat, nisi sola contritio. eodem enim modo videtur de quocunq; alio dolore. ergo requiritur contritio. Si autem quilibet dolor sufficit ergo dolor solum timore pœnæ satis est. Quartò, Eodem pacto videtur claues habere potestatem retinẽdi peccata sicut remittendi: sed clarum est, quòd claues non aliter retinent peccata nisi declarando non remissa à Deo nec possunt retinere nisi quæ Deus retinuit. ergo similiter remittere peccata, solùm erit ostendere remissa à Deo. Ad soluendum hæc argumenta, nota primo, quòd doctor subtilis in 4. di. 14. vlti. arg. 3. videtur expressè dicere, q̃ nõ requiritur alia dispositio, vt aliquis per hoc sacramentum pœnitentiæ recipiat gratiam, nisi solũ, vt velit recipere, & se subijcere clauibus. Et idem dicit de sacramento baptismi. Caietanus etiã nominatim de baptismo dicit. 3. pa. q. 86. ar. 2. ad primum. quod remissionẽ peccatorum, etiam mortalium in baptismo non exigitur aliquis dolor, sed sola voluntas recipiendi baptismum in remissionem peccatorum. Et profecto idem haberet consequẽter dicere de sacramento pœnitentiæ, q̃ ita manifestè datũ est in remissionẽ peccatorũ, sicut baptismũ, & tamẽ Caietanus negat de pœnitẽtia,

3. arg. 4. arg.

tia,quid concedit de baptismo:quàm constanter ipse viderit.S.Tho.etiã.3.par.q.89.ar.3. ad secundũ,dicit q̃ baptismus datur per modum ablutionis,& est generatio,id est mutatio de non esse spirituali ad esse spirituale:ideo non inconuenit accedere ab baptismum cum conscientia peccati mortalis,incõuenit autem ad Eucharistiam, quæ non debet dari nisi viuenti:datur enim per modũ alimenti.Hac certè ratione consequenter videretur idem dicendum de sacramento pœnitentiæ, quod institutum est ad suscitandum mortuos: & sic non erit inconueniens accedere ad claues ecclesiæ cum conscientia peccati mortalis. Et posset magna probabilitate defendi quòd si quis sine complacentia quidem peccatorum præteritorum,sed etiam sine aliquo dolore solùm cum proposito cauendi in futurum a peccatis, accedat ad sacramentum pœnitentiæ, animo recipiendi remissionẽ peccatorũ, quòd re uera recipit, nescio an verum sit,impugnari profectò non vehementer posset. Sed non adeò longius à communiori via,& doctrina discedens,secundò dico,quòd nõ licet accedere ad sacramentũ pœnitentiæ cũ conscientia peccati mortalis:nec talis consequeretur peccatorum remissionem.Pro quo est aduertendum, quòd* contritio reuera nihil aliud importat,nisi dolorem de peccatis propter Deum,id est eo quod sunt offensiua Dei, cũ proposito cauendi in

di in futurum: nec quicquam aliud est de ratione contritionis reiectis, anxijs & subtilibus disputationibus, scolasticis parum in hanc rem conferentibus, & physicis potius quàm theologicis. Nec apud me dubium vnquam erit quin quicunque dolet de omnib⁹ peccatis suis absolutè, quia sunt offensiua Dei, proponit etiam omnino in futurum seruare omnia præcepta Dei: consequatur remissionē peccatorum, si nihil aliud sit quod impediat. Potest* vero esse talis dolor, qui non sit 9
contritio: quia aliunde impeditur, puta quia cum tali dolore perseuerat ex ignorantia in aliquo peccato, vt quia retinet alienum, vel manet in aliquo errore: vt hæretici, aut infideles, qui dolent quidem de peccatis suis, & propter Deum, & proponunt in futurum: sed talis dolor in eis nec est contritio, nec sufficit ad remissionem peccatorum: non quia requiratur maior: nec alius dolor, quam ille, sed quia tenetur ad aliud, quod non implent. Itaque ab extrinseco impeditur, ne ille dolor sufficiat, quod de se suf ficeret quidem. Vnde in nullo mutato dolore, sed solùm si talis alienum restitueret, aut dimitteret errorem, ille idem dolor esset contritio, quod in hac materia est commendandum memoriæ, ne in rebus ad salutem necessarijs descendamus ad dicendum, vel incredibilia, vel non intelligibilia.

Hoc

Hoc ergo præmisso, dico primo, Si is, qui accedit ad sacramentum pœnitentiæ, scit & aduertit se nullum habere dolorem peccatorũ præteritorum, quamuis habeat propositum in futurum, nõ consequitur remissionem peccatorum, imo peccat mortaliter.

Secundo, Si talis dolet quidem, sed intelligit se non dolere, quia sunt offensiua Dei, sed ob quãcunque aliam rationem, puta propter pœnas inferni: profecto etiam talis dolor non sufficit, quia ille non dolet se offendisse Deum, nihil autem refert quod doleat, si non doleat se offendisse Deũ: idem est enim ac si nullo modo doleret, & peccat mortaliter accedens sic ad sacramẽtũ pœnitẽtiæ.

Tertio, Quomodocunq; doleat, si omnino putat se adhuc esse in mortali, & non esse contritũ, non videtur etiam sufficere. & sic dico, quod accedere cum conscientia peccati mortalis ad hoc sacramentum, est peccatũ nouum, quia ponit obicem. Et hoc est probabile: non quia claues nõ sufficiant, sed quia virtualiter complacet in peccato qui non dolet, nec vult dolere se offendisse Deũ.

Quarto, Si putat se doluisse propter Deum, & proponit cauere in futurum, semper cõsequitur gratiam, nisi aliunde ponat obicem ad sensum declaratũ, puta quia perseuerat in aliquo peccato: non autem defectum doloris. Sed dices, Iam talis ante sacramentum consequeretur gratiam, quia

per te

per te ille dolor est contritio.

Propterea dico quinto cõstat qaliquis putet se dolere, quia peccata sunt offensiua Dei: & tamen reuera non ideo dolet, sed ob aliam causam. Quãuis enim videatur posse experiri aliquando se dolere: sed an doleat quia offendit Deum, profecto ignorari potest. Præuolat enim (vt ait Augu.) intellectus, sequitur tardus, aut nullus affectus. Et sic cõtingit, quod aliquis putet se dolere propter Deum, & non doleat, aut non propter Deum doleat, & in tali fit remissio peccatorum virtute clauium.

Sexto dico, & sequitur ex dictis, quod omnis ille dolor, & solus, sufficit ad remissionem peccatorum cum clauib⁹, de quo peccator existimat qꝑ sit contritio: id est sufficiens dolor, si non sit aliud impedimentum extrinsecum, vel sit tanta negligentia examinandi, vt rediret in naturam omissionis. Si enim quis nullam aduertentiam adhibere, aut considerationem ad examinandum statũ conscientiæ suæ, sed sic temere existimaret se sufficienter pœnituisse, idem est iudicium, ac si non pœnituisset. Sed si bona fide, facta probabili examinatione, putat se sufficienter pœnituisse, quãuis decipiant, cum sacramento pœnitentiæ, consequitur sine dubio remissionem peccatorum, & per hæc satis patet ad primum & tertium argumẽtum. Sed contra hanc determinationem arguitur

ad 1. et ad 3. arg.

C argumen-

argumento communi, Talis, qui existimat se sufficienter pœnituisse, vel habet ignorantiam vincibilem, vel inuincibilem, Si inuincibilē, ergo nō tenetur amplius dolere: ergo sufficienter fecit id ad quod tenebatur, ergo iam sunt ei remissa peccata, Si vincibilem, ergo accedens ad sacramentū cum tali peccato mortali, nō excusatur, ergo nō das hominem, qui recipiat primam gratiam in sacramento pœnitentiæ.

Respondetur dupliciter. Primò, quòd illa ignorantia est inuincibilis. Et cùm arguis, Ergo iā consequitur remissionem peccatorum: nego consequentiam, sed solùm sequitur, quòd non peccat de nouo per omissionem contritionis.

Secundò, & melius dico, quòd illa ignorantia est vinciuilis: & cùm infers. Ergo peccat accedēs, nego consequentiam. Non enim facit irreuerentiam sacramento, nisi qui scienter accedit in mortali. Sicut si quis celebraret sine ara, quantumcunque ignorantia esset crassa, non peccaret. Vel potest dici, quòd talis ignorantia est vincibilis respectu delectionis peccatorum, vel præcepti de contritione, si vllum est: inuincibilis autem respectu sacramēti. Nec hoc est mirabile. Aliqua enim ignorantia excusaret respectu vnius aliquando, quæ nō excusaret respectu alterius. Vt, exempli gratia, ignorantia, quę excusaret conferentem sacramentū in mortali, non excusaret recipientem

vt no

vt notum est: maior enim examinatio requiritur conscientiæ ad recipiendum Eucharistiam, quã ad conferendum, etiam si ad vtrũq; exigatur examinatio conscientiæ. Ad secundum argumentũ ad 2. respondetur, quòd cùm aliquis post contritionẽ accedit ad sacramentum pœnitentiæ, dico quòd verè absoluitur: sacerdos enim fert sententiam sufficientem ad ponendum hunc in gratia, etiam si non prius fuisset in gratia.

Ad quartum dico, quòd retinere est non remittere, & non est declarare, non esse remissa, vt ipsi volunt: potest enim contingere, quòd ex hoc solùm, quòd non absoluitur per claues, non remittantur peccata, vt expositum supra est. Et præterea cũ (vt in præsentia supponimus) quilibet peccator teneatur adire claues, remissio etiã, quæ fit in contritione, dependet à clauibus, imò fit virtute clauium, sicut gratia quæ data fuit ante passionem Christi fuit virtute passionis Christi. Ac demum vtcunq; sit, dato, q̃ retinere sit declarare, non oportet quòd remittere sit declarare. Nos enim solùm volumus, & dicimus verba accipi debere in sua propria significatione, vt remittere sit remittere, sicut retinere, retinere. Quod si retinere non potest aliter fieri nisi declarando, retinere erit declarare: sed remittere potest aliter esse, ideo etiã aliter accipiendũ est. Ergo ex hac disputatione constat potestatẽ ordinis habere efficaciã ad 4.

alicuius spiritualis effectus. Nec tamen volo dicere nullum alium ab isto habere posse: sed hunc esse potissimũ, & qui ex sacris literis testatior & notior sit: alioqui ex potestate ordinis, etiã sunt oẽs consecrationes episcoporum presbyterorum, in quibus effectus datur purè & verè spiritualis. Et hæc quidem quantum ad effectum potestatis ordinis. Restat vt etiam dicamus de potestate iurisdictionis, vtrũ scilicet excommunicatio sit effectus spiritualis, vel habeat effectum spiritualem. De quo latè dixi in quarto sententiar. in materia de clauibus.

QUAESTIO TERTIA.

Quo iure sit inducta potestas ecclesiastica.

SVMMA.

1 *Potestas ecclesiastica quo iure sit introducta.*

2 *Potestatis ciuilis & ecclesiasticæ differentia.*

3 *Potestas ecclesiastica, quod quantum ad aliquam partem sui habuerit ortum à iure naturali, vel positiuo*

4 *Potestas ecclesiastica, & spiritualis tota, quæ nunc residet in ecclesia, est de iure diuino positiuo mediate vel immediate.*

5 *Potestas spiritualis tota, quæ fuit in veteri lege, de iure diuino positiuo fuit.*

Pote-

6 *Potestatem totam in veteri lege iure diuino institutã potuit Israeliticus populus sua authoritate instituere, etiam si à Deo institua non fuisset.*

POstquam ex parte disputatum est de ipsa potestate secũdum se & de effectu, & fine illius in generali videtur operæpretium nos facturos, si de causa efficienti, & ortu ipsius potestatis ecclesiasticæ differamus. Sic enim per Arist. doctrinã probè hanc potestatem cognoscere poterimus, si causas illius cognoscamus omnes Postq̃ ergo disputatum est de causa finali, quę potissima est, agendum est de causa efficienti, & de authore huius potestatis. Quæritur * ergo quo 1 iure introducta est hæc potestas ecclesiastica?

Et sit prima propositio. Tota hæc potestas secundum suam amplitudinem non habet, nec potuit habere ortum à iure positiuo. Hæc est manifesta ex supradictis: habet enim plures effectus spirituales, qui excedunt humanam potestatem, vt est remissio peccatorum, gratia, consecratio diuinissimæ Eucharistiæ, & alia item quæ omnino totam humanam facultatem excedunt: ergo nõ potuit habere originem à iure humano, iuxta illud. Quis potest remittere peccata nisi solus Deus? Mar. 2. & bene dicebant eum blasphemare nisi esset Deus. Item Luc. 5. & 7. Quis est hic, qui etiam

peccata dimittit? Et cõfirmatur, Quia non potuit habere ortum à iure ciuili: quia (vt ostensum est) hæc potestas distinguitur a ciuili potestate: iusautem ecclesiasticum præsupponit iam potestatem constitutã, ergo non potuit potestas ecclesiastica habere ortum à iure positiuo. Secundò patet manifestè, quia Christus, qui est verus Deus, primus dedit claues regni cælorum. Matth. 16.

Secunda propositio. Nec potuit tota hæc potestas habere ortũ à iure naturali: patet ex eodem, quia hæc potestas habet effectũ supra totã naturam, ergo nec ius naturale potuit instituere hanc
2 potestatẽ. Vnde * differẽtia est inter potestatẽ ciuilẽ, & potestatẽ ecclesiasticã: quia potestas ciuilis habet ortũ à republica, quia est in finẽ naturalẽ reipublicæ: vt aliàs à nobis disputatũ est. Hæc autẽ potestas excellit nõ solũ priuatam singulorũ authoritatẽ, sed etiam totius mũdi: & licet ius naturale sit ius diuinũ, tamẽ non se extẽdit vltra limites naturæ, & sic non potest se extendere vsq; ad terminũ vel finẽ huius potestatis spiritualis. Et cõfirmatur. Quia cognitio naturalis nõ se extẽdit ad effectus huius potestatis: ergo nec ius naturale nec potestas naturalis. Itẽ cũ per hãc potestatẽ homo cõstituatur in esse gratiæ: si hæc potestas esset naturalis, homo ex naturalibus posset consequi gratiam: qui est error damnatus ab Ecclesia cõtra Pelagianos, & est etiam cõtra Paulum ad Roma.

ma.3.4.&.5.Iustificati ex fide.

Tertia propositio,Nihilominus* potestas ec- 3
clesiastica quantum ad aliquã partem sui potuit
habere ortũ à iure naturali,vel positiuo,id est quã
tum ad aliquos effectus,& actus huius potestatis.
Probatur,quia (vt supra dictum est) etiã stãdo in
iure naturali vtraq; potestas est necessaria in re-
publica. In solo enim iure naturali intelligi po-
test Deũ esse, & q remunerator est inquirẽtibus
se.Hoc nãq; apostolus dicit ad Rom.1. & philoso
phis manifestũ fuisse tradit, sempiternã quoque
Dei virtutẽ & diuinitatem. Ex quo etiã sequitur
Deũ esse à mortalibus colẽdũ, ergo etiã si nulla es
set ordinatio particularis à Deo,potuerunt in re-
publica aliqui deputari ad solã administrationẽ
cultus diuini, qui haberẽt prælationẽ & authori-
tatẽ sacrorũ,&talis potestas esset spiritualis,& nõ
ciuilis, sicut modò est de iure diuino.Imò hoc no
mine damnãtur ab Apostolo sapientes philoso-
phorum,quòd cùm cognouissent Deum, non si-
cut Deum glorificauerunt, sed mutauerũt gloriã
inuisibilis Dei, in similitudinem imaginis corru-
ptibilis hominis,& coluerunt,& seruierunt crea-
turæ potius,quàm creatori. Quare sicut humana
institutione legimusfuisse sacerdotia,põtifices,sa
crificia falsorum deorum apud gẽtes,eadẽ institu
tione potuerũt esse sacrificia & sacerdotia ad cul
tum veri Dei,& ea fuissetvera potestas spiritualis

distincta à potestate ciuili. Imò, vt statim dicemus, aliquando inter veros Dei cultores fuit talis potestas spiritualis, solũ humana authoritate introducta.

4 Quarta porpositio. Tota * potestas spiritualis quæ fuit in veteri lege, id est, post libertatem populi Israel ab Aegyptiorum seruitute, fuit de iure diuino positiuo. Hæc conclusio non aliter opus est vt probetur, quàm ex tenore & serie legis. Tota enim lex data est à Deo, de qua lege ad Galat. tertio. Lex data est per angelos in manu Mediatoris, & Matthæ. 15. loquens Christus Iudæis ait. Irritum fecistis mandatum Dei propter traditiones vestras, & loquitur de præcepto decalogi. Honora patrem tuum & matrem tuã, &c. Et Stephanus Act. 7. dicit, q̃ fuit data in dispositione angelorum. & q̃ Moyses accepit verba vitæ, vt daret populo, & Pau. Heb. 1. multifarie multisq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis, &c. & Manicheorum error fuit, quòd lex Moysi non esset lex Dei. Et hoc in ipsa lege frequenter dicitur, Si feceritis præceptum Domini, & mandata Domini custodieritis, & similia. Sed in ipsa lege continetur ordo & ratio totius cultus diuini per põtifices & sacerdotes & ministros, vt supra ostensum est, ergo tota potestas illa circa diuinum cultum, quæ sola erat potestas spiritualis, fuit iure diuino positiuo introducta. Et Exod. 24.

dicitur,

dicitur, quòd Moyses assumens volumen fœderis legit audiẽte populo, qui dixerũt, Omnia quę locutus est Dominus faciemus. & infrà ait Moyses, Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscũ. Quod Paul. Heb. 9. apertius retulit, Hic sanguis testamẽti, qđ mãdauit ad vos Deus.

Quinta propositio,* Totam potestatem instituta in veteri lege iure diuino potuit populus Israel sua authoritate instituere, etiam si à Deo instituta non fuisset. Hæc probatur ex tertia propositione. Nam cognito Deo, & maiestate diuina, vel per lumen naturale, vel per lumẽ fidei, potuit populus constituere pontifices, sacerdotes, sacrificia, & ceremonias ad cultum diuinum, licet fortassis non potuissent tot figuras & symbola futurarum rerum instituere, cum nec possent futura ita distinctè cognoscere, nec aptas & conuenientes figuras ad ea portendendum & designãdum instituere. Facit adhoc illud ad Heb. 9. Si enim sanguis hircorum, aut taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationẽ carnis, quãto magis sanguis Christi, ex qbus verbis constat veterẽ legem non mũdare nisi carnẽ. 5

Sexta propositio, Tota* potestas ecclesiastica & spiritualis, quæ nunc residet in ecclesia, est de iure diuino positiuo mediatè vel immediatè. Probatur, & declaratur hæc conclusio. Nam, vt infrà disputabitur, tota potestas ecclesiastica derivata 6

est ab Apostolis, sed Apostoli habuerunt potestatẽ à Christo vero Deo, & Domino. ergo tota potestas ecclesiastica est de iure diuino positiuo. Dixi autem mediatè vel immediatè, non solùm quia primò habuerunt Apostoli, & inde deriuata sit in successores: sed quia non nego quin ecclesia sit aliqua potestas ecclesiastica solùm de iure positiuo; vt dicam non multò post: sed ea ortũ habuit à potestate ecclesiastica, quæ est de iure diuino, qualis est potestas minorum ordinum, & fortasse aliqua alia, de qua statim. Et confirmatur authoritate Apostoli ad Ephes. 4. Vnicuique nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi, & ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Sed omnis potestas ecclesiastica vel est aliqua illarum ab Apostolo enumeratarum vel pendet ab illis ergo. &c.

QVANDO INCEPIT Potestas ecclesiastica.

SVMMA.

1 *Potestas aliqua spiritualis potuit esse in statu innocentiæ.*

2 *Pote-*

2 *Potestas spiritualis, statim post peccatum fuit in lege naturæ.*

3 *Potestas omnis spiritualis, quæ fuit in lege naturæ, licet potuerit esse solùm authoritate humana, tamen verisimile est vel quòd ex speciali reuelatione diuina, vel instinctu & monitione diuina fuerit cõstituta authoritas aliqua, & potestas spiritualis, & aliqua sacrificia & sacramenta, & aliæ ceremoniæ spectantes ad cultum diuinum, & ad salutem spiritualem animarum.*

4 *Potestas spiritualis, fuit aliqua in lege scripta.*

5 *Authoritas propriè, & perfectè spiritualis (quæ sunt claues regni cælorum) nunquam fuit in lege naturæ, nec in lege scripta ante nostri redemptoris aduentum.*

6 *Sacerdotes veteris legis, an haberent potestatem ferendi leges, & præcepta faciendi obligantia in foro animæ.*

7 *Potestas spiritualis, quæ fuit in veteri testamento, tota expirauit, & antiquata fuit in lege euangelica, nec amplius perseuerauit. Et sacerdotes noui testamenti non sunt successores illorum, sed omnino est noua potestas eorum.*

8 *Authoritas perfecta, & propriè spiritualis, tota incepit ab aduentu Christi, qui fuit primus author, & dator clauium, & potestatis spiritualis.*

9 *Christus quando claues dederit apostolis, variæ sententiæ recensentur.*

Suo

SVO ordine sequitur, vt quæramus, quando inceperit hæc potestas, ecclesiastica, vtrum ab initio mũdi. Et sit prima propositio, In* statu innocẽtiæ potuit esse aliqua potestas spiritualis. Probatur paucis. Non est dubitandum quin in statu innocentiæ fuisset cultus diuinus, non solùm interior, sed exterior. Cùm enim homo componatur ex anima & corpore, consentaneũ est, vt non solum anima & intellectu colatur Deus, sed actionibus etiam corporeis, & exterioribus, & hoc in omni statu. Est autem notandum q licet pro statu innocẽtiæ nõ fuisset aliquod dominiũ, & prælatio coerciua aut coactiua (in quo sensu dictũ est mulieri, sub viri potestate eris. Genes. 3. & multiplicato genere humano fuisset diuisio possessionum & rerum & principes) fuisset tamen potestas directiua, & gubernatiua, sicut fuissent etiam præceptores ad docendum, & instituẽdum adolescentes, ita etiam præpositi ad dirigendum in agendis: aliàs fuisset rerum cõfusio, & inordinatio de formis, si quilibet pro arbitrio suo diuersis moribus viueret, etiam si omnes rectè viuerent; & eadem ratione nõ fuisset decora respublica, si quilibet suo ritu Deum coleret, & non esset consensus & vniformitas in cultu diuino. Nullo modo igitur est dubitandum quin si status innocentiæ perseuerasset, fuissent cõstitutiones, &

ordina-

ordinationes, tum ad vitam ciuilē, tum maximè ad vitam spiritualem & cultum diuinum, & fuissent etiam præpositi, qui haberent curam rerum ordinandarum, & hæc potestas esset spiritualis, cum esset ad finem spiritualem, nec est imaginandū quòd omnino essent in initio sine aliquo exercitio, & opere exteriori.

Secunda propositio * Statim post peccatum fuit in lege naturæ potestas spiritualis. Probatur quia vt dicit S. Tho. secunda secundæ: Sicut pro omni ætate, & tempore fuit necessaria fides supernaturalis, ita fuit necessaria prouidentia ad supernaturalem finē, & opus fuit vt homines actiones suas dirigerent non solùm in finem naturalē & politicum, sed etiam in finem supernaturalem & spiritualem, & per consequens, vt esset etiā aliquis cultus Dei, qui est author, & dominus, à quo beatitudinem solùm sperare possumus. Sed sicut humana opera non possunt commodè ordinari in finem humanum, nisi in republica sint aliqui qui præsideant, & aliqui qui pareant: ita etiā non possent opera hominum conuenienter ordinari in illum finem supernaturalem, nisi ad hanc rem aliqui præficerentur, qui curam gererent deducendi homines in talem finem, & hæc est spiritualis potestas: ergo ea fuit statim à principio. Confirmatur; Semper fuit ecclesia, id est, cōmunitas spiritualis ordinata ad finem supernaturalē, sed

non

non est perfecta respublica sine magistratu & authoritate: ergo semper fuit talis potestas. Secundò probatur, quia Abel videtur fuisse sacerdos, cùm legatur de eo, quòd obtulerit sacrificium, & quidem deo acceptum. Genes. 4. & Heb. 11. vnde Augustin. lib. 5. ad Orosium, Tria maximè iustitiæ præconia in Abel fuisse cõprobantur, virginitas, sacerdotiũ, & martyrium, in quibus Christi figuram gesit. Tertiò probatur, quòd fuerit in lege naturæ vera potestas spiritualis, quia Melchisedec erat Dei sacerdos, Gen. 14. quem doctores dicunt fuisse Sem filium Noë: vnde etiã graues authores dicunt in lege naturæ primogenitos fuisse sacerdotes. Quòd autem fuerit verum sacerdotium, non solùm inde constat, q̃ Abraham benedictionem ab eo accepit, sed magis ex eo q̃ Christus dominus dictus est sacerdos, & pontifex secundũ ordinem Melchisedec. Psal. 109. & Heb. 6.

3 Tertia propositio, Licet* omnis potestas spiritualis, quæ fuit in lege naturæ, potuerit esse solùm authoritate humana, tamen verisimile est, vel q̃ ex speciali reuelatione diuina, vel instinctu & motione diuina fuit constituta aliqua authoritas, & potestas spiritualis, & aliqua sacrificia, & sacramenta, & aliæ cæremoniæ spectantes ad cultum diuinũ, & ad salutem spiritualem animarũ. Prima pars patet ex supradictis, qa (vt statim declarabo) ante aduentum domini nullus fuit effectus

non

ctus alicui⁹ potestatis, quia reuera excederet humanã facultatẽ: ergo tota potestas spiritualis potuit authoritate humana constitui, & si aliquod erat sacramentum ad delectionem peccati originalis, illud non indigebat authoritate diuina. Et quia reuera nullam efficaciã habebat, nisi in quãtum erat testimoniũ fidei: & quia nullum certum signum erat de iure diuino contra originale, sed quæcunq; protestatio fidei satis erat saltem de iure diuino, in humano statuto, vel consuetudine credendum est fuisse certũ aliquem ritum ad purgationem peccati originalis. Secũda pars probatur, quia si fides semper fuit necessaria, & nũquã defuit in quacunq; ætate (vt dictum est) maximè videtur reuelatio facta de ratione colendi Deum quæ potissima pars est veræ religionis, & vitæ fidelis. Et confirmatur, quia cùm dominus ita diligenter in veteri lege rationem instituerit diuini cultus, tot sacerdotia, ministeria, solennitates, ceremonias, non est credendum cessasse omnino ante legem, quin cultores suos vel reuelatione, vel interiori aliquo motu instruxerit quomodo piè & religiosè ipsum colerent, licet non sit dubitandum, quin fuerit multò simplicior cultus, quàm in lege scripta.

Quarta propositio, In* lege scripta certum est 4
fuisse aliquam potestatem spiritualẽ. Hæc propositio nota est authoritate legis ipsius, vbi tã mul-

ta tradita sunt de sacerdotio, & ministerio spirituali. Sed quòd fuerit propriè & verè potestas, & dignitas spiritualis, patet primùm ex authoritate illa Pauli Heb. 7. Translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat. vbi Pau. ex professo cõtendit probare sacerdotium Christi esse præstantius sacerdotio veteris legis. Frustra autem insumeret operam illam, si illud sacerdotium nõ fuisset verum sacerdotium, id est, authoritas, & potestas spiritualis. Item post institutionem regũ perseuerauerunt sacerdotes, vt patet de Samuele. 1. Reg. 10. Ergo sacerdotium erat potestas distincta à potestate ciuili, ergo spiritualis. Item de Caipha dicit euangelium Iohan. 11. quòd cùm esset pontifex anni illius, prophetauit. Ex quo omnino videtur, quòd pontificatus ille esset vera dignitas, & authoritas spiritualis.

5 Quinta propositio, His non obstantibus dico, quòd authoritas * propriè & perfectè spiritualis, quæ sunt claues regni cælorum, nunquã fuerunt in lege naturæ, nec in lege scripta ante aduẽtum redemptoris & Domini nostri Iesu Christi. Probatur primò. Regnum cælorum post peccatum primorum parentum semper fuit clausum ante aduentum Christi. ergo ante aduentum eius non fuerunt claues, vnde ipse solus dicitur habere claue Dauid, qui aperit, & nemo claudit. Apoc. 3. Secundò probo, quia totum sacerdotium veteris

legis

legis cum omnibus suis sacrificijs, oblationibus, & sacramentis, non poterat dare gratiã, quia non iustificabat, vt Paul. Rom. 3. dicit. Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. & Galatas. 2. Si ex lege iustitia, ergo Christus gratis mortuus est. Et Heb. 9. Sanguis hircorum, aut taurorũ, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis. Et in alijs varijs locis non solùm testatur, sed probat. Ergo nec illi sacerdotes habebant claues, nec erat in eis vera potestas spiritualis. Vnde dico, quòd nullum effectum purè spiritualem poterant conferre, sed omnia erant temporalia, & materialia, signum dũtaxat, ac figurã rerum spiritualium, & sacerdotes leuitici habebant solùm claues, & curam templi materialis: vnde nec remittebant peccata, nec aliquam potestatem purè spiritualem habebant, sed omnia, quæ gerebantur, erant media ordinata ad gratiã nouæ legis: ideo illa potestas erat spiritualis, sed longè aliter quàm potestas ecclesiastica in lege euangelica.

Vtrum* autem sacerdotes veteris legis haberẽt 6
potestatem ferendi leges, & præcepta faciendi obligantia in foro animæ, dubitari certè potest. Cùm enim in veteri lege præter moralia præcepta Dominus tot iudicialia & ceremonialia præcepta tradiderit, vbi omnia circa cultum diuinũ tã distinctè, & speciatim erant instituta: non erat

opus præceptis, aliâs creuisset obligatio in immẽ sum, vt nõ solùm grauis, sed intolerabilis esset. In lege autem euangelica, quam Dominus pauciſsimis præceptis generalib⁹ in libertate reliquit, necesse fuit, vt apud pontifices maneret authoritas ferendi leges vtiles, & acõmodas ad gubernationem rerum ſpiritualiũ: ſed cùm non obſtantibus iudicialibus præceptis ipſius legis nihilominus apud Reges maneret poteſtas condendarũ legũ: itidem videtur dicendum de ſacerdotibus veteris legis, quòd habebant authoritatem faciendi præcepta, & leges, vel ſaltem vim coactiuam ad inſtituendum miniſtros, & leuitas, & pro tempore cogendi ad ſacrificia, & oblationes, & reliqua, quæ erant legis & diuini cultus (hoc enim eſt habere authoritatem & eſſe põtificem) & prȩcepta eorũ obligarent non minus quàm præcepta Regũ. Et quòd eſſent aliqua præcepta, vel inſtituta eorũ, videtur ex eo loco Matth. 15. Irritum feciſtis mãdatum Dei propter traditiones veſtras. vbi Chriſtus videtur dicere, quòd erant vera mandata. Et confirmatur ex Deutero. 17. vbi de ſacerdote leuitici generis dicitur, Qui autẽ ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum ex Iſrael. Vnde videtur, quòd tenerentur ei obedire etiã ſub peccato mortali: non enim pœna mortis pro mino-

re

re delicto inferebatur. Et quòd reuera essent præcepta humana, Matth. 23. Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi: omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite, secundum opera vero eorum nolite facere: alligant autem onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Non videtur autẽ loqui de præceptis legis, quæ non dicerentur importabilia, cùm essent præcepta sapientiæ diuinæ, quæ disponit omnia suauiter. Ergo erãt præcepta pontificum, & sacerdotum. ita glossa dicit, licet Chrysostomus totum referat ad legem.

Sexta propos. Potestas * spiritualis, quæ fuit 7
in veteri testamento, tota expirauit, & antiquata est, nec perseuerauit in lege euangelica: nec sacerdotes noui testamenti sunt successores illorum, sed est noua potestas omnino. Probatur. Quia potestas euangelica deriuata est tota à sacerdotio Christi. sed Christus non fuit sacerdos secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinẽ Melchisedec. Heb. 7. vnde & Paulus infrà probat esse aliam legem, quia est aliud sacerdotium. Ergo omnino illud sacerdotium perijt. Item Dani. 9. In dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificiũ & erit in templo abominatio desolationis.

Septima ꝓpositio, Perfecta * authoritas & ꝑ- 8
prie spiritualis, tota incepit ab aduentu Christi,

qui fuit primus author & dator clauium, & potestatis spiritualis,& qui propria authoritate poterat conferre gratiam,& peccata remittere per potestatem excellentię.Marc.2.& Luc.7.& Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.Et illam potestatem licet nō eodem modo,sed determinatam,& aliquo modo alligatā sacramētis, reliquit in ecclesia sua,patet Matth. 16. &. 18. & Iohan.20.&.21.1.Cor.5.2.Corin.2.Heb.13. Obedite præpositis vestris,& subiacete eis.Item Luc. 22.Hoc facite in meam commemorationem.

Quando autem dederit claues,non omnino inter doctores satis conuenit & Armachanus quidem lib.11.c. 14.&.15. de quæstionibus Armen.dicit,quòd non est data potestas in aliquo loco, ex omnibus supradictis, & quidem quòd non, Iohan.20.Quorum remiseritis peccata,&c.probat. quiaActuum.1.dicit Petrus ad apostolos de Iuda Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius. & inducit prophetiam, Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui habitet in ea,& episcopatum eius accipiat alter,& statim orantes dixerunt, Tu domine, qui nosti corda filiorum hominum,ostende quem elegeris ex his duobus vnum accipere locum ministerij huius,de quo præuaricatus est Iudas.Ex quo(inqt) videtur constare, quòd Matthias non habuit nisi quod amisit Iudas. Ergo tota potestas data fuit

ante

ante resurrectionem. Item Iohã. 20. dicitur, quòd Thomas vnus de duodecim non erat cum alijs apostolis, quando venit Iesus, & dixit, Quorum remiseritis peccata, &c. Ergo Thomas nõ habuisset pòtestatem. Item Marc. 6. dicitur, quòd vngebant ægros oleo. hoc autem spectat ad presbyteros, vt patet Iaco. 5. Ergo ante resurrectionem fuerunt presbyteri. imò ex eodem habetur, quòd ante cœnam dominicam. Item probatur quòd nec Matth. 16. nec. 18. fuerit data potestas. Probatur, quia potestas ordinis tota simul datur: aliâs ordo non esset vnum sacramentum, sed plura. Sed in cœna acceperũt apostoli potestatis ordinis secundum aliorum sententiam, quo ad cõsecrationem corporis Christi. ergo antea non habebant claues, quia ista dantur simul. Et ideo Armachanus putat, q̃ tota potestas data est Mar. 3. quando instituit eos apostolos. Legitur enim quòd ascendens in mõtem, vocauit ad se quos voluit ipse, & venerũt ad eum, & fecit vt essent duodecim cum illo, & vt remitteret eos prædicare, & dedit eis potestatem curandi infirmitates & eijciendi dæmonia. Sed ad authoritatem apostolatus spectãt claues tam ordinis quàm iurisdictionis. Ergo tũc acceperunt totam potestatẽ. Et posset confirmari, quia Paulus non legitur accepisse aliam potestatẽ nisi apostolatus: quia nõ legitur nisi q̃ à Christo domino missus est ad prædicandum, & portã

dum nomen domini coram gentibus. Actuum. 9. Sed tantũ receperunt apostoli Mar. 3. Sicut Paulus ergo. &c. Et ipse solùm vocat se electũ apostolum: ab apostolis autem nihil accepit, vt ipse testatur, dicens quòd qui videbantur esse aliquid, nihil illi cõtulerunt. Gal. 2. Et ibidem, Qui operatus est Petro in apostolatũ circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Sed Paulus habuit omnem potestatem: ergo quando facti sunt apostoli, receperunt totam potestatem spiritualem.

9 Ad hoc dubiũ primò non * magni refert quando apostoli acceperint claues, ante passionẽ vel post, modo constet eos accepisse, sicut ex euangelio notũ est. Secundò probabile est eos accepisse claues, & potestatẽ, nõ simul, sed per partes: itaq; videtur accepisse potestatem iurisdictionis in foro exteriori, Matt. 18. Et ordinis, quantũ ad consecrationem corporis Christi, Luc. 22. claues verò in foro interiori, Iohan. 20. Primatum autem, & plenitudinem potestatis videtur Petrus accepisse Iohã. 21. Pasce oues meas. & quod Armachanus ait, si non simul acceperunt totam potestatẽ, fore, vt non esset vnum sacramentũ ordinis, non necesse est. Quãquam enim Christus potestatem clauiũ non simul totam nec vno loco dederit: non ideò tamen consequitur, vt etiã põtifices possint eam authoritatẽ diuidere, sed totam simul tribuunt, & vno ordinis sacramẽto: nec fortasse possent diui-

sim

sim tradere. Vel fortè satius esset dicere, quicquid ante resurrectionē à Christo de hac potestate dictum, aut factū fuerit, totum intelligi debere in futurū, id est post resurrectionē. Sicut enim Matth. 16. fuit tantum promissio clauium, vbi omnia in futurum signantur, Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorū. ita videtur institutio in futurū facta Matth. 18. & sic Apostolos nullas habuisse claues ante illa verba, Accipite spiritum sanctum, quorū remiseritis peccata, &c. Certè puto ante resurrectionē non potuisse Apostolos exercere iurisdictionem etiā in foro interiori, & dubito an potuissent cōsecrare corpus Christi: quāquā de hoc probabilius videtur q̄ potuerint: sed oppositū nō est improbabile, nihil tñ certi de hoc haberi pōt, nisi q̄ habuerūt à Christo claues & potestatē omnē spiritualē.

VTRVM POTESTAS SPIRItualis sit supra potestatem ciuilem.

SVMMA.

1 *Potestas spiritualis, præstātior, & eminētior potestate temporali, ostenditur.*

2 *Papa, an sit orbis dominus.*

3 *Potestas temporalis non dependet à summo pontifice, sicut aliæ potestates spirituales inferiores, &c.*

4 *Potestas ciuilis non est subiecta potestati temporali papæ, tanquam domino temporali.*

5 *Papa non habet iudicare, saltem via ordinaria, de causis principum, aut regnorum titulis, nec potest ad eum appellari in causis ciuilibus.*

6 *Papa, non habet potestatem deponendi principē secularē, etiā ex iusta causa ratione authoritatis tēporalis.*

7 *Papa an habeat confirmare, infirmare q, leges ciuiles.*

8 *Potestas merè temporalis an ulla sit in papa, videlicet quæ ad finem ordinetur temporalem.*

9 *Potestas temporalis, non dependet à spirituali omnino comodo, quo ars, siue facultas inferior dependet à superiori,*

10 *Potestas ciuilis, aliquo modo subiecta est, non potestati temporali summi pontificis, sed potestati spirituali.*

11 *In ecclesia est aliqua potestas, & authoritas tēporalis in toto orbe.*

12 *Papa, in ordine ad finem spiritualem habet amplissimam potestatem temporalem supra omnes principes, & reges, & imperatorem.*

13 *Potestas temporalis in summo pontifice, qualiter intelligatur.*

14 *Papa, an, & quando esset audiendus rege contradicente, & quando non, in his, quæ ad aliquam legem ciuilem, aut administrationem temporalem attinent.*

15 *An Christus totius orbis fuerit dominus.*

16 *An Christus fuerit rex hæreditaria successione.*

17 *An Christus, dono dei habuerit dominium temporale quale est dominium principum.*

18 *Christi regnum in toto orbe, quo titulo fuerit.*

Differi-



Isseruimus.quanquam non pro rei dignitate, sed tamen pro temporis & ingenij nostri angustia , de potestate spirituali in genere, & de fine ipsius,&origine siue authore,visus sum mihi non abs re facturus,si priusquã descendamus ad disputandum de subiecto ipsius potestatis,aliquid tractauero de comparatione potestatis ciuilis & spiritualis inter se, & duas potissimũ quęstiones cõstitui disputare. Alterã,an potestas ciuilis sit subiecta spirituali potestati . Alterã An e contrario ecclesiastici sint subiecti potestati ciuili, nam vtraque quæstio in vtranq; partem assertores & defensores non paucos, nec postremi nominis habet.Est ergo quæstio.An potestas spiritualis sit superior ad potestatem temporalẽ,aut ciuilem. Et quia,vt in præsentia supponimus, & infra probaturi sumus,papa est princeps summus in tota potestate ecclesiastica:quęritur,vtrùm papa sit superior ad oẽs principes &potestates tẽporales nec reuoco in disputationẽ:vtra exduab⁹ potestatib⁹ sit perfectior.Est enim incõfesso,spũalẽ* esse longè præstantiorem,& eminentiorem,& supremæ dignitatis. Facultates enim sicut & artes, & potentiæ æstimandæ sunt ex fine, sicut & oĩa alia,quæ ad finem sunt. Finis autẽ potestatis spiritualis longè excellit finem temporalis potestatis,quantum scilicet perfecta beatitudo,&vltima

1

felicitas excellit humanam, aut terrenã felicitatẽ? Et vt ait Innocentius in.c.solitæ.de maio.& obedienti. Spiritualia tanto temporalib⁹ sunt digniora, quanto anima præfertur corpori. Et Hebr. 7. Apostolus probat dignitatem sacerdotij euangelici ex eo, quòd Melchisedec, qui erat Dei sacerdos, benedixit Abraham. Gene. 14. Sine controuersia autem maior est qui benedicit, quàm qui benedicitur. Abraham verò erat princeps temporalis, aut personam gerebat temporalis potestatis. Omnino igitur maior & augustior est potestas spiritualis temporali, atque adeò maiori cultu & obseruantia prosequenda. Ergo omissa hac cõparatione ad aliam transeamus, Vtrùm scilicet * papa sit superior potestate ciuili iurisdictiõe & authoritate. Et quidem sunt qui tanto studio, & fauore pontificum feruntur, vt putent Reges & alios principes temporales non esse nisi vicarios, aut legatos Romani potificis, vt ministros potestatis papalis, & quòd omnis potestas temporalis deriuetur à Romano pontifice. Alij ecõtrario ita eximunt principes à potestate ecclesiastica, vt nihil penè integrum relinquant ecclesiasticæ potestati, sed omnes causas etiam spirituales velint deferri ad iudicium ciuile, & illic terminari. Nos inter vtrosq; vtramq; potestatem temperantes aliquot propositionibus quæstioni propositæ respondebimus.

pri

Prima propositio, Papa * non est orbis domi- 2
nus. Probatur Matt. 20. & Luc. 22. Scitis quia prin
cipes gẽtiũ dñantur eorum, & q̃ maiores sunt po-
testatẽ exercẽt inter eos, nõ ita erit inter vos, & sta
tim, Filius hominis nõ venit ministrari, sed mini-
strare, & animã suã dare in redẽptionẽ pro multis
In quo loco videtur, Dñs discipulis vetuisse, ne
etiã priuati vellẽt dñari, tãtũ abest, vt eis orbis po
testatẽ tradiderit. Quẽ locũ Bernar. inducit de cõ
sidera. ad Eugeniũ lib. 2. dicens. Nã quid tibi aliud
dimisit. S. Apostolus? Quo dautem, inquit, habeo,
hoc tibi do. Quid illud? vnũ scio, nõ est aurũ, nec
argentũ. Esto, aut alia quacunq; ratione hæc tibi
vendices, sed nõ apostolico iure: nec enim ille ti-
bi dare, quod non habuit, potuit: quod habuit de
dit, solicitudinem (vt dixit) super ecclesias. Nun-
quid dñationem? ipsum audi. Non dominãtes, in
quit, in clero, sed forma facti gregis, & ne forte pu
tes sola humilitate dictum, non etiam veritate
vox domini in euangelio est, Reges gentium do-
minantur, &c. Planè apostolis interdicitur domi
natus, Quomodo ergo tu & tibi vsurpare audes
aut dominans apostolatum, aut apostolus domi-
natum. Planè ab alterutro prohiberis: si vtrumq;
simul habere voles, perdes vtrũq;, alioqui nõ te ex
ceptum illorum numero putes, de quibus queri-
tur Deus sic. Ipsi regnauerunt, & non ex me, prin
cipes extiterunt, & non cognoui eos forma apo-
stolica

stolica hæc est, Dominatio interdicitur, indicitur ministratio. Et infra. Exi in agrum, ager mundus est, exi non tanquam dominus, sed tanquam villicus. Item papa fatetur se recepisse dominiũ aliquarum terrarum ab imperatore. 12. q. 1. c. futurũ. Itẽ patet. 96. dis. c. Cũ ad verũ. Cũ adverũ vẽtũ est, inquit Pontifex vltra sibi nec imperator iura põtificatus, nec pontifex nomen Imperatoris sibi arripuit. Præterea papa non habet dominiũ in terris infidelium, quia non habet potestatem nisi intra Ecclesiam: de his enim quæ foris sunt, nihil ad eum, secundum Apostolum. 1. ad Corin. 5. & infideles sunt verè domini, cum Apostolus Roma. 13. præcipiat eis pendi tributum etiam à fidelibus & dicit eos habere potestatem à Deo, & obediendũ esse legibus eorum, & tamẽ illi non habent dominium à papa: quia certè ipse nollet eos habere, & dat operam ad euertendum imperium paganorũ ergo non est dominus orbis. Ex quo patet error multorum iurisconsultorum, vt Archidia. Parnormita. Sylvest. & multorum aliorum, qui putant, quòd papa est dominus orbis propriè dominio temporali, & quòd habet authoritatem & iurisdictionem temporalem in toto orbe supra omnes principes. Hoc ego non dubito esse manifestè falsum, cùm tamen ipsi dicant esse manifestè verum ego puto esse merum commentum in adulationem & assentationem pontificum, vnde & cordatiores

tiores iurisconsulti oppositũ tenẽt, vt Ioan. And. & Hugo, nec S. Th. qui fuit studiosissimus autho ritatis põtificiæ, hoc dominium vnquam tribuit summo pontifici. Patet etiam secundò, esse nõ solùm falsum, sed ludibrio dignum, quòd ijdem dicunt in donatione facta Syluestro à Constanti no, si qua fuit: vel in posteriori à Philippo Augusto, non fuisse factam donationem, sed restitutionem: imò econtrario Syluestrum donasse Constã tino imperium orientale propter bonum pacis. Et similiter quòd papa non vtitur administratio ne tẽporali in toto orbe Christiano: hoc, inquiũt non esse propter defectum authoritatis, sed propter nutriendum in filijs vinculum vnitatis & pa cis. Certè hoc nullum habet fundamentum in scri pturis, nec vsquam legimus hanc potestatem datam Apostolis à Christo, nec ipsos ea vsos, nec, do cuisse se habere aliquod tale dominiũ: nec ipse pa pa vnquam agnouit hanc potestatem, imò oppo situm testatur in multis locis, ex quibus aliqua ad ducta sunt, & apertè doctissimus Innocentius in cap. pervenerabilem, qui filij sint legitimi. dicit se non habere potestatem in temporalibus supra re gem Franciæ.

Secunda propositio, Potestas * temporalis 3
non dependet à summo pontifice sicut aliæ pote states spirituales inferiores, puta sicut episcopa- tus, aut curatus, aut aliæ potestates spũales: Proba

tur

tur ista ex prima, Quia episcopis & inferioribꝰ potestatibus ipse dat potestatẽ & authoritatẽ certo modo, vt infra disputabitur, sed regibus, & principibus nullã dat potestatem, quia nemo dat quod non habet, ipse autem non est dominus, vt probatum est. Ergo nec potest dare dominium, & per consequens nec facere reges, nec principes temporales, dico per potestatem temporalẽ. Hoc etiã probatum est in præcedentibus per cõfessionem ipsorum summorum pontificũ. Et probatur etiã ratione. Quia potestas tẽporalis erat ante claues ecclesiæ: erãt enim principes veri & domini temporales ante aduentum Christi, nec Christus venit tollere aliena, non enim eripit mortalia, qui regnat ad cęlestia, nec ecclesia idinget hoc dominio Ista propositio nõ omnino est eadem cum prima quia fieri posset, vt ad papam spectaret constituere reges, licet non esset ipse dominus, sicut dat dominium, & titulum, ad præbendam, & bona temporalia, quorum non est dñs propriè: vt pro certo nũc suppono, & sicut imperator facit, & instituit duces, quãuis nõ sit propriè dominus illius ditionis, quia non posset sibi reseruare. Sed dico, quòd nec hoc modo papa est supra reges, & principes, quòd institutio eorum, vel fuerit, vel posset esse à summo pontifice, nec dubito plus de ista, quàm de prima conclusione licet etiam assertores alterius partis communiter dicant, quòd papa instituit

tuit omnem potestatem temporalem tanquã delegatam,& subordinatã sibi,& quòd ipse constituit Constantinum imperatorem:sed totum hoc est fictitium, & sine quacunque probabilitate, nec innititur,vel ratione, vel testimonijs, vel Scripturæ, vel saltẽ alicuius ex patribus,vel verè theologis. Sed glossatores iuris hoc dominium dederunt papæ,cùm ipsi essent pauperes,rebus & doctrina. Item dominia priuata non dependẽt à papa:ergo nec publica, & vniuersaliora. Antecedẽs notum est.

Tertia propositio,Potestas * ciuilis nõ est sub 4
iecta potestati temporali papę,nõ dico autem,ꝙ non sit subiecta papæ, quia certum est omnes potestates esse subiectas papæ ratione potestatis spiritualis: quia omnes sunt oues, & ipse est pastor. Sed dico non esse subiectam ei tanquam domino temporali. Hæc propositio differt à prima & secunda. Quia licèt non esset dominus orbis, nec haberet instituere dominos: posset esse superior sicut Imperator est superior aliquibus Regibus,& tamen nec est dominus regnorum, nec instituere habet regesin illisprouincijs,vel sicut rex Frãcorum proximis temporibus erat superior ad comitem Flandriæ, & tamen nec erat propriè dominus,nec instituebat comitẽ:imò Rex est supra omnes priuatas personas regni,& tamen non facit eos dños rerũ suarũ. Dico ergo,quòd nec hoc

modo

modo principes, aut reges subijciuntur papę. Ista non indiget probatione, patet enim ex præcedē-tibus. Sed potest confirmari, Quia respub. tempo ralis est respublica perfecta, & integra, ergo non est subiecta alicui extra se, aliàs non esset integra, ergo potest sibi constituere principem nullo mo do, in tēporalibus alteri subiectū. Itē tēpore quo fuerunt reges, & sacerdotes in populo Israel, non legimus, quod sacerdotes haberent tale dominiū Vnde ergo cū in scriptura nihil habeatur de hac potestate ortum habuit hæc potestas? Et validis-sima probationum omnium est, Quia non proba tur aliquo modo hæc temporalis potestas in sum mo pontifice, ergo non habet illam. Item quare episcopus non haberet illam potestatem tempo-ralem in suo episcopatu? Et tamen authores & de fensores huius potestatis in papa nihil huiusmo-di tribunt episcopis? Ex his propositionib⁹ sequi
5 tur corollarium manifestè, quod * papa non ha-bet iudicare saltem via ordinaria de causis princi pum, aut iurisdictionum, & regnorum titulis, nec potest ad eum appellari in causis ciuilibus. Hæc patet ex dictis quia si non est dominus, nec supe rior, non est quare ad eum appelletur, & dico pa-pam non habere hanc potestatem non solū quā-tum ad vsum, & executionem, sed nec quantū ad authoritatem. Qui enim sunt defensores tempo-ralis potestatis in papa, fatentur quidem papam

non

non haberevsum & executionem ordinariam huius potestatis: sed hoc nõ defectu authoritatis, sed quia ipse dedit, & transtulit potestatem & vsum eius in principes. Ego vero dico ipsum nec haberevsum nec potestatẽ, & ideo nec ad ipsum spectare iudiciũ causarum temporalium, nec in prima instantia, nec in gradu appellationis. Dico verò ordinariè: nõ enim nego, quin in casu possit haberi recursus ad papam, & quòd ipse possit rescindere iudicium ciuile. Sed hoc nõ ratione potestatis temporalis, sed ratione spiritualis præcise, vt statim dicturus sum. Hanc conclusionem confitetur Alexander papa tertius in cap. causam. 2. extra Qui filij sint legitimi. Nos attendentes, quòd ad regem pertinet, non ad ecclesiã de talibus possessionibus iudicare, ne videamur iuri regis Anglorum detrahere, qui ipsarũ iudicium ad se asserit pertinere, fraternitati vestræ mandamus, quatenus regi possessionum iudicium relinquentes, &c. Et Bernardus ad Eugenium, In criminibus inquit, nõ in possessionibus potestas vestra: propter illa si quidem has accepistis claues regni cælorũ. & infra, Habent hæc infima terrena iudices suos & principes terræ. Idã Innocentius tertius in. c. nouit. de iudicijs. Nõ enim intẽdimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum, scilicet, regẽ spectat iudicium Sequitur. Secundò, q* ipse nõ habet potestatẽ de 6 ponẽdi principẽ secularẽ, etiam ex iusta causa, eo

modo quo potest deponere episcopum. Hoc sem per intelligo, ratione authoritatis tẽporalis: quia per potestatem spiritualem, & in casu, secus est, vt postea dicam. Hoc corollarium patet ex dictis

7 Sequitur tertiò, quòd * nec habet cõfirmare, nec potest infirmare leges ciuiles. Patet ex dictis, quia si potestas ciuilis non dependet ab eo, ergo nec actus potestatis ciuilis.

8 Quarta propositio, In * papa nulla est potestas merè temporalis. Declaro hanc. Potestas ciuilis, & temporalis est, quæ habet finem temporalem: spiritualis est, quæ habet finem spiritualem. Dico quòd in papa nulla est potestas, quę ordinetur ad finem temporalem, quæ est merè temporalis potestas. Ita tenet Caiet. in apolo. 2. parte. c. 13. ad octauum argumentum. Probatur, Quia vt supra dictum est, potestas spiritualis distinguitur à tẽporali ex fine, quia potestas spiritualis tendit ad finem spiritualem, sed summus pontifex non est nisi persona, vel sacerdos, in quo est summa potestas ecclesiastica: ergo non habet potestatem, quę habet finem temporalem. Et cõfirmatur, Sine aliqua potestate purè temporali esset summus pontifex, qui haberet summã potestatem ecclesiasticam: ergo non est ponenda in eo aliqua potestas temporalis. Confirmatur secundò, Necessitas & ratio rerum sumenda est ex fine, sed nullus finis est ponendi hanc potestatem, ergo. Et quamuis

in-

inter defensores alterius sententiæ sint aliqui de numero Thomistarum tamen puto. Sanct. Thomam esse huius sententiæ, tum quia, vt dictum est, cũ fuit studiosus fautor põtificiæ partis nunquam tamen huiusmodi potestatem tribuit papæ, tum maximè, quia vt infrà dicemus secundum Sanctum Thom. ecclesiastici sunt exempti à tributis, priuilegio principũ secularium. Quòd si papa est Dominus temporalis, vt isti autumãt, & Reges habent imperium ab ipso, nõ erat opus priuilegio principum ad exemptionem ecclesiasticorum.

Quinta propositio, Temporalis* potestas non 9
dependet à spirituali omnino, eo modo quo ars, siue facultas inferior dependet, à superiori vt frænorum arsinseruit equestri fabrilis nauticę, armorum militari. Hanc posui propter doctores qui hanc comparationem ponunt inter istas duas potestates. Probatur, Potestas ciuilis nõ est præcisè propter spiritualẽ, sed arsinferior est prę̃cisè propter superiorem. ergo comporatio non est omnino similis. Antecedens pro vtraque parte patet. Nam si non esset militaris, nõ esset armorum ars, nec frænorum, nisi esset equestris. Sunt enim oẽs huiusmodi organicæ, id est instrumentales artes: cessante autẽ fine, nullus est instrũmẽti vsus, imò nullum esset instrumentum. Nõ sic autem est de potestate ciuili in ordine ad spiritualem. Dato

enim quòd non esset aliqua potestas spiritualis, nec aliqua beatitudo supernaturalis, esset aliquis ordo in temporali repub. & esset aliqua potestas sicut est in rebus naturalibus, etiã irrationalibus, inter quas aliqua agunt, alia patiuntur propter bonum duntaxat vniuersi, ergo magna est differentia. Non est ergo sic intelligendum, quòd vna dependet ab alia, quòd sit præcisè propter illam vel tanquam instrumentum eius, vel tanquã pars illius: sicut potestas prætoris, est pars regiæ potestatis, sed est integra & perfecta potestas in se, & propter proprium finem immediatè: sed nihilominus est aliquo modo, vt supra dictum est, ordinata ad potestatem spiritualem. Et confirmatur Quia ex sententia meliorum philosophorum, vir fortis deberet ponere vitam pro repub. etiã si non esset aliqua felicitas post hanc vitam. Ergo adhuc maneret respubli. secluso fine spiritualis potesta tis, & per consequens maneret aliquis ordo principatus, & subditorum, sinequo non esset propria respublica.

Sexta propositio. His non obstantibus, pote-
10 stas * ciuilis aliquo modo subiecta est, non potestati temporali summi pontificis, sed potestati spirituali. Probatur. Quia si finis alicuius facultatis dependet à fine alterius facultatis: ergo etiam facultas dependet à facultate. 1. Ethico. Hanc comparationem ponit sanctus Thom. secunda secun

dę

dæ quæstio.40.artic.3. ad tertium.Sed finis tẽporalis potestatis dependet à fine spiritualis aliquo modo:ergo etiam potestas ciuilis à spirituali.Assumptum probatur. Quia fœlicitas humana est imperfecta, & ordinatur in beatitudinem supernaturalem tanquam in perfectam,sicut ars armorum fabricãdorum ordinatur in militarem & imperatoriam,& fabricandi nauem in nauticã & fabricandi vomeres in agriculturã,& sic de alijs.Itaque non oportet imaginari,quòd potestas ciuilis & spiritualis sint sicut sunt duæ respublicæ disparatæ & differentes,vt Gallorum,&Anglorum.Et cõfirmatur hoc & declaratur,Si enim administratio ciuilis esset in detrimentum administrationis spiritualis, etiam si ad finem proprium ciuilis potestatis esset commoda administratio: tamen teneretur Rex,aut princeps mutare huiusmodi administrationem (vt statim probaturus sum.) Ergo ciuilis potestas est subiecta aliquo modo potestati spirituali.Sed cõtra,Quia etiã si administratio spiritualis noceret reipub.teneretur pontifex mutare.Respondetur. Non est verum,si esset necessarium,vel valde vtile, & tamen etiam si perirent bona temporalia,deberẽt poni pro spiritualibus in necessitate,vel magna vtilitate.Nec valet dicere, quòd licet hoc sit verum, tamen hoc non est, nec ratione subiectionis,aut dependentiæ, sed quia finis spiritualis potestatis est per-

fectior, quã ciuilis, & ideo ex ordine charitatis debet præponi bonum spirituale bono temporali, hoc, inquam, non valet. Nam si potestas temporalis non aliquo modo subijceretur spirituali, & ordinaretur ad illam, dato quòd bonum spirituale esset maius, non inde nasceretur obligatio ad conseruandum bonum spirituale cum detrimento boni temporalis. Probatur, Nam gubernator vnius reipub. non tenetur, imò non debet cõseruare bonum alterius reipub, quantuncunque maioris, cum detrimento suę reipublicę. Imò nec homo priuatus tenetur adire detrimentum bonorum suorum pro conseruatione alienæ reip. Si ergo respublica ciuilis & spiritualis essent omnino independentes, sicut duæ respub. temporales, vel sicut duæ artes impertinentes, nõ teneretur princeps temporalis subuenire spiritualibus cum detrimento temporalis reipubli. Nec valet dicere, quòd Rex tenetur subuenire rebus spiritualibus, quia est respectu subditorum suorum: & si subditi facerent iacturam in bonis spiritualibus, iam opus esset subuenire cum quocunque detrimento bonorum, vel gubernationis temporalis, aliàs noceret illis: sed hoc est propter subiectionem, hoc, inquam, non valet, quia non solùm respectu subditorum suorum. Sed si ex administratione reipublicæ ciuilis in Hispania fieret magna iactura bonorum spiritualiũ in Africa, teneretur princeps

ceps corrigere huiusmodi administrationem. Ergo hoc est propter dependentiam, & ordinem. Et confirmatur hoc. Quia tota ecclesia est vnum corpus, nec ex republica ciuili & spirituali fiunt duo corpora: sed vnum tantum, vt certum est ex apostolo Paulo, vt supra inductum est, quia Christus est caput totius ecclesiæ, & esset monstruosum, vel vnum corpus esse sine capite, vel vnum caput habere duo corpora, sed in vno corpore omnia sunt inuicem connexa, & subordinata, & partes ignobiliores sunt propter nobiliores. Ergo etiam in republica Christiana omnia sunt subordinata, & cõnexa, & officia, & fines, & potestates, & nullo modo est dicendum, quòd spiritualia sunt propter temporalia. Ergo ecõtrario temporalia sunt propter spiritualia, & depẽdent ab illis. Item probatur, Quia non videtur esse minoris dignitatis sacerdos nouæ legis, quàm veteris legis, qui poterat etiam causas temporales in casu terminare, vt supra probatum est Deu. 17.

Septima propositio, In ecclesia * est aliqua [11] potestas, & authoritas temporalis in toto orbe. Ista patet primò ex capi. omnes. distinct. 22. in quo Nicolaus papa inquit, Christus beato Petro vitæ æternæ clauigero, terreni simul, & cælestis imperij iura commisit. vbi gloss. Argumentum, inquit, quòd papa habet vtrumque gladiũ, spiritualem scilicet & temporalem. Item allegat

66.distinct.c.tibi dico,& capi.nos sanctorum. & cap.iuratos. Item est expressa determinatio beati Bernardi ad Eugen.vbi tamen nihil omnino tribuit assentationi & gratiæ pontificis, sed potius quantum licet, reprimit ambitionem illius sedis. Et probatur ratione.Necessarium fuit ad commodam administrationem ecclesiæ & ad finem spiritualem, vt in ecclesia esset potestas temporalis. Ergo est ponenda talis potestas.Antecedens probabitur, & declarabitur in octaua propositione, quæ talis est.

12 Octaua propositio.In * ordine ad finem spiritualem papa habet amplissimam potestatem tẽporalem supra omnes principes & reges & imperatores.Et primò,quòd in ecclesia sit potestas tẽporalis in ordine ad finem spiritualem:probatur quia temporalia,vt supra dictum est, aliquo modo sunt necessaria & ordinata ad finem spiritualem:Ergo Christus non satis prouidisset,& cauisset rebus spiritualibus, si non reliquisset aliquam potestatem, ad quam spectaret, quando opus esset ordinare, & vti temporalibus conuenienter ad finem spiritualem: sed hoc non spectat ad officium principum secularium, qui ignorant proportionẽ rerũ temporalium adspiritualia,nec habent curam rerum spiritualium: ergo ista cura vtẽdi tẽporalib⁹ ad spiritualia,est potestatis ecclesiasticæ,ergo si necessariũ sit aliquãdo ad cõseruationem

tionem, aut administrationem rerum spiritualiū vti temporalibus & materiali gladio, & authoritate tēporali, papa hoc poterit. Dico ergō quòd habet amplissimam potestatem: quia quantum, & quādo necesse est ad finem spiritualem, potest non solùm omnia, quæ principes seculares possunt, sed & facere nouos principes, & tollere alios & imperia diuidere, & pleraque alia.

Sed vt hæc magis exponantur, dubitatur, Vtrū *hæc potestas temporalis in summo pontifice intelligatur solùm mediāte potestate, & gladio spirituali, an immediatè exercere possit potestatis temporalis actum: exempli gratia, si pro defensione fidei necesse est, vt Hispani proficiscantur ad bellū aduersus Saracenos, vtrum papa solùm possit cēsuris, & præceptis cogere Regem, vt proficiscantur Hispani ad bellum: an ipse indicere bellum propria authoritate, & vocare Hispanos in bellum, & ꝙ teneātur eum sequi sicut Regem. Vel, vt sit exemplum familiarius, Imperator fecit legem, vt possessor etiam malæ fidei præscriberet, & suppono, quòd lex non est de se ita iniqua, quin haberet vim legis, nisi esset reuocata: nihilominus quia est occasio iniuriarum, & rapinarū, & plus mali affert, quàm boni, expedit vt tollatur & antiquetur. Dubitatur an papa possit sua authoritate immediata reuocare, & contrariam ferre, an solùm possit prȩcipere Imperatori, & co 13

gere vt reuocet, & tollat. Respõdeo primò, quòd papa non potest immediatè reuocare eam legem quia hoc spectat ad potestatem ciuilem: & papa non debet, nec potest vsurpare potestatem ciuilem nisi necessitate, aliâs faceret iniuriam principibus, si occuparet officium eorũ. Probatur, Quia si solùm per hoc quòd sit conueniens ad finẽ spiritualem aliquis actus potestatis ciuilis, posset papa, illum exercere, cùm tota administratio temporalis sit necessaria ad finem spiritualem, posset papa semper exercere totam potestatem ciuilẽ, & sic cessaret officium principum. Non ergo sufficit, vt aliquid sit necessarium ad finem spirituale ad hoc, quòd spectet ad papam, sed oportet, vt illud sit in casu necessitatis. id est, vbi cessat potestas ciuilis, & non vbi facere potest officiũ suũ. Dico ergo, quòd papa primò debet vti potestate spirituali, iubendo scilicet, illud reuocari, ꝙ si nolit princeps secularis, tũc potest ipse, & debet propria authoritate reuocare, & erit reuocatũ. Et eodem modo dico, si populus Christianus eligeret principem infidelẽ, de quo meritò timeretur, ꝙ populum auerteret à fide, ille nihilominus manẽdo in iure diuino solùm, esset verus princeps, nihilominus papa deberet admonere populũ, imò præcipere, vt tolleret illum: quòd si nollet, aut non posset, tunc papa sua authoritate posset eum tollere, & qui prius erat verus princeps, authoritate

ritate papæ perderet principatum. Et similiter dico in alijs negotijs temporalibus, quòd papa non potest prævenire potestatem temporalem, & quantumcunque potestas temporalis sit negligens in administratione reipublicæ, si hoc non vergit in detrimentum rerum spiritualium, Pontifex nihil potest: sed si hoc vergit in iacturam grauem spiritualium, potest adhibere remedium eo modo, quo dictum est. Et similiter si principes inter se belligerant de aliqua prouincia cum manifesto detrimento, & malo religionis, nõ solùm potest interdicere eis bellum, sed si aliter conuenire non possunt, potest iudicare inter illos per authoritatem propriam, & dare ius vni eorum, & auferre alteri. Ratio omnium istorum est, quia respublica spiritualis debet esse perfecta, sicut & tẽporalis, & per consequens sibi sufficiens. sed respublica tẽporalis hoc iuris habet, vt si aliter nõ possit seruare se indemnẽ, & incolumem, possit exercere iurisdictionẽ & authoritatẽ. Si enim aliter Hispani non possunt se defendere ab iniurijs Gallorũ, possent occupare ciuitates eorũ, & cõstituere eis nouos principes, & dominos, & punire nocẽtes, & cętera propria authoritate facere, ac si essent verè dñi, vt omnes doctores habent fateri. Ergo similiter si potestas spiritualis nõ põt aliter seruare se indemnẽ & suã rempublicã, poterit cũ authoritate omnia facere necessaria, ad illũ finẽ

aliâs

aliâs poteſtas eſſet manca,& non ſufficienter cō-
ſtituta ad ſuum finem.

14 Dubitatur ſecundò,Si * enim papa non habet poteſtatem temporalem niſi dūtaxat in caſu neceſsitatis,ſi papa diceret aliquam legem ciuilem aut aliquam adminiſtrationem temporalem nō eſſe conuenientem, & non expedire gubernationi reipublicæ, & iuberet eam tolli, Rex autem diceret contrarium,cuius ſententiæ ſtandum eſſet? Reſpondeo,ſi papa diceret talem adminiſtrationem non expedire gubernationi temporali reipublicæ,papa non eſſet audiendus:quia hoc iudicium non ſpectat ad eum, ſed ad principem:& licèt verum eſſet, nihil ad authoritatem papæ. Eo enim ipſo quòd hoc nō ſit contrarium ſaluti animarum, & religioni,ceſſat officium papæ. Sed ſi papa dicat talem adminiſtrationem cedere in detrimentū ſalutis ſpiritualis, vt quòd talis lex ſeruari non poſſet ſine peccato mortali, aut eſſe cōtra ius diuinum, aut eſſe fomentum peccatorum ſtandum eſſet iudicio Pontificis, quia Rex non habet iudicare de rebus ſpiritualibus, vt ſuprà dictū eſt. Et hoc intelligitur, niſi apertè erraret, vel faceret in fraudem. Debet enim Pontifex rationem habere tēporalis adminiſtrationis, nec quicquid primo aſpectu videtur cōducere ad promouendam religionem, ſtatim decernere ſine reſpectū rerum temporalium: non enim tenentur nec prin-

principes nec populi ad optimam rationem vitæ Christianæ, nec ad hoc possũt cogi, sed solùm ad seruandum legem Christianam intra certos limites, & terminos. Et confirmatur hoc, quia cùm sint in vna ecclesia relictæ à Christo duæ potestates distinctæ ad conseruationem & incremẽtum bonorum, tam temporalium, quàm spiritualium & possint non rarò oriri dubia & cõtrouersiæ inter vtrãq; potestatem, non videretur sufficienter prouisum ecclesiæ, nisi esset aliquod iudiciũ, vbi terminarentur huiusmodi dubia: aliâs omne regnum diuisum desolaretur Matt. 12. & Luc. 11. Et non est rationabile dicere, quòd hoc spectet ad principes seculares, qui non possunt rectè iudicare de spiritualibus. Ergo videtur quòd potiùs hoc spectet ad principes ecclesiasticos. Et præterea quantũcunq; interueniat detrimentum in administratione temporalium, si aliquid est necessarium ad vitam spiritualem subditorum, postponi debent temporalia. Et ideo cùm cognitio rerũ spiritualium spectet ad prælatos ecclesiasticos, etiam iudicium de comparatione temporalium ad spiritualia, oportet vt ad eos spectet. Ad hunc sensum suprà positum videtur Petrus de Palude dare authoritatem in temporalibus summo Pontifici licèt eã extendat benignius quàm opus est. Vide illum in tra. c. de potest. eccles. Bonifacius octauus in extrauaganti, Vnam sanctam. In hac

eiusq;

eiusq; potestate inquit, scilicet in Romani pōtifi cis potestate, duos esse gladios, spiritualem scilicet & temporalem, euāgelicis dictis instruimur. Nam dicentibus Apostolis, Ecce duo gladij, &c. & consequēter dicit, Non est potestas nisi à Deo: & quæ à Deo sunt, ordinata sunt, non autem ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per aliū in suprema. Et idem determinat Innocentius tertius in.c.per venerabilem. qui fil.sint.legiti.

Sed contra aliqua ex prædictis possunt fieri argumenta, quibus moti sunt aliqui ex authoribus ad sentiendum cōtrarium aliquarum propositionum assertarum. Arguitur ergo primō, maximè contra tres primas propositiones, Christus* redē ptor noster fuit dominus orbis, etiam secundum humanitatem: sed papa est vicarius Christi: ergo papa est simpliciter verus dominus orbis, & sic habet omnimodā potestatem supra omnes principes, & supra omnem potestatem temporalem. Antecedens patet, quia ipse est Rex regum, & dominus dominantium, Apoc.18. & ipse de se dicit, Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra Matth.28. Et de ipso habetur in prophetis, q̄ ipse dominabitur Gentium. Psal.21. Et regnum ipsius omnibus dominabitur. Psal.102. & 46. q̄ regnabit super Gentes. Minor autem probatur, tum quia absolutè dictum est Petro, Pasce oues meas, Iohā. vltimo.

vltimo. sine limitatione, ergo videtur, q̃ habet authoritatem pascendi sicut Christus scilicet in spiritualibus, & temporalibus. Item quia Apostolis dictum est, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos Iohã. 20. sed ipse missus est cum vtraq; potestate: ergo etiam in ecclesia manet vtraq; potestas. Itẽ, Quia videtur, q̃ se regem fecerit, quia de hoc accusatus fuit, nec ipse videtur negasse. Luc. 23. & Iohan. 19. & Matth. 27. Ad hoc argumentũ primùm dico, q̃ non statim valet, quia Christus habuit potestatem temporalem, vel fuit orbis dominus: ergo hanc potestatẽ reliquit in ecclesia, sicut doctores cõfitentur, q̃ in Christo fuit potestas excellentiæ, quam tamẽ nõ reliquit in ecclesia. Nec enim est in ecclesia potestas instituendi noua sacramẽta, nec destituendi iam cõdita, nec remittẽdi peccata sine sacramẽto, quæ potestas fuit in Christo Et sic esto, q̃ concedatur, q̃ Christus habuerit dominium totius orbis, expediebat quidem, quòd ipse haberet, tum propter authoritatem personæ, tum quia erat renouaturus orbem, & ipse nõ poterat abuti potestate: non autem expediebat, ut eam potestatem relinqueret in ecclesia, qua possent pontifices malè vti ad perniciem ecclesiæ: sicut etiam doctores oppositæ sententiæ fatẽtur non expedire, vt papa exerceat illam potestatẽ. Quid autẽ opus erat ista potestate mathematica, quam nunquem esset ecclesia in vsu habitura?

Secundò

Secundò, quia alibi prolixiùs hunc locũ de temporali potestate Christi tractaui, in præsentia dico, quòd * Christus non fuit rex hæreditaria succesione. Patet, quia de hoc regno nihil habemus in Euãgelio, & frustra fingimus: & videtur quòd fœmina non posset venire ad regnum, & sic nec Christus. Tertiò dico, ꝙ * nec puto eum etiam dono Dei habuisse dominium temporale, quale est dominium principum: sed regnum ipsius fuit alterius rationis. Et vtrumq; horum probatur: quia vbicunq; fit mentio de regno Messię in Scriptura, semper ostenditur esse alterius generis, & ad alium finem quàm regna temporalia. Hoc patet in Psal. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montẽ sanctum eius, prædicans præceptum eius. Quem locum cum ipse dignatus est exponere in Euangelio Iohan. 18. Regnum meũ non est de hoc mundo. Ego ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Quod idem est, ac dicere, prædicans pręceptum eius. In quo loco profectò in sensu literali videtur omnino excluisse omnem opinionem de regno temporali. Cùm enim Pilatus interrogasset eũ, Tu es rex iudæorum, Respõdit Dominus, A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Quæ verba id apertè ostendunt. Nam Pilatus legis ignarus, & religionis, non poterat intelligere aliud regnũ nisi temporale, quale principes seculi habẽt: atq;

adeò

adeò si hoc à se diceret, non poterat intelligere, ni si de regno temporali, & oportuisset Dominum aliter respondisse, quàm respondit. Si autem hoc dicebat ex criminatione Iudæorum, qui dicebãt eum se regem facere, aliter erat respondẽdum. Et sic postquam Pilatus dixit, Gens tua, & pontifices tui tradiderunt te mihi, Dominus voluit eum admonere, ne deciperetur calumnijs iudæorum, sed intelligeret, regnum, de quo Iudæi malè habebant Christum se regem facere, non esse tale regnum, quale Pilatus potuerat intellexisse, sed esse regnum Messiæ, quod nõ erat regnum de hoc mundo, id est, non eiusdem rationis, nec ad eum finem, ad quem alia regna temporalia ordinantur, sed ad prædicationem veritatis: quasi dicat: Noli falli Pilate, regnum enim meum, de cuius affectatione me Iudęi accusant, non est tale regnũ, qualia vestra regna. Itaq; non negat obiectum, si sanè, & verè intelligatur, Neq; Iudæi vnquam eũ accusauerunt de alio regno, nisi de regno Messię. sic enim dicebant Luc. 23. Hunc inuenimus subuertentem gentem nostram, prohibentem tributa dari Cæsari, & dicentem se Christum regem esse. Verum est autem, quòd Iudæi putabant regnum Messiæ esse regnum temporale, cuius sententiæ etiam videntur esse isti, qui ei tribuunt hæreditario iure regnum Iudæorum, quod tamen Christus apertè negauit. Regnum* ergo. Christi 18

in toto orbe nec fuit ex aliquo principio humano, puta iure paterno, aut electione, aut alio simili titulo, nec ad aliquem finem temporalem, sed fuit titulo redemptionis, sicut Apostolus dixit, Factus est obediens vsq; ad mortẽ, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cęlestium, terrestrium, & infernorum. Philipen. secũdo. Atq; etiam ad finem redemptionis, qui est finis spiritualis, ad quem finem habuit plenissimam potestatem, etiam in tẽporalibus, & potuit mutare omnia regna mundi, & nouos principes instituere & alios redigere in ordinem, & priuatos facere, & omnia facere quæ ad finem redemptionis, propter quem in orbem venerat, opus essent: quam etiam potestatem in casu suprapositio non negamus ecclesię. Profectò si omnes Christiani vellẽt principes paganos eligere, papa posset obstare, & Christianos principes præficere. Facit etiam illud, Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Iohan. 3. & alibi. Quis me constituit iudicem inter vos? Luc. 12. Et ratione probari potest, quia nõ est vsus ea potestate, & frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum. Sed dicũt propter dignitatem, & perfectionem magnam, Quam verò dignitatẽ affectaret Dominus earum rerum scilicet quas

omnes

omnes Paulus tanquam stercora arbitratus est, Philipens.3. Certè Christus verbo docuit cõtemnere, non solùm vsum, sed proprietatem rerum temporalium, ne dum exemplo sibi vendicasset. Item faciũt argumẽtum ex illo. Luc.22. Ecce duo gladij hîc. De quo vide Caieta. in iẽtaculo. Quod *Bonifacius in extrauaganti intelligit. de gladio 19
spirituali, & temporali. & Bernardus ad Eugenium. Tertiò Arguitur. Zacharias pontifex depo suit à Regno regem Francorum, & præfecit in regno Pipinum, Caroli magni patrem, vt testatur Gelasius.15.quæstio.6.c.alius. Item Stephanus papa transtulit imperium à Græcis ad Germanos tẽpore Constantini imperatoris, & instituit primũ imperatorem Carolum cognomento magnum, vt testatur Innocentius in capit. venerabilem. de electione. Item Innocẽtius quartus Regi Portugalliæ interdixit regni administrationem, vt habetur in.c. grãdi. de supplẽda negligẽtia p̃latorũ. li.6. Ad oĩa hęc respõdetur, q̃ nihilo plus probãt, q̃ à nobis assertũ est, q̃ scilicet in casu summus põtifex oĩa illa põt, vbi scilicet illa sunt necessaria ad tollẽdũ scãdalũ in regno, ad ꝓtectionẽ religionis cõtra paganos, & alia similia. de qua etiã revide. c. licet. 1. de foro cõpetẽti. & Clementina Pastoralis de re iudicata. Quartò arguitur, Ad ecclesiasticã potestatẽ spectat cognoscere de oĩ peccato mortali, saltẽ deuoluitur iudiciũ ad illã per viã correctionis

ctionis fraternę. Matth. 18. Cũ ergo in omni causa quantuncunq; secũlari altera pars facit iniuriam, ecclesia poterit iudicare de illa causa, & sic poterit cognoscere de omni controuersia, & causa seculari, quod spectat ad potestatem ciuilem. Respondetur quòd in multis articulis & causis, Vtrum pars faciat iniuriam, dependet ex iure ciuili: & ideo non spectat ad potestatem ecclesiasticam cognoscere de illa causa, sed oportet q̃ terminetur in foro suo, scilicet ciuili. Postquam autem illic terminata est, si pars altera nollet obedire, tunc ratione peccati posset haberi recursus ad ecclesiam, sed non priùs. Secundò, Ille processus, quo tales causæ deuoluuntur ad iudicium ecclesię, tali ratione est solùm ad finẽ correctionis fraternæ, & non ad satisfactionem partis lęsæ: in foro autem ciuili contrario modo, & ideò iudicium illud potestatis ecclesiasticæ non est temporale, sed spirituale, nec etiam illo iudicio debet aut potest papa vti in fraudem, aut impedimentũ iurisdictionis ciuilis. De duobus gladijs clarum est, q̃ in sensu literali nihil habetur. Sed cum Christus ostendisset eos habituros contradictionem, & necesse esse habere defensionem, ipsi errantes dixerunt, Ecce duo gladij hîc, &c. Vide Turrecrematam lib. 2. c. 113. 114. 115. Quintò potest fieri argumentum, quia pontifices distribuunt prouincias infideliũ, vt patet de insulis inuẽtis ab Hispanis.

Sed

Sed ex dictis patet etiam ad hoc solutio. Nihilominus vitandus est error Ocham.in dialog.lib.6. c.8.& in fine dialogi.& Gerson.lect.4. de vita spirituali.q̃ papa non omnia peccata potest punire sententia excõmunicationis, puta peccata, quæ sunt cõtra legẽ naturæ, sed solùm quæ sunt directè cõtra Euangeliũ,vt de sacramẽtis,& fide.Hoc tñ est cõtra Paul.2.Cor.5. vbi excõmunicat incestum:quod tamẽ peccatũ est contra legẽ naturæ.

UTRUM CLERICI SINT exempti â potestate ciuili.

SVMMA.

1 *Clerici iure sunt exempti, & liberi à potestate ciuili,&c.*

2 *Non omnis clericorum exemptio est de iure diuino.*

3 *Clericorum aliqua exemptio à potestate seculari est de iure diuino.*

4 *Clericorum personæ, non omnino, & quo ad omnia sunt exemptæ à potestate ciuili, nec iure diuino, nec humano.*

5 *Ecclesiasticæ personæ licèt non essent exemptæ iure diuino,aut Cæsareo,summus Pontifex potuit eas eximere à potestate ciuili.*

6 *Clericorum exemptio, maximè quoad personas, ita quòd nec iudicari, nec puniri à seculari potestate possint, multùm est conformis iuri diuino, & naturali.*

7 *Clericorum exemptio, siue sit de iure diuino, siue non nequit à principe seculari tolli.*

8 *Clericorum libertas si esset in manifestã Reipub. perniciem, & põtifices nollent remedium adhibere, quid agendum.*

9 *Prætores, & magistratus omnes citra Principẽ grauiter errant, & peccant, iudicia exercentes cõtra priuilegia clericorum, quanuis pernicioſorum.*

SEQVITVR consequenter, vt è cõtrario quæramus, an clerici sint exempti à potestate ciuili. Ad quæstionẽ respondeo breuiter per propositiones.

1 Prima, Clerici * iure sunt exãpti & liberi à potestate ciuili, ita vt iure nõ possint cõueniri apud iudicem secularem in causis criminalibus, vel ciuilibus. 11. q. 1. & in varijs locis, quæ omitto, quia nota sunt, & non est opus vos illorum admonere & oppositum est condemnatũ in concilio Constantiensi inter articulos Iohannis VVicleff.

2 Secunda propositio, Non * omnis exemptio clericorum est de iure diuino. Probatur primò. Hoc non habetur alicubi in iure diuino: ergo nõ est tali iure sancita, huiusmodi exemptio. Antecedens probatur, Quia duo testimonia, quæ adducuntur ad hoc probandum, non satis ostendũt hanc exemptionem. primus locus est Matth. 17.

vbi

vbi cùm exegissent didrachma à Christo, Dominus dixit Petro, Reges gẽtium à quibus accipiũt tributum vel censum, à filijs suis, an ab alienis. Et ille dixit, ab alienis. Dixit illi Iesus. Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare: & mitte hamũ, & eum piscem, qui prius ascenderit, tolle, & aperto ore eius, inuenies statere m, illum sumens, da eis pro me & te. Ex quo loco arguunt aliqui. In illo loco Christus signauit aliquod hominum genus non esse obnoxiũ principibus, sed esse liberum, nõ autem videtur intelligi posse alius ordo hominum præter ecclesiasticos, qualis erat Christus cum Apostolis. ergo illi sunt liberi. Assumptum probatur, quia certè non intelligitur de militibus, nec de nobilibus, omnes autẽ alij sunt subiecti tributo. ergo omnino oportet, quòd intelligatur de ecclesiasticis. Respondetur ad istum locum ex S. Tho. & Bonauent. in fine secundi senten. quòd Dominus loquebatur dẽ se, & discipulis suis, qui non erant seruilis conditionis, nec res temporales habebant, de quibus dominis suis obligarentur ad tributa soluenda: Et ideo non sequitur, quòd omnis Christianus, sit particeps huius libertatis, sed illi solùm qui Apostolicam vitam sequentes, non sunt seruilis conditionis. Fortasse ergo solùm voluit Christus eximere eos, qui nõ habent facultates: ecclesiastici autem habent. Idem dicit S. Tho. in illum

locum Matthæi, vbi etiã dicit, quòd videtur velle Dominus innuere, quòd ipse non tenetur soluere censum, quia sit Rex: ipse enim est Rex regum & dominus dominantium. Est autem differentia inter tributum, & censum. Tributum enim soluitur ex bonis, census autem pro capite in signum subiectionis. Christus autem non erat subiectus, quia rex, & ad hoc satis erat, quòd esset rex regno Messiæ, etiam si nõ esset rex regno seculari. Messias enim quo ad personã saltem exemptus erat à potestate principum. Item etiam erat de genere regum, erat enim filius Dauid, vnde illud videbatur satis ad exemptionem. Si enim pater exemptus, etiam filius: ergo si maiores Christi fuerunt exempti, ergo etiam Christus, etiam lege gentiũ.

Vel aliter, & credo quòd veriùs. Christus enim Deus est rex totius orbis, & per consequens cum sit filius Dei naturalis & filij naturales sint exempti, etiam iure gentium, ideo Christus fuit liber: non enim tollebat libertatem humanitas, fortè si quidem Christus voluit significare se filium Dei.

Secundum locum ex Scriptura solent afferre, Nolite tangere Christos meos. Psalm. 104. ex quo volunt aliqui habere, quòd cùm clerici sint Christi Domini, cùm sint re vera vncti, & consecrati Domino, non licet eos tangere, hoc est, nec iudicare. Sed ille locus nihil iuuat causam clericorum Nam aut illud testimonium nihil agit de clericis

aut

aut solum in sensu allegorico, vnde non trahitur argumentũ. Secũdò principaliter arguitur Quòd clerici sint exempti non iure diuino, sed priuilegio principum. Et quidem hoc expresse dicit S. Tho. super illum locum Roma. 13. Ideo enim tributa præstatis: & dicit hanc exemptionem habere æquitatem quandam, non autem necessitatẽ. Et probatur, Quia in eo loco absolutè Paulus precipit solui tributa, nulla mentione facta de clericis, aut alio genere hominum, ergo illa exemptio à tributis non est de iure diuino, omnino enim est licentiose & temere factum, si canon positus in scriptura est generalis, ponere exemptionẽ, quæ nusquam in scriptura posita sit, cum scriptura sit aperta. Omnino certè puto clericos non esse exẽptos à tributis iure diuino, & confirmatur quia sentiunt commodum ergo debẽt sentire onus. 3

Tertia propositio. Aliqua * exemptio clericorum à potestate seculari est de iure diuino. Hæc probatur. In causis purè ecclesiasticis clerici non subijciuntur potestati ciuili de iure diuino: ergo aliqua exemptio est de iure diuino. Antecedens patet ex dictis. Quia potestas ecclesiastica est distincta à ciuili, nec ab ea dependet & princeps secularis non habet iudicare de causis spiritualibus ergo quo ad illas causas clerici sunt omnino exẽpti. Et confirmatur, Tota potestas principum secularium est à cõmunitate & republica, vt in præ

sentia supponimus, sed respublica non habet aliquam potestatem spiritualem vt infrà ostẽdetur: ergo nec princeps secularis potest in rebus spiritualibus iudicium habere. Et confirmatur secundò. Quia apostoli exercebant, & curabant totam administrationem ecclesiæ sine respectu & authoritate principum secularium: & ita omnes sancti fecerunt etiam post christianitatem principum. Ergo ecclesia habet omnimodam potestatem in reb⁹ ecclesiasticis, nec subijcitur principib⁹. Actorum. 5. Petrus interfecit Ananiam, & Sapphiram. Oppositum est damnatum contra Marsi. de Padua. Ex his sequitur: Quòd si principes circa administrationem rerum ecclesiasticarum aliquid loci habent, vt eligere episcopum, aut præsentare personas ad dignitates, aut sacerdotia ecclesiastica, hoc totum habent priuilegio & indulgẽtia ecclesiæ, non ratione suæ dignitatis. Corollariũ cõstat ex dictis. Circa quod nota, quòd dñs Caieta. concedit libro de potestate papæ. c. 27. quod etiã circa administrationem ecclesiasticam possunt principes resistere papæ, si manifestè dissipet ecclesiã, vt si pernicioſe prouideat vel simonicè det beneficia, nõ est danda possessio illis, nec obediẽdum in malis. vide illum. Confirmatur hoc ex. c. quanquam. de censi. quòd personæ ecclesiasticæ non solùm iure humano, sed diuino sunt exẽptæ à secularibus. & c. si imperator. 96. di. quòd Deus

voluit

voluit non à legibus publicis, nec à potestatibus seculi, sed à pontificibus, & sacerdotibus ordinari & iudicari. Et confirmatur hoc totum, Quia Petro dictum est, Pasce oues meas. Ioann. 21. Si ergo princeps haberet iudicare in causis ecclesiasticis, vel hanc potestatem haberet ex æquo cum papa & hoc non est possibile, quia esset confusio Reipub. nec supra Petrum, quia Petrus habnit immediatè à Christo. Ergo nõ potest habere nisi sub Petro, vel à Petro. &c. Et confirmatur iterum ex verbis & facto magni Constantini, qui (vt refert Rufinus lib. 10. ecclesiasticæ historiæ) cum episcopi, qui venerant ad synodum Nicenam obtulissent ei libellos, vbi continebãtur causæ, & querelæ aliorum aduersus alios, conuocatis illis omnibus, dixit, Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem quoque dedit de nobis iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur, vos autem iudicari ab hominibus non potestis. Ecce confessionem imperatoris, & quidem (vt verisimile est) non suo sensu expressam, sed instructus à viris spiritualibus, & sapientibus, hoc videtur dixisse: Et si hoc verum est certè potissimum verum habet in causis spiritualibus. Itaque non est dubitandum, quin principes non habeant aliquod iudicium, nec administrationem nec de iure diuino, nec à republica in rebus spiritualibus: & si quid iuris habent, totum est ab ecclesia.

Quarta

4 Quarta propositio, Personæ * clericorum non omnino & quo ad omnia, sunt exemptæ à potestate ciuili, nec iure diuino, nec humano, Patet, Clerici tenentur obedire legibus ciuilibus in his quæ expectant ad gubernationem & administratio nem temporalem ciuitatis, & non impediunt administrationem ecclesiasticam, & peccant facientes contra legem. Ergo nõ omnino sunt exẽpti. Consequẽtia est nota. Nam si essent omnino exempti, non plus tenerentur ad leges ciuitatis, quàm si essent alterius reipublicæ. Antecedẽs au tem probatur. Quia clerici præter hoc, quòd sunt ministri ecclesiæ, sunt incolæ ciuitatis. Ergo tenẽ tur viuere aliquibus legibus ciuilibus, non latis à papa: quia papa non potest condere leges ciuiles ordinariè, vt suprà probatum est. ergo clerici tenentur viuere legibus ciuilibus latis ab Imperato re, aut principe laico. Item Rex est rex non solũ laicorum, sed & clericorũ: ergo aliquo modo sub ijciuntur ei. Item clerici quantum ad temporalia non administrantur potestate ecclesiastica, vt dictum est, ergo habent principem, cui tenẽtur obe dire in temporalibus.

5 Quinta propositio. Quãquam * personæ eccle siasticæ non essent exemptæ iure diuino, aut Cæ sareo, summus pontifex potuit eas eximere à potestate ciuili. Probatur, Hoc est conueniens, imò videtur necessarium ad administra donem rerum

spiritua

spiritualium, quòd personæ ecclesiasticę sint exẽptæ à iudicio ciuili: & vt supra dictum est, respublica ecclesiastica est perfecta, & sibi sufficiens: ergo in ea est potestas ad ferendas leges conuenientes administrationi ecclesiæ, ergo si exemptio clericorum est conueniens, potest ferre leges de tali exemptione. Quòd autem sit necessaria talis exemptio, patet: quia si ministri ecclesiæ possent trahi ad iudicium seculare, possent auocari à ministerio ecclesiæ, & non possent commodè vacare officio suo. Nemo enim militans Deo, implicat se negotijs secularibus. 2. Thim. 2. & ita si implicarentur ministri iudicijs secularibus non possent Deo militare. Item papa posset propria authoritate deligere ministros ecclesiasticos non obstante, quòd potestas ciuilis contradiceret: ergo eadem ratione potest subtrahere illos à iudicio seculari. Item cùm pro causis ecclesiasticis, vt dictũ est, posset conueniri, imò non posset alibi appellari, nec in iudicio ecclesiastico, si posset simul vocari ad iudiciũ seculare esset omnino perplexus aliquando, vt non posset satisfacere vtrique iudicio. Item quia re vera nullo modo erat consentaneum, vt ecclesiastici, qui sunt pastores ipsorum etiam iudicium secularium, vexarẽtur in iudicio à subditis suis.

Sexta propositio, Exemptio * clericorum, ma 6
ximè quo ad personas, ita scilicet quòd nec iudi-

cari

cari, nec puniri à seculari potestate possint, est multum conformis iuri diuino, & naturali, hæc propositio primo probatur exillo iudicio magni Constantini, supra posito, cuius verba sunt, Vos autem non potestis ab hominibus iudicari, propter q̃ Dei solius inter vos expectate iudiciũ, & vestra iurgia quæcunque sunt, ad diuinum reseruentur examen: vos enim nobis à Deo dati estis dij, conueniens non est, vt homo iudicet deos. Idẽ apparet ex facto Ioseph, Gen. 47. qui reliquit terram sacerdotalem liberam. Item sunt distinctę potestates, & respublicæ: ergo de se oportet vt habeant proprios ministros, non subditos alijs. Itẽ omnino sequeretur magna absurditas, vt prætor diceret causam coram episcopo, & episcopus coram prætore, & esset scandalum: qua etiam ratione Apostolus prohibet, ne apud ethnicos habeãt causas. 1. Corinthi. 6. Audet aliquis vestrum habens negotium contra alterum iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? Esset apertè scandalũ, si prædicatores fidei haberent causas coram Rege pagano.

7 Septima propositio, Siue * exemptio clericorum sit de iure diuino, siue non: tamen nõ potest à principe seculari tolli talis libertas, vel exẽptio. Hæc primùm patet ex quinta, quia postquã hoc expedit administrationi rerum ecclesiasticarum papa potuit eximere ministros ecclesiæ etiam sine au-

ne authoritate principũ. Secũdò probatur. Quia potestas principum est tota à republica, sed tota respublica christiana iam consensit in hanc libertatem ecclesiasticorum. Ergo principes non possunt illam auferre.

Octaua propositio, Nihilominus * si libertas 8
clericorũ esset in manifestã reip. pernicie, ita vt ecclesiastici impune baccharentur in cædẽ laicorũ, & pontifices nollent adhibere remediũ, possent principes cõsulere suis ciuibus, nõ obstãte priuilegio clericorũ. Probatur. Quia (vt supra dictũ est) respublica ciuilis est profecta, & sibi sufficiẽs: ergo potest se defendere, & seruare ab iniuria cuiuscũq; propria authoritate, & super hoc leges cõueniẽtes ferre. Et cõfirmatur, Nã possunt principes seruare, pprias resp, ab iniuria aliarũ rerũpublicarũ, nõ solũ per modũ defensiões, sed authoritatiue, vt supra ostẽsum est: ergo etiã ab iniurijs clericorũ.

Nona propositio, Prætores * tamen, & omnes 9
magistratus citra principẽ grauiter errant, & peccant, iudicia exercentes contra priuilegia clericorum, quamuis pernicioſorum, & etiam criminosos ab ecclesijs extrahentes extra casus in iure permissos. Probatur hoc, Quia non sunt subditi illorũ, nec habẽt potestatẽ in illos, & stãtibus legibus non licet eis agere contra leges, & ipsi nõ habent potestatẽ, vel tollẽdi legem, vel dispensandi in lege, sed solùm principes. Ioannes vicesimus secun

dus in

dus in extrauagantibus damnauit errores Marsilij de Padua: & Ioannis de Ianduno, inter quos vnus est, quòd cùm Christus in Euangelio Matthæi.17.soluit tributum,hoc fecit non liberalitate & condescensione,sed necessitate coactus,Secundus, quòd ad imperatorem spectat corrigere papã,ac instituere. Tertius,quòd vnus sacerdos habeat maiorem authoritatem, quam alius,hoc habet ab imperatore, & sicut dedit,potest tollere. Quartus, quòd nec papa,nec tota ecclesia posset punire quemcunque hominem coactiuè, nisi imperator dedisset authoritatem, Caiet.de potestate papæ.cap.27. dicit quòd quamuis quilibet licitè possit occidere papam inuasorem,se defendendo: tamen nulli licet papam propter homicidiũ punire pœna mortis: & credo quòd intelligit iure diuino,aliàs nihil esset dictum.

RELECTIO SECUNDA.

De potestate ecclesiastica.

SVMMA.

1 *Potestas ecclesiastica,an sit per se in tota ecclesia.*

2 *Potestas ecclesiastica, siue spiritualis quomodo possit esse in tota ecclesia,ostenditur.*

3 *Potestas spũalis tota, quæ fuit in veteri lege, quomodo primo,& solum in tribu Leuitica fuerit.*

4 *Potestas vere, & proprie spiritualis, qualis nunc est in ecclesia, quæ vocatur potestas ecclesiastica, nec primo, nec per se, imò nullo modo est immediate in tota ecclesia vniuersali eo modo, quo potestas ciuilis est in republica.*

5 *Ecclesia ex quibus constet.*

6 *Potestas ecclesiastica immediate est in concilio, & etiam ratio totius. Et multa de potestate concilij.*

IN altera relectione quã de hac materia anno superiori fecimus disseruimus de potestate ecclesiastica ex parte hoc est, quo iure, & quãdo instituta est, de distinctione ipsius à potestate ciuili, de comparatione vtriusque inter se. In hac consequenter disputaturi sumus de subiecto huius potestatis, & reliquas grauiores quæstiones theologicas circa potestatem contingentes. Ante omnia ergo quæritur,* An potestas ec- 1
clesiastica sit per se in tota ecclesia, distinguendo ecclesiam vniuersalem à singularibus personis, eo modo quo concedunt tum philosophi, tum theologi, & verũ est, quod ciuilis potestas est immediatè in tota republica. Et quidem possit videri, q̃ sic Primò ex hoc ipso, quod exẽpli gratia attulimus nam potestas secularis est in tota republica, & ab illa deriuatur in magistratus, & alias potestates, & ordo gratiæ non tollit ordinem naturæ, cũvter

que sit à Deo. Ergo eadem ratione videtur quòd potestas ecclesiastica sit in tota vniuersali ecclesia, quæ nihil aliud est, quàm Christianorum, quædam respublica. Et probatur consequentia, Quia vtraque potestas est propter bonum reipublicæ ergo si propter bonum, & in bonum reipublicæ constituta est, videtur quòd primò debet esse in rep. Et cõfirmatur secũdo, Quia in cõcilio ritè cõgregato est immediatè potestas ecclesiasti ca, vt in præsentia suppono tanq̃ verũ & statim probaturus sum: sed conciliũ non videtur vendicare sibi illam potestatem nisi inquantũ gerit personam & vices totius ecclesiæ vniuersalis ergo.

Secundo arguitur principaliter, Quia ecclesia eligit summum pontificem. Cardinales, namque non sua authoritate, sed ecclesiæ eligunt papam: ergo ecclesia habet summam potestatẽ, non enim posset dare, quod non habet. Confirmatur, Quia concilium dicit in suis decretis, Vniuersalem ecclesiam representans. &c. ergo.

Tertio arguitur ex illo Matth. 18. Dic ecclesiæ, & si ecclesia non audierit, sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus, vbi data est potestas ecclesiæ.

Quartò arguitur, Prælati sunt ministri ecclesię ergo potestas est ecclesiæ. Ad solutionem huius quæstionis oportet reuocare in hãc disputationem distinctionem illam dudum à nobis positam in proxima relectione, quæ talis est, potestas

stas ecclesiastica dupliciter accipi potest. Vno modo largè pro quacunque authoritate, aut potestate ordinata per se ad finem spiritualem, & ad cultum diuinum, siue habeat aliquem effectum spiritualem & super naturalem, siue non habeat: qualis fuit potestas oīs ecclesiastica ante, datas claues ecclesiæ ante à domino, cuiusmodi fuit sacerdotium totum in lege naturæ, & in lege scripta. Aliter capitur potestas ecclesiastica pro potestate & authoritate proprie spirituali, aperiendi scilicet, & claudendi regnum cælorum, quæ sola potestas vocatur claues à domino, Matthæ. 16. & 18 quæ solæ habent effectum spiritualem, vt in priori relectione declaratum est.

His præmissis sit prima propositio, Potestas * 2 ecclesiastica siue spiritualis, primo modo potest esse in tota ecclesia siue republica. Probatur hoc, Quia quælibet respublica iusta cōstituta est à deo patet ad Rom. 13. Non est potestas nisi à Deo. Sequitur continuo corollarium, quòd in lege naturæ resp. habuit authoritatem cōstituendi sacerdotes, & alios ministros diuini cultus. Hoc patet ex conclusione. Nam si in repub. erat huiusmodi potestas, poterat eam mandare, & comitere cuicūq; vellet. Et confirmatur. Nam cum talis potestas iure naturæ nō spectaret potiùs ad vnū ex ciuibus, quàm ad aliū, non poterat aliter prouideri, nisi authoritate reipublicæ. Signū autè huius est, quòd

in historia siue fidelium, siue gentilium in lege naturæ non legimus sacerdotes aliter constitutos, q̃ vel populi suffragijs, sicut apud Romanos, vel regis authoritate apud quem est reipublicę tota potestas. Si enim Melchisedec fuerit Sē, filius primogenitus Noe (vt Hebræi putant) & hæc fuerit prę rogatiua omnium primogenitorum, hoc non est credendum fuisse aliquo speciali præcepto, aut instituto diuino, sed ipsius Noe, qui princeps suorũ fuit ordinatione, aut aliàs aliqua populorum aut nationũ ordinatione, vel constitutione. Vt enim in priori relectione ostendimus, nulla fuit ea ætate potestas, quæ indigeret peculiari authoritate diuina. Etsi Abel fuit sacerdos, hoc fuit ipsius Adę primi parentis ordinatione, quę & durare potuit vsque ad tempora Noe. Secundum corollarium, Sacerdotes & pontifices gentilium poterãt leges & decreta facere de cultu sacrorũ. Patet, quia habebant authoritatem vel lumine fidei, vel solum lumine naturali sine noua authoritate ordinati in finem spiritualem, & sunt capaces cultus diuini, imò ad hoc tenentur præcepto iuris naturalis, vt superiùs ostensum est. De hoc enim damnantur gentiles ad Romanos. 1. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerũt, sed administratio huius cultus, vel omnium admonitionũ quæ ordinãtur ad finem spiritualem, vt supra probatum est, nõ spectat ad potestatem ciuilẽ, sed ad

aliud

aliud genus potestatis: ergo apud rempublicã resídet huiusmodi potestas spiritualis.

Secunda propositio. Tota* potestas spiritualis 3
quæ fuit in veteri lege, erat primò, & solum in tribu Leuitica, nec licebat alicui ex alia tribu ministrare in templo. Hoc patet Deu. 10. vbi post mortem Aaron, qui & ipse erat de tribu Leui, functus est sacerdotio Eleazar filius eius & ex eo tempore seperauit tribum Leui, vt portaret arcam fœderis domini, & staret coram eo in ministerio, ac benediceret in nomine eius vsque in prẹsentem diẽ quamobrem non habuit Leui partem, nec possessionem cũ fratribus suis, quia ipse Dominus possessio eius est. Et idem habetur Iosue. 13. Tribui autem Leui non dedit possessionem, sed sacerdotia, & victima Domini Dei Israel, ipsa est eius hẹreditas. Et confirmatur ex Paulo ad Heb. 7. vbi dicit, quòd Leui, qui decimas accepit, decimatus est in lumbis patris eius Abrahæ, & iterum. Si ergo cõsummatio per sacerdotium Leuiticum erat, quid adhuc necessarium fuit secundum ordinem Melchisedec alium surgere sacerdotem? Exquo patet quòd totum sacerdotium veteris legis erat in tribu Leuitica. Et cõfirmatur secũdo, quia ibidẽ Paulus dicit de domino: manifestũ est enim quòd de Iuda ortus sit dominus noster: in qua tribu nihil de sacerdotibus loquutus est Moyses: & eadẽ ratio est de alijs tribubus, de quibus etiam nihil lo-

quutus est Moyses.

Tertia conclusio, Potestas * secundo, id est verè & propriè spiritualis, qualis nũc est in ecclesia, quę vocatur potestas ecclesiastica: nec primò, nec per se, imò nullo modo est immediatè in tota ecclesia vniuersali eo modo, quo potestas ciuilis est in republica. Probatur conclusio, Quia vel cõuenit toti ecclesiæ iure naturali, aut humano, aut diuino. sed nullo tali iure conuenit, ergo non est in illa. Antecedens patet, quia (vt disputatum abundè à nobis fuit in priori relectione) potestas ecclesiastica excedit & ius humanum, & naturale, tum ex parte finis, quia ordinatur in finem supernaturalem, tum ex parte effectus, quia omnino excedit omnem humanam faculatem, qualis est peccatorum remissio, collatio gratiæ, eucharistiæ cõsecratio. Relinquitur ergo vt nec naturali, nec humano iure hæc potestas conuenire possit ecclesię vniuersali. Quòd autẽ non conueniat iure diuino patet: quia tota hæc potestas authorẽ habet solũ Christum dominum nostrum ac redemptorẽ, qui est caput omnis principatus & potestatis, ad Colo. 2. & ad Phi. 4. & ad Heb. 7. Ipse dedit apostolos prophetas, euangelistas, pastores, & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi. Et ad Ephes. 4. dicitur, Vnicuique vestrum data est gratia secundum mẽsuram donationis Christi. Et Apoc-

caly.

caly.3. Solus habet dominari regni,& Apostolus ad Heb.7.8.&.9.ostendit quod sacerdotium noui testamenti est aliud à sacerdotio veteris legis, & quòd sacerdotium ecclesiæ est secundum ordinem Melchisedec. Est enim translatum sacerdotium cũ lege,vt Apostolus dicit, sed Christus habuit sacerdotium non ab ecclesia, sed à Deo, vt patet Ioan.15.Nõ vos me elegistis. Et Psal.2.Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion mõtem.&c.Et apostolus hoc locis citatis ostendit & ad Hebr.5. Sicut & Christus non semetipsum clarificauit vt põtifex fieret,sed qui loquutus est ad eum,Filius meus es tu, ego hodie genui te, quem admodum alio loco dicit. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Et aperte c.7.Alij quidem sine iureiurãdo sacerdotes facti sunt,hic autem cum iureiurando per eum, qui dixit ad illum.Iurauit dominus, & non pœnitebit eũ,tu es sacerdos.&c.Et Hebr.1.& Psal.44.Thronus tuus in seculũ seculi,propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo exultationis.Iamque dubitari nõ debet.nec potest,quin tota potestas ecclesiastica sit à Christo,&quod ipse non habuerit eam ab ecclesia,sed ipse dederit alijs iuxta illud, Ioann.20. Sicut misit me pater,& ego mitto vos. Quod autem ipse non dederit immediatè, & primo Ecclesię,sed certis suppositis,& personis,patet Matthæ.16. vbi promisit Petro claues,& super eum se

ædificaturum ecclesiam est pollicitus: cui etiam Iohã. vltimo, dixit, Pasce oues meas. Et omnibus Apostolis. Iohan. 20. Quorum remiseritis peccata, &c. Et nusquam inuenitur dedisse ecclesiæ in communi. Nam etiam Apostolis in Cœna dedit potestatem consecrandi eucharistiam. Lucæ. 22. Hoc facite in meam cõmemorationẽ. Et ipse nõ totam communitatem sed, solos Apostolos duodecim dicit elegisse, Iohan. 6. Item quandocunq; Christus dedit hanc potestatem, non erat tota ecclesia, sed soli Apostoli, etiam non admisis. 72. discipulis. Prẽterea si potestas ecclesiastica esset primò in ecclesia, sequitur quòd omnes alij haberẽt potestatem ab ecclesia, hoc est à cõmunitate, & republica Christianorum, sicut omnis potestas ciuilis est à communitate. Consequens patet falsum. Nec enim Apostoli, nec successores eorum habuerũt potestatem ab alijs hominibus, sed ipsi à Christo, & alij ab Apostolis, imò nullus vnquã habuit ab ecclesia vniuersali. Præterea Paul. ad Gala. 1. testatur se non ab hominibus, nec per hominem, sed per Iesum Christum & Deum patrẽ Apostolum constitutum. Et simile poterant dicere alij Apostoli. Præterea in scripturis nusquã legimus sacerdotes ex authoritate & cõsensu plebis constitutos, sed à pontificibus, & prælatis, vt Paulus ordinauit Timotheum, & Titum. 1. ad Timot. 4. Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ

data est tibi per prophetiam cum impositionem manuum presbyterij. Et idem repetit. 2. ad Timo. 1. idem ad Titū. 1. huius rei gratia, Reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros. Item ad Hebr. 5. Nec quisquā sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. A Deo dixit, nō à plebe, vt vult impius Lutherus. Aaron siquidem, non à plebe constitutus legitur, sed à Deo, vt patet Exod. 28. Nec vnquam auditum est in tota serie scripturarum sacerdotes inter fideles aut plebis authoritate, aut consensu institutos: etsi ethnici sacerdotes suffragijs populi creantur, quales erant & Hamonis sacerdotes, sed talis cōsecratio, quale sacerdotium erat. Item. 1. ad Timo. 5. admonet Paulus, Manus citò nemini imposueris. non ergo a plebe, sed ab episcopo creabantur sacerdotes. Igitur potestas ecclesiastica non est primò, & immediatè in tota ecclesia, sed in certis personis. Probatur, ratione, Quia in potestate ecclesiastica continetur potestas consecrandi sacrosanctam eucharistiam: sed hæc potestas non est immediatè in communitate, cùm illa non detur sine consecratione, nec potest ecclesia immediatè consecrare. Et confirmatur, Potestas remittendi peccata in foro interiori & pœnitentiæ non est in ecclesia immediatè. Itē eadem ratione potestas episcopalis esset immediatè in prouincia episcopi. Consequens nullus

concedit. Nemo enim concedit, quòd totus populus vnius prouinciæ habeat immediatè potestatem episcopalem, vel quòd ab illo deriuetur potestas in episcopum: ergo similiter nec in tota ecclesia. Item confirmatur hæc ratio, In communitate domestica, id est in familia, potestas, & authoritas regendi non est immediatè penes familiam, sed penes patrẽ familias: episcopus autem est tanquam pater in ecclesia, quia est tanquam vir, vel maritus eius: ergo. Item arguit Caieta. Certum est, vt suprà diximus, quòd potestas ecclesiastica primò fuit in Christo domino totius ecclesiæ, tanquam in principe, non subdito ecclesiæ, nec dependens ab illa. sed Christus adhuc est caput & princeps ecclesiæ, est enim adhuc nobiscum vsque ad consummationem seculi, Matth. 28. Et iudex viuorum & mortuorum. Actuum. 10. Et viuit, & regnat Deus in secula seculorũ, Apocaly. 1. Et Paulus. 1. ad Corinth. 15. de hoc regno Domini loquens dicit, Vnusquisque autem in suo ordine. Primitiæ Christus: deinde hi, qui sunt Christi, qui in aduentum eius crediderunt: deinde finis, cum tradiderit regnum Deo & patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & virtutem, & potestatem. Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. ergo ad Christum tanquam ad principem spectat ordinare de legato, & vicario suo, &

ab

ab ipso deriuatur potestas eius, non ab ecclesia, quæ ex natura sua non est domina in ordine ad spiritualia, sed serua Christi, quia redempta est ab eo. Et sic relinquitur, quòd sicut princeps ecclesiæ non habet authoritatem ab ecclesia, ita nec vicarius eius. Item probatur quòd Christus maneat adhuc caput ecclesiæ: quia aliâs nõ esset sacerdos in æternum. Non enim est sacerdos nisi in ecclesia. Et Confirmatur hoc, Quia doctores, & sancti non vocant summũ Pontificem vicarium ecclesiæ, sed vicariũ Christi. Ita enim est vicarius Christi successor Petri, sicut Petrus: Petrum autem & alios Apostolos ecclesia vocat vicarios Dei: vt patet in præfatione, Vt eisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui voluisti esse vicarios. Et glos. super illud Matth. 16. Tu es Petrus, dicit Petrum fuisse vicarium Christi. Item arguit Caieta. Signũ apertum est hanc potestatem non residere immediatè, & primò apud ecclesiam, quòd ecclesia nõ potest sibi retinere, nec duobus, aut tribus committere: quod tamen posset, si ius principatus esset apud illam: sicut posset respublica ad administrationem ciuilium, vel retinere sibi regimen vel creare Consules, vel Tribunos etiam supra potestatem regiam, sicut erant Ephori apud Lacedemonios, & Senatores supra principem apud Venetos: quod tamen ecclesia nullo modo posset, vt infrà ostendemus. Præterea non potest potestas

cõmitti

committi alicui communitati, cuius magna pars non est capax illius, sed in ecclesia sunt complures, qui non sunt capaces huius potestatis. ergo non est immediatè in ecclesia. Minor infrà probabitur de mulieribus, pueris, & nonnullis fortasse alijs. Item quãdo aliquid committitur immediatè alicui communitati, omnes illius communitatis æqualiter se habent ad illam, vt patet in republica seculari respectu ciuilis potestatis absolutè: sed non omnes æqualiter se habent in ecclesia ad claues, vt constat, & statim disputabo: ergo, &c. Vltimò, Potestas spiritualis, qualis erat in veteri lege, non erat commissa toti plebi, sed solùm vni tribui, scilicet Leuiticæ, multo certè minus videtur tam sublimis potestas, qualis est euangelica, vulgata toti plebi.

Ad primum argumentum factum in principio quæstionis respondetur, negando consequentiã: & differentia, ac ratio est aperta. Ciuilis enim potestas, vt declaratum est, non se extendit nisi ad finem & effectum naturalem: & sic potestas illa cõmuniter à natura datur, omne autem naturale est commune, & primò conuenit vel speciei, vel cõmunitati, vt esse mortale homini. sed potestas ecclesiastica est supernaturalis, atq; à Deo ad superiora data: nec respublica est domina respectu huius potestatis, sed serua, vt dictum est, & Christus est rex & dominus non à communitate ipsa, sed

à Deo:

à Deo:& ideo non oportet spectare quomodo se habeant particulares personæ ad totam communitatem. Licet enim in ordine ad naturalia communitas sit superior, & quilibet homo velut subiectus,& inferior in ordine, tamen ad hanc potestatem totum pendet ex voluntate & institutione Christi, qui fuit primus author huius potestatis.Et præterea respu.spiritualis habet regẽ Christum,& potestas in ecclesia est vicaria.Et si instes quia respublica Christiana etiã in ordine ad spiritualia est vnũ corpus, vt patet ex Paulo ad Roma.12.&.1.Corin.12. sed in corpore naturali quic quid parti principaliùs & primò, conuenit conuenit toti,vt homo potius videt quàm oculus, & potestas audiendi potius est hominis, quàm aurium:&sic de reliquis humanis viribus.Et oculus potius est hominis, quàm suus. ergo similiter in corpore mystico ecclesiæ, potestas spiritualis singularium hominum prius & principalius erit in ecclesia tota.Respondetur,quòd sicut Aristo. dicit,parabola, & analogia non oportet nec potest per omnia esse similis:aliâs iam nõ parabola, sed ipsa eadem res esset.Et ideo vt dicit S.Tho.3.parte, Licet corpus naturale, & mysticum multa habeant similia,non tamen omnia,sed differunt nõ paucis,non solùm quãtùm ad esse naturale, quia omnis potestas corporis naturalis oportet esse simul.Ecclesia* autẽ constat ex omnibus fidelibus 5

ab

ab Abel iusto, vsque in finẽ seculi: sed multo magis quantum ad spiritualia. Vnus enim homo est capax gratię, & alterius formę spiritualis, quę nõ potest conuenire immediatè toti. Item pars naturalis est præcisè propter totum in corpore: in ecclesia singuli homines sunt propter Deũ, & propter se solùm, nec bonum priuatum ordinatur ad bonum totius, saltem præcisè, nec principaliter, sicut nec gratia, nec fides, nec spes, nec alię formę supernatu rales sunt immediatè in tota cõmunitate: sic nec potestas spiritualis, quæ est æquè, aut plus etiam supernaturalis. Ad confirmationẽ respondetur ex Caietano in apolo. c. 6. concedẽdo
6 quòd * in cõcilio est immediatè potestas ecclesiastica etiam ratione totius. Sic enim nomine cõcilij fiunt absolutiones, & damnationes, & omnia decreta: vt etiam in primo concilio Apostolorũ, Actuum. 15. habetur, scilicet, Placuit nobis collectis in vnum, & visum est Spiritui sancto & nobis. Et sic est in tota synodo quasi vna potestas. & ideo etiam reclamantibus aliquibus ex concilio, tamen nomine totius concilij decernitur, & dicitur totum concilium aliqua facere: sed hãc potestatẽ non habet, qđ repræsentet totã ecclesiã vniuersalẽ, vt falso imaginãtur alij, nec ex cõmissione christi facta immediatè, vel toti ecclesię, vel cõcilio, sed solũ qa est vnio & cõgregatio ex potestatibus ecclesiasticis. & ideò nihil aliud posset totũ

concilium

concilium, nisi quod ex potestatibus eius singulis, & illarum subiectis consurgere potest. Vnde hæc potestas non est in concilio immediatè iure diuino, sed ex voluntate Prælatorum, qui volunt ex seipsis vnam authoritatem, & velut vnum corpus constituere. Imò non solùm in synodo vniuersali, sed etiam in prouinciali, vel etiam totius Orientis, sicut cum omnes conueniunt ad celebrãdũ illud cõciliũ, esset etiam vna authoritas in tota illa cõgregatione ratione suę totalitatis. Cuius signum est, quòd licèt omnes episcopi essent æquales, id est, quanuis nullus esset superior alio: tamen decreta concilij obligarẽt omnes, nec possent rescindi ab aliquo illorum: & tamen notum est, quòd non imaginantur etiam aduersarij, q̃ illi habent potestatem à tota plebe prouinciarum suarum, nec quòd sit etiam aliqua potestas ecclesiastica immediatè in tota vna prouincia, quia eadem ratione ponetur in tota vna parochia: quod omnino esset absurdum sentire vel dicere profectò. Ergo ita se habet totum concilium vniuersale ad ecclesiam vniuersalem, sicut concilium prouinciale ad prouinciam: & fictitium omnino est aliud imaginari. Est itaq; solùm potestas immediatè in toto concilio ex voluntate prælatorum: qui instituũt vnam potestatem, & authoritatem, cui etiam seipsos subijciunt, sicut partes toti: hoc enim significat, quòd volunt congregare concilium,

lium, quòd volunt stare decretis eius. Ad secundam confirmationem respõdetur primò, Hoc solùm reperitur in recentioribus concilijs, vt Basilienſi, Constantienſi, non autem in antiquis. Nec mirum est, ſi in modo loquendi erratum ſit. Secũdo dico vt ſuprà, quòd repreſentant eccleſiam nõ tanquam vicarij, vel legati, ſed tanquã patres, & paſtores, & tutores ei⁹. Ex quo ſequitur cõtra ſententiam, vel imaginationem aliquorum ſcholaſtiorum, quòd ſi caſu omnes epiſcopi Chriſtianitatis conuenirent in vnum locum non animo celebrandi concilium, nulla eſſet immediatè poteſtas eccleſiaſtica in tota illa multitudine. Nõ enim locus, aut corporalis congregatio dat eis illam poteſtatem, ſed voluntas eorum. Vnde nulla erat poteſtas in omnibus ſimul, cũ eſſent in ſuis prouincijs, nec etiam eſt cum ſunt in eodẽ loco, & in eodem templo: aliàs eadem ratione ſi epiſcopi vni⁹ regni conuenirent ad curiam cauſa viſitandi Regem, iam eſſet ibi concilium. Et ſi obijcias, quia iã hoc eſt determinare, quòd concilium nõ ſit ſupra papam, contra determinationem Pariſienſium, (ſi enim nulla eſt poteſtas in concilio niſi deriuata à patribus, ſequitur manifeſtè non eſſe maioris poteſtatis quam papa,) reſpõdetur primò, In præſentia nihil cõſtitui diſputare de illa odioſa comparatione papæ & concilij. Secundò, ea quæ dicta ſunt, non pugnant cũ aliqua ſententia illorũ

circa

circa illam comparationem. Vndecunque enim concilium habeat potestatem, etiam si deriuetur ab ipsis prælatis: potest teneri quòd est maior in toto concilio, quàm in papa, sicut in concilio prouinciali, quàm in quocunq; prælato concilij. Si hoc non placet, posset teneri, quòd potestas in cõcilio est immediatè à Deo, sed non quia tenet locũ totius ecclesiæ vniuersalis, sed quia est vnio ex omnibus prælatis ecclesiæ, etiam si omnes alij Christiani dissentirent. Et adhuc etiam cum ista opinione stat vtraq; sententia de comparatione papæ & concilij. Ad secundum argumentũ principale disputaturus sum paulo pòst, ad quem spectat electio summi Põtificis. Sed in præsentia primò nego, quòd Cardinales nomine ecclesiæ vniuersalis eligant, sed ex ordinatione ecclesiastica, vel summi Pontificis, vt postea dicam. Secundò dico, quòd dato, quòd ad vniuersalem ecclesiam spectet electio, non valet consequẽtia, ergo in ecclesia est potestas, vel authoritas ecclesiastica immediatè. Antecedens enim est notum in iure, ꝙ non oportet vt electores habeant authoritatẽ ad quam eligunt, sicut patet de electionibus imperatoris: imò electores abbatum nullam habent authoritatem, vel dignitatem, sed habent authoritatem, & potestatem applicãdi dignitatem illi. Ad tertium argumentum respondetur ex domino Caietano. in Apolo. c. 2. ad cuius euidentiã inqui-

rendum est, quid nomine ecclesię intelligatur in illo loco, Dic ecclesię: & cùm sit sermo de ecclesia ad quam spectat audire, & iudicare, oportet vt ecclesia accipiatur, vel pro ecclesia vniuersali, id est pro omni ecclesia, vel pro aliqua particulari ecclesia, vel indistinctè pro qualibet ecclesia. Dico ergo primò, q̃ non potest accipi solum pro ecclesia vniuersali: quia clarum est, q̃ ad corrigendum fratrem non oportet me ire ad conciliũ vniuersale. Item etiam, quia cùm eadem verba dixerit beato Petro, sicut ecclesiæ: scilicet, Quodcunq; ligaueris super terrã, &c. negari non potest, quin etiã Petrus habeat illam potestatẽ, quam dicunt datã ecclesiæ: ergo non solùm potest intelligi ecclesia vniuersalis. Et aliàs perspicue patet, q̃ non intelligitur de aliqua ecclesia particulari, puta Mediolanensi, quia nõ oportet nos recurrere ad illam ad correctionẽ fratris nec etiã de omni collectione propter ecclesiæ admonitionẽ. Restat ergo q̃ accipiatur pro ecclesia indistinctè, seu indefinitè: ita q̃ ecclesiæ datũ est iudiciũ fratris, nõ determinando hãc vel illam: & quoniã actor sequitur forũ rei, determinatur ad ecclesiã fratris peccãtis siue propriã, siue cõmunẽ, & superiorem: & ille est apertus sensus illius præcepti. Sed dubium est, quid significetur nomine ecclesiæ in illo loco: & breuiter dico, q̃ põt intelligi cõuocatio, seu collectio fideliũ. Sed dicũt aduersarij, q̃ hoc loco ecclesia

sia significat cõmunitatem fideliũ, non in seipsis, sed in prẹlatis eorũ, siue papa interſit siue nõ. Sed q̃ ille nõ sit sensus literalis, ostẽditur, quia vtrobique oportet sumi eodẽ modo respectu cuiuscũq; peccãtis. Certũ est autem, q̃ si peccator sit de ecclesia Mediolanensi, si ad correctionẽ ipsius procedendũ est, non oportet dicere ecclesiæ Mediolanensi, id est, cõmunitati Mediolanensium, siue episcopus sit, siue non. Vnde dico, quòd licet ex vi vocabuli ecclesiæ non aliud intelligatur nisi communitas fidelium, tamen ex uerbis sequentibus, Si ecclesiam non audierit, &, Quæcunque solueritis super terram, &c. constat accipiendum esse pro ecclesia habente authoritatem. Et cùm hæc non sit sine prælato, constat intelligi non posse ecclesiam pro aliqua congregatione sinè prælato, sed clauditur ipse prælatus: quòd & aliter probatur. Nam si in nomine ecclesiæ non includitur prælatus illius, oportet dicere alterum duorum, vel quòd ecclesia particularis habet potestatem iurisdictionis etiam inuito episcopo, vel quia nomine ecclesiæ non intelligitur ipsa communitas. Certum est enim quòd ecclesia, de qua dicitur, Dic ecclesiæ, habet potestatem excommunicandi: & certè ita est, quòd nomine ecclesiæ in illo loco intelligitur prælatus, qui est caput ecclesiæ. Hoc namque est dicere ecclesiæ, sicut iudiciũ episcopi dicitur iudicium ecclesiæ: &

excommunicatus ab episcopo dicitur excõmunicatus ab ecclesia. Dictum est autem, Dic ecclesiæ, & non episcopo, quia intelligitur, quòd debet dici episcopo, non tãquam priuato, sed in foro publico. et ideo dicitur, in foro, & iudicio ecclesiæ. & hoc apertè manifestatur: quia vsus illius præcepti in ecclesia talis est vt dicatur peccatum fratris prælato, & tunc intelligimus dixisse ecclesiæ. Dixit autem, Amen dico vobis, quodcunque solueritis, &c. in plurali numero, vel quia iudiciũ ecclesiæ licet fiat authoritate vnius prælati, tamẽ non debet fieri nisi per multos: vel simpliciter quia erant futuri multi prælati, & multę ecclesię. Dico præterea cum Caietano, quòd in illo loco Matth. 18. nulla potestas videtur data. Nam ex illo, Dic ecclesiæ, nõ datur aliqua potestas sed præcipitur denuntiatio: per illa verò, Si ecclesiam nõ audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus præcipitur euitatio: per illa verò verba, Quæcũq; solueritis, &c. patet nullam dari authoritatem, quia per eadem verba dictum est Petro, Quodcunque solueris, &c. Matth. 16. & non est data ei aliqua potestas, sed postea Iohan. vltimo, Pasce oues meas. Sed significatur solùm quantæ efficaciæ esset futura sententia ecclesię, quam illic non dat, sed solùm vel promittit, vel supponit, Et demum ad veritatem illorum verborum non oportet quòd ecclesia habeat immediatè authoritatẽ

à Chri-

à Christo, sed satis est, quòd habeat à suo prælato vel prælatis congregatis, vel ab ipso papa. adhuc enim ecclesia haberet potestatem, & quilibet teneretur audire ecclesiam: ergo frustra comminiscitur hanc potestatem. Et sic ex omnibus patet, quòd ex eo loco, Matth. 18. nullo modo habetur, quòd sit aliqua authoritas iure diuino immediatè nec in ecclesia vniuersali, nec etiam in concilio, quamuis hoc secundum possit probabiliter dici insensu suprà explicato. Hunc locum prolixiùs tractaui: quia aduersarij nihil aliud ex scripturis afferunt ad probandum quòd iure diuino sit authoritas in ecclesia vniuersali immediatè, & in concilio. Addit Caieta. quòd in die Cœne fuit institutum sacramentum ordinis, & per consequens quando Dominus dixit ea verba Matthæ. 18. non erat potestas episcoporum, nec presbyterorum, & per consequens non dedit tunc potestatem cõcilij, quod constat ex episcopis & presbyteris. Ad quartum non est opus multis, & primùm potiùs alij prelati solent dici ministri ecclesiæ, quam papa: & certum est, quòd non dicuntur ministri ecclesiæ, quia acceperint authoritatẽ ab ecclesia vniuersali: sed vel quia ministrãt ecclesiæ: vel in ecclesia vel quia à principe ecclesiæ sunt instituti. Et clarũ est, q̃ etiã si nihil authoritatis ponatur in ecclesia vniuersali, nihilominus dicerẽtur ministri ecclesiæ. Cæterùm quòd potiùs

debeant dici omnes tam papa quàm alij prælati ministri Christi quàm ecclesię, patet ex Paulo, Si quid donaui, in persona Christi, &c. 2. Corin. 2. & alibi. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi. 1. Corin. 4. Omnis enim potestas spiritualis & ecclesiastica est quoddam donũ Dei, & pure supernaturale. Sicut ergo alia dona, vt gratia, charitas, fides, & prophetia non data sunt primò ecclesiæ, sed primò conueniunt particularibus personis, & est fides in ecclesia, quia aliqui particulares credunt: ita etiam potestas ecclesiastica data est certis personis primò, & per illas conuenit ecclesiæ. & omnino est commentum sophisticum, imaginari potestatẽ ecclesiasticam in cõmunitate, qua nunquã esset vsura, sed omnia gerũtur, & semper gesta sunt per prælatos qui deriuati sunt ab Apostolis, sicut re vera si à natura essent principes in republica ciuili, & omnes magistratus sufficientes ad gubernationem reipub. profectò frustra somniaremus potestatem ciuilem in republica immediatè.

SECUNDA QUAESTIO principalis, An potestas ecclesiastica sit in omnibus Christianis.

SVMMA.

1 *Christiani oẽs, nec sunt sacerdotes, nec oẽs æquales sed est ordo in ecclesia, & gradus ecclesiasticæ potestatis. Christia-*

2 *Christiani an sint aliqui, quibus conuenire non possit potestas ecclesiastica.*

3 *Mulieres, nec sacerdotes esse possunt nec aliquem ordinem aut potestatem ecclesiasticam habere, quæsit de iure diuino.*

4 *Abbatissæ, & aliæ monasteriorũ & virginum matres, nullam habent potestatem nec iurisdictionem spiritualem.*

5 *Monachæ an teneantur obedire Abbatissæ.*

6 *Iure diuino nullus alius de numero Christianorum præter fœminas excluditur à potestate ecclesiastica siue ordinis siue iurisdictionis.*

7 *Potestas ecclesiastica siue ordinis, siue iurisdictionis: tota fuit in Petro Apostolo.*

8 *Apostoli omnes an habuerint potestatem immediatè à Christo, an solus Petrus à Christo, & alij à Petro.*

9 *Potestatem omnem, quam Apostoli habuerunt receperunt immediatè à Christo.*

10 *Apostoli, an æqualẽ acceperint cũ Petro potestatẽ.*

11 *Petrus, inter Apostolos omnes fuit authoritate, & potestate primus & princeps, cum summa supra totam ecclesiam potestate.*

12 *Potestatem ecclesiasticam aliquam, nullus alius à Christo videtur accepisse, præter sacros Apostolos.*

13 *Potestas ecclesiastica non solùm fuit in Apostolis, sed etiam in alijs.*

14 *Potestas omnis ordinis & iurisdictionis, quæ priùs erat in Christi apostolis, illis defunctis perseuerauit*

in ecclesia.

15 *Gradus ecclesiæ, perseueraturi sunt in ecclesia vsque ad vltimum iudicium, & mortuorum resurrectionẽ.*

16 *Potestas ordinis in ecclesia, tota deriuata est, & pendet immediatè ab episcopis.*

17 *Petro Apostolorum principe defuncto, aliquis ei successit cum simili & authoritate, & potestate iurisdictionis in totum orbem.*

18 *Petro mortuo, ecclesia habet potestatem subrogandi & instituendi alium loco illius, etiam si petrus nihil de hoc prius constituisset.*

19 *Electio summi Pontificis ad quem spectaret cardinalibus deficientibus, negligentibus, aut pernicioſe inter se dissidentibus.*

20 *Electio summi Pontificis deficientibus cardinalibus & c. non videtur spectare ad totum clerum.*

21 *Sedes apostolica in quocunque casu vacaret, manendo in solo iure diuino, ad quem spectaret electio.*

22 *Beatus Petrus, vel solus, vel cum alijs apostolis potuit constituere formam, & rationem, qua post obitum eligeretur ei successor.*

23 *Beatus Petrus potuit eligere, & designare successorem, qui, eo defuncto, sine alia electione esset summus Pontifex.*

24 *Ratio eligendi summum Pontificem, quæ nunc seruatur in ecclesia, non est de iure diuino.*

25 *Ratio eligendi summũ Pontificem ex constitutione, & authoritate ecclesiæ, aut summorũ Pontificũ est, qua*

quæ eadẽ est, & eadem authoritate mutari posset.

26 *Apostolis alijs successit nemo cum æquali potestate, & authoritate iurisdictionis.*

27 *Quilibet apostolorũ aliorũ à Petro potuit relinquere successorem, licet non vniuersalem, saltem in quacunq; prouincia voluisset, qui esset verus episcopus illius prouinciæ.*

28 *Apostoli, non solum potuerunt relinquere sibi successores, sed etiam quilibet successorum eorum potuit similiter sibi relinquere successorem.*

29 *Episcopus quilibet, in sua prouincia potuit condere legem, vt presbyteri eligerent episcopum, vel aliam formam institutionis dare, etiã sede Petri incõsulta*

30 *Petri successores, potuerũt & possunt pro suo arbitrio episcopos creare in singulis prouincys, & quascunq; leges de hac re prius latas tollere, & nouas condere prouincias distinguere, & omnia ad hoc spectãtia pro suo iudicio, & potestate facere.*

PRiusquam veniamus ad solidã, & germanam veritatem, oportet, vt adulterinas & falsas sententias excludamus: quod vt commodius fiat rursus propono quæstionem. An potestas ecclesiastica sit in omnibus, aut singulis Christianis, In cuius quæstionis definitione licet omnes catholici authores satis conueniant, tamẽ neoterici hæretici incredibili arrogantia à tota ec

clesia receptæ sententiæ aduersantur, asserentes, & contendentes, oēs Christianos ex æquo esse sacerdotes, nec esse aliquos gradus ecclesiastici ordinis in ecclesia. Nec tamen multis aut rationib⁹ aut testimonijs hoc probare laborant, sed suo more, vno, aut altero scripturarum loco in suam sententiam detorto, mordicus hæresim suam retinēt & factionem propugnant. Sed verba imprudentissimi in primis Lutheri ascribere satius est in libro de abrogāda missa priua. ita dicit. Nos omnes eodē quo Christus sacerdotio, sacerdotes sumus, qui Christiani, id est filij Christi summi sacerdotis sumus: nec ex vllo scripturę sanctę testimonio id habetur, quòd sacerdotes rasi & vncti aliqui in nouo testamento dicātur distincti à laicis, & paulo post, Stat irrefragabilis sententia, sacerdotes visibiles, & à laicis diuersos in nouo testamēto nullos esse, qui autem sunt, sine testimonio scripturarum & sine vocatione Dei sunt: hoc autem quid est aliud, quā ex diabolo esse? Et alibi dicit, quòd puer, & mulier, & quilibet Christianus absoluere potest à peccatis. Adducit illud. 1. Petr. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquis. &c. Et eodem loco. Et ipsi tāquam lapides viui superædificamini domus spiritualis, in sacerdotium sanctum. Cōstat autem Petrum loqui generaliter omnibus fidelibus, & non solis ordinatis in sacerdotes. Item Ioan. in Apoc. cap.

cap:5.Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes.& Apoc.20.Sed erunt sacerdotes Dei & Christi eius.Quæ oĩa vult dicta esse de omnibus Christianis.Item illud Matth.18. Quodcunq; solueritis super terram. &c. iuratissimè affirmat dictum esse omnibus Christianis.

Contra omnes hæreticos pono conclusionem Non omnes Christiani sunt sacerdotes,eo modo quo sunt sacerdotes ab ecclesia ordinati,id est cũ potestate consecrandi eucharistiam, & absoluendi à peccatis.Vel ponatur sub alijs verbis sic.Nec
* omnes Christiani sunt sacerdotes, nec oẽs sunt 1
æquales,sed est ordo in ecclesia,& gradus ecclesiasticę potestatis.Hanc quæstionẽ totamq; hanc disputationem,quam potero paucis absoluã.Postquam enim nulla cũ catholicis nobis cõcertatio est,sed solum cum hæreticis, nihil operæpretium facturum me puto, si religiosam,& piam prorsus contionem hoc argumento diutius retinuero. Et alioqui clarissimi viri Roffensis episcopus, & Iodocus Clithoueus,de hoc capite aduersus Lutherum doctissimè & disertissimè scripserunt, quos scio vobis familiares esse. Probo igitur conclusionem totam simul. Primò Paul. ad Roman. 12. totam ecclesiam quasi quoddam corpus mysticũ esse dicit, quòd varijs organis, & membris sit compactum. Sicut in vno, inquit, corpore multa sunt membra,omnia autem membra non eundem

dem actum habent,ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: habentes autem donationes secundum gratiam: quæ data est nobis,differentes, &.1.Cor.12. Sicut corpus vnum est,& membra habet multa,omnia autem membra corporis cum sint multa, vnum tamen corpus sunt:ita & Christus. Et infra corpus non est vnum membrum,sed multa.Si dixeritpes,quoniam non sum manus,non sum de corpore,non ideo non est de corpore? Si totum corpus oculus, vbi auditus?Si totũ auditus, vbi odoratus?Nunc autem posuit Deus membra,vnumquodque eorum corpore sicut voluit.Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem multa quidem membra,vnum autem corpus.Et in principio illius,ca.Diuisiones gratiarũ sunt,idem autem spiritus, & diuisiones ministrationum sunt,idem autem dominus, & diuisiones operationum sunt,idem verò Deus,&c. Rogo,& appello religiosas,& pias aures, si omnes in ecclesia æquales sunt,quo modo fecit Deus,vt Paulus dicit varia membra,manus, pedes, oculos, aures, in corpore ecclesiæ?omnes sumus oculi Luthero vbi ergo pedes? aut quomodo erit verum, quod Paulus in eadem epistola & cap.subiungit, Non potest autem dicere oculus manui.Opera tua nõ indigeo:aut iterum caput pedibus, Non estis mihi necessarij,Certè si Lutherum audiamus, pedes pote-

poterunt dicere capiti, Non es nobis necessarium sic enim ipse docet, pedes hoc est plebem, non in digere capite, hoc est sacerdote, sed omnes eos es se sacerdotes. Item in eodem loco Paulus. Et quos dam quidem posuit Deus in ecclesia, primò Apo stolos, secūdò Prophetas, tertiò Doctores, & alios item gradus ecclesiæ recenset, vbi omnino videtur sanctus Apostolus ex instituto velle elidere arrogantiam eorum, qui omnes in ecclesia æquare volebant: vel rursus superbiam reprimere aliquorum, qui in altiori gradu cōstituti, inferiores contēnebāt: aut certè plebem admonere, ne se eo minus in corpore Christi contentos reputarent, quòd inter gradus ecclesiasticos non censerentur In eādem sententiam scribit ad Ephes. 4. Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, alios autem Prophetas alios verò Euangelistas, alios autē Pastores, & Doctores, ad consummationem sancto rum, in opus ministerij in ædificationem corporis Christi. Ioan. Item Apoca. 21. Ego Ioannes vidi sanctam ciuitatem, nouam, descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Qua verò ratiōe erit ecclesia ciuitas, in qua nulli sint magistratus, nulli moderatores, & nullus ordo ciuium, sed æqualitas, vel cōfusio potius & turba pro suo cuiusq; arbitrio & libidine agentium? Nec enim est ciuitas, vt orator ait, quæcunque in vnū locum quorumcunq; hominum multitu-

tudo consistit. Idem Apostolo. 1. Timo. 5. Monet vt nemini cito manus imponeret: certe vt sacerdotē consecraret. Idem. 1. Timothæ. 4. Noli negligere gratiam quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterij. Et. 2. Timot. 1. Vt resuscites gratiam, quæ est in te, per impositionem manuum mearum. Titum prę terea admonet. capi. 1. vt constituat per ciuitates presbyteros. In Actibus item apostolorū de Paulo, & eius collegis legitur constituisse per diuersas ecclesias presbyteros. Et idem Paulus ad presbyteros Asiæ, Militum accersitos. Vos, inquit, posuit Spiritus sanctus episcopos regere ecclesiam Dei. Actuum. 20. certè ipse Apostolus. 1. ad Corinthi. 3. apertè distinguit plebem à sacerdotibus. Dei enim sumus, inquit, adiutores, Dei agricultura estis. Sed video vobis ingratam esse rationem hāc sanè, in qua re non dubia vtar argumentis non necessarijs: relinquam ergo primam hanc conclusionem tanquam certam, non omnes Christianos esse æquales in potestate ecclesiastica. Certè Tertullianus, cuius authoritas, quod ad antiquitatem spectat grauissima est, de præscriptionibus hæreticorum execratur, non solùm quòd noui hęretici dicunt omnes Christianos esse ex æquo sacerdotes, sed ordinationes tam incertas. Ordinationes (inquit) eorum leues, temerariæ, inconstantes: itaque alius hodie episcopus, cras alius, hodie

hodie diaconus, qui cras lector, hodie presbyter, qui cras laicus. Nam apud eos laicis sacerdotalia munera iniunguntur.

Sed ex hac quæstione emergere videtur dubiũ non contemnendum, An * sint aliqui Christiani 2
quibus conuenire non possit potestas ecclesiastica. Et primò quidem dubitatur de mulieribus, an sint capaces ecclesiastici ordinis, & potestatis. Et quidem videri possit, quòd sint, ex eo quòd Paulus ad Gala. tertio dicit, quòd non est Iudęus nec Græcus, non est seruus, nec liber, non est masculus, nec fœmina in Christo Iesu, quare non videtur qđ ad administrandum Christo in ordine ecclesiastico fœminæ reijci debeant in lege Christi. Item prophetia est (vt videtur) tantæ dignitatis, sicut potestas ecclesiastica, quæ tamen mulieribus aliquando communicatur, vt patet de Debora, vt patet. 4. Regum.

Hoc non obstante pono cõclusionem, Mulieres * nec sacerdotes esse possunt, nec aliquem or- 3
dinem, aut potestatem ecclesiasticam habere, quę quidem sit de iure diuino. Hanc conclusionẽ video placere, omnibus authoribus, atq; adeo, quãquam defendi contrariũ non absurdè fortasse possit, tamen ne more iureconsultorum nouas conclusiones afferamus, ex sententia doctorum probo hanc conclusionem. Primò, Nam ordines, & potestates ecclesiasticæ omnes ordinantur (vt

latè à

latè à nobis disputatum est)ad gubernationẽ populi,& directionem in finem spiritualem, sed ex sacris literis hęc non possunt conuenire mulieri. Vnde.1.Corin.14.Mulieres in ecclesia taceãt, nõ enim permittitur eis loq, sed subditas esse:si quid autẽ volũt discere,domi viros suos interrogẽt,turpe enim est mulieri loqui in ecclesia. Et ne quis putet hoc esse Pauli præceptum, & non iure diuino,adiunxit,Si quisvidetur propheta esse aut spiritualis,cognoscat quæ scribo vobis, quia domini sunt mandata.Et.1.ad Timo. 2. Mulier in silentio discat cum omni subiectione, docere autẽ mulieri non permitto,nec dominari in virum,sed esse in silentio. Ita etiam fuit constitutum in concilio Carthaginensi,vt refertur.23.dist.ca.mulieres. & Ambrosius est in eadem sentẽtia.vt.33.quæst.5 c.mulieres,Philosopusetiam dicit,corruptionem esse reipu.vt principatus & administratio ad fœminam deueniant. Item dominus nullam potestatem legitur commisisse mulieri, etiam sanctissimæ,simul & sapientissimę matri,vt patet in cœna,& post resurrectionem. Item nõ committitur eis,vt præsint vires,sed contra,vt sint subiectę.vnde Gene.3.sub viri potestate eris. Et quod profectò me plus mouet est, quòd in tam longa annorum serie,in tota copia optimarum, & sapientissimarum fœminarum, nunquam ecclesia tẽtauit adpotestatem ministerium ecclesiasticum aliquã assume-

assumere. Hoc autem magnum argumentū apud me & in hac, & similibus causis est, vt quòd nunq̄ factum est, cum fuerit magna occasio & copia faciendi, quem ideo nō esse factum, quod fieri nec licuerit nec potuerit. Itaq; sic puto nec licere qui dē fœminam quocūque diuino ordine sacrare: q̄ si secus actum sit, nihil omnino agi: sed tamen etiā si hoc verum sit, dubitari tamen potest, an mulieres, quæ in monasterijs virginibus præficiuntur, aliquam potestatem ecclesiasticam habeant, saltē iurisdictionis, si ordinis habere non possunt, qualem Abbatissæ vsurpant, ferentes leges & præcepta ad formam & morem episcoporum. Respondeo, Nec de hac quæstione magnam video cōtrouersiam inter theologos. Nam de iureconsultis videant ipsi quid sentiant. Itaq; ex sententia S. Th. 4. di. 19. q. 1. ar. 1. q. 3. ad quartam & di. 25. q. 2. art. 1. quæstiuncula. 1. ad. 2. Et Palu. 4. dist. 19. q. 2. q. 3. Et Duran. ibidē. Et Sylue, verbo. Abbatissa. §. 3. pono conclusionē, Abbatissæ,* & aliæ matres monaste 4
riorum, & virginum nullā habent potestatē spiritualē, nec iurisdictionem spiritualem. Probatur, Quia tota potestas spiritualis ortū habet à clauibus, mulier autem non potest habere claues, quia sunt propriè sacerdotū: ergo nec iurisdictionē spiritualē. Et licet aliqui habeant iurisdictionē spiritualē, qui nō sunt sacerdotes, nec habēt claues, nullus. tamē habet iurisdictionē spiritualē, qui nō sit

capax & sacerdotij,& clauiū. Et cōfirmatur hoc Nam non sunt peioris conditionis religiosi professi,qui tamen non sunt clerici quantūm ad hoc q̄ religiosæ fœminæ: sed religioso non clerico, vt omnes dicunt doctores, non potest committi iurisdictio spiritualis: ergo multo minus fœminæ cuicunque. Item non potest absoluere: ergo nec ligare. Certè enim ad eandem spectat potestatem Item quicunque habet iurisdictionem extra forū pœnitentiæ, potest excōmunicare: omnis enim iudex habet vim coactiuam: fœmina hoc non potest: ergo. Item non habet scientiam spiritualem, nec ad eam spectat habere: ergo non potest iudicare de spiritualibus. Esset enim periculosissimū committere salutem spiritualem animarū ei, qui iudicare nō possit quid expediat, aut noceat animarum incolumitati. Ex quo sequitur, quòd tales Abbatissæ non possunt aliquid mandare in forma præcepti, putà in virtute Spiritus sancti, & sanctæ obedientiæ, & sub præcepto: nec si faciat, tenet factum, ita quòd obliget tanquam præceptum episcopi, aut abbatis, aut prioris. Esset enim absurdum committere eis huiusmodi potestatem, quę magnā eruditionem exigit, ad discernēdūquę materia sit digna tali censura, vel qualis sit huiusmodi obligatio, imò nec intelligere possent, an quis trāsgressus esset huiusmodi præceptū

5 Et si quærat quis fortasse,* an monachæ teneā

tur obe

tur obedire Abbatissæ? Dico, quòd tenentur primò, quia tenentur seruare regulam suam, vbi continetur obedientia Abbatissæ. Secundò dico, q̃ tenẽtur præceptis eius ad modum, quod filiæ, vel filij tenẽtur obedire patri: peccant enim transgressores prẽceptorum patris, nec tamen pater habet iurisdictionem spiritualem: & tandem tenentur obedire Abbatissæ, sicut tenentur ad alia statuta suæ regulæ: vbi non est specialis præceptio. Vel dico, quòd absolutè nolle obedire Abbatissæ est mortale: sed Abbatissa nõ potest facere noua præcepta. Hæc autem omnia dicta sunt ratione iuris positiui, non diuini: quamuis enim mulier iure diuino non possit habere, vel ordinẽ, vel dignitatẽ spiritualẽ, & iurisdictionẽ, posset tamẽ habere potestatẽ aliquã iurisdictionis spiritualis, sicut & laici possent, nisi iura prohiberẽt: iura autẽ nõ plus concedunt in hac parte Abbatissæ, quàm laicis.

Vltima conclusio circa hanc materiã, Nullus* 6 alius de numero Christianorum, præter fœminas excluditur diuino iure à potestate ecclesiastica, siue ordinis, siue iurisdictionis. Vnde dico cum doctoribus, quòd etiam puer potest fieri sacerdos, & amentes, & in vniuersum omnes Christiani. Et differentiam assignant doctores, quia illi peruenire possunt ad statum, vbi possint cõmodè exercere potestatem. Est enim impedimentum cõtingẽs, secus in fœminis. Doctores tamen excludũt

pueros à consecratione episcopali iure diuino, vt si puer consecretur in episcopum, consecratio non teneat, sed certè non adeo graui ratione permoti. Atque adeò si concedimus posse in sacerdotem consecrari, non satis video quid obstet, quominus & episcopus possit ordinari, sed in mediũ hoc relinq; potest, nec quicq; habeo certi asserere.

Diximus hactenus, in quibus non sit, aut esse non possit ecclesiastica potestas. Restat, vt iã dicamus in quibus inueniatur huiusmodi potestas. Et vt ad originem suam totam rẽ reuocemus sit prima conclusio. Tota * potestas ecclesiastica & ordinis & iurisdictionis fuit in Petro Apostolo. Hęc conclusio nota est ex euãgelio Mat. 16. Tibi dabo claues regeni cælorum, & super hanc petrã ædificabo ecclesiã meã. Et Ioan. vlti. Pasce oues meas. Secunda cõclusio. In omnibus apostolis fuit potestas ecclesiastica ordinis, & iurisdictionis. Hæc etiã nota est. Dictũ est enim omnibus simul. Hoc facite in meã commemorationẽ: & Quorũ remiseritis paccata. & Quodcunq; solueritis. &c. Luc. 22 Matt. 18. Ioan. 20. Sed circa conclusionẽ hanc primum dubiũ, * An omnes apostoli habuerint potestatem immediatè à Christo, an solus Petrus à Christo, & alij à Petro. Et de potestate quidem ordinis, de qua minus dubitandum videbatur, non omnino videtur esse certum. Nam & Iacobus ordinatus fuit episcopus Hierosolymitanus post

Ascen-

Ascensionem Domini à Petro, Iacobo, & Ioanne, vt habetur in cap. porrò. d. 66. & Paulus, ac Barnabas ordinati etiã ab alijs fuerunt. Legitur enim Actorũ. 13. Se gregate mihi Paulum & Barnabam Et subiungitur, imponentes illis manus, dimiserunt. Vbi glo. In modum ordinatorum. Et tamen non est dubitandum, quin Paulus tantam potestatem acceperit à Christo, quantam alij Apostoli acceperunt. Non ergo certum videtur, ꝙ omnes Apostoli habuerint totam potestatem ordinis à Christo, quanquam de hac potestate satis doctores cõueniunt. Sed de potestate iurisdictionis bona pars, Scriptorum, & quidem grauissimorum, contendunt, solum Petrum habuisse à Christo eã potestatem, cæteros autem omnes à Petro. Quod probant primò magnorum quidem virorum authoritate, vt Anacleti. Cypriani, August. Leonis, Alexan. Quorum ego verba recitare super sedeo eo quòd reuera non significant id, quod authores huius sententiæ volunt. Si quis cupit videre, legat apud Cardinalem Turrecrematam libro. 2. capi. 54. sed eorum sanctorum testimonia eo tendunt, vt asseuerent solum omnem authoritatẽ post Petrum, à Petro habuisse originem, ab eoque pendere, ipsumque Petrum principẽ fuisse tum aliorũ Apostolorum, tum autem totius ecclesię Christi: quod tantum abest, vt nos negemus, vt pro intolerãdo errore cõtrariam sententiã habeamus. Sed

si testimonijs non efficiũt, quod volũt, rationib⁹ hoc euincere conantur. Et prima ratio eorum est Nã apostoli non habuerunt subditos ab ipso Christo: ergo nec iurisdictionem, quæ nisi in subditos esse non potest. Antecedens probatur, Quia vel omnes homines, vel certos. Non secundum, quia voluntariè diceremus hospotius quàm illos, cùm in euangelio non habeatur, nec omnes dedisse videtur. fuissent enim multi pastores: & ex æquo habentes plenitudinem potestatis in ecclesia, quod in omni principatu vitiosum est. Multitudo enĩ principum est pernicioſa, vt Arist. etiam dicit. 12. Metaphy. &. Omne regnũ diuisum desolabitur. Præterea nõ esset vnum ouile, & vnus pastor gregis Christi, si essent multi pastores ex æquo. Præterea non videtur quo modo Petrus fuisset princeps, & caput supra alios apostolos, si alij similem cum Petro à Christo potestatem accepissent.

9 Verum quia in contrarium videtur stare Euangelium, pono hanc conclusionem, Omnem* potestatẽ, quã apostoli habuerũt, receperunt immediatè à Christo. Probatur primò. Omnibus dictũ est Matt. 18. Quæcunq; solueritis super terrã, &c. Itẽ omnibus, Hoc facite in meã cõmemorationẽ. Luc. 22. Itẽ, Quorũ remiseritis peccata. Ioan. 20. & Matt. vlt. Eũtes in mundũ vniuersum, prædicate euangelium omni creaturæ. & Ioã. 20, Sicut misit me pater & ego mitto vos. Itẽ Christus fecit eos

omnes

omnes apostolos, vt patet Matth. 10. & Mar. 3. & Luc. 6. & 1. Cor. 12. & ad Eph. 4. sed ad officiũ apostolatus spectat potestas ordinis & iurisdictionis ergo vtrãque habuerunt apostoli à Christo. Vnde est considerandum, quod tria spectãt ad dignitatem apostolatus. Primum authoritas gubernãdi populum fidelem, secundum, facultas docendi tertium, potestas miraculorum. Hæc ostẽduntur. Primò Luc. 9. scribitur, quòd cõuocatis Iesus duodecim apostolis, dedit eis potestatẽ super omnia dæmonia, & vt languores curarent, & misit eos prædicare regnum Dei, & sanare infirmos. Matt. quoque vltimo. Dominus dixit eis. Euntes in mũdum vniuersum, docete omnes gentes, baptizantes, & docentes seruare omnia, quæ mandaui vobis. In prima quoque epistola ad Corinrh. cap. 12. Ipse posuit quidem apostolos. glo. dicit, omniũ ordinatores, & iudices. Itaque si Christus eos apostolos fecit, nec apostoli esse poterant sine potestate ordinis & iurisdictionis: ergo vtrãq; à Christo acceperunt. Item non videntur minorem potestatem alij apostoli recepisse à Christo, quàm Paulus: sed Paulus omnem potestatem, quam habuit, habuit à Christo, ipse enim dicit ad Galat. 1. quòd non ab homine, nec per hominem habuit, potestatem. Et ad Galat. 2. disertè dicit, se nihil accepisse ab alijs Apostolis, & nominatim à Petro Qui videbãtur, inquit, aliquid esse, nihil mihi cõ-

tulerunt. Qui enim operatus est Petro in apostolatu circuncisionis, operatus est & mihi inter gentes. Pro certo ergo mihi videtur pronunciãdum & tenendum apostolos omnes accepisse vtranq; potestatem à Christo.

10 Sed super est dubiũ, An* æqualem acceperint cum Petro: nam hæc etiam quæstio in vtranque partem habet assertores. Sed quia ad maiora festinanti non vacat vtriusque partis fundamenta tradere pro sententia, quam veriorem puto, pono cõclusionem, apostoli omnes habuerunt æqualem potestatem cum Petro. Quàm sic intelligo, quòd quilibet apostolorum habuit potestatẽ ecclesiasticam in toto orbe, & ad omnes actus ad quos Petrus habuit, non tamẽ loquor de illis actibus, qui spectãt ad solũ summũ pontificem, vt est cõgregatio generalis concilij. Hæc probatur primò quo ad primam partem ex loco iam citato Matt. vlti. Eũtes in mundũ vniuersum. &c. & sine exceptione, Quæcunq; solueritis. &c. Et quorũ remiseritis pec. &c. & Ioã. 20. Sicut misit me pater. &c. Christus autẽ missus fuerat in totũ orbẽ: ergo in totũ orbẽ ipse misit apostolos. Secũda verò pars q̃ ad oẽs actus, hoc videtur posse probari ex eo, q̃ (vt dictũ est, authoritas gubernãdi est de ratione apostolatus: & nõ videtur q̃ sit limitata, qa nulla ratione diceretur q̃ extẽdat se ad certos actus, & nõ ad alios. Sed potius probatur ex gestis apostolorum ipsorum,

rum, qui vbiq; terrarum constituebant ecclesias, & episcopos, & leges ferebant pro potestate: nec apparet quid Petrus posset, dimissis his, quæ ad solum summum pontificē attinent, quod non & alij. Et Paulus ad Gala. 1. & 2. satis defendit se parem potestatem cum Petro habere. Hæc est apertè sententia Cypriani in epistola de vnitate ecclesiæ ad Nouatianum. & habetur. 24. q. 1. Ego dico tibi hoc, Vtiq; erāt cæteri Apostoli, quod Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis. Nec audienda est glo. dicens hoc debere intelligi in ordine & dignitate consecrationis, non in potestatis plenitudine: vt patere potest ipsam epistolam diui Cypriani legenti.

Et ne quisquam suspicetur me velle quicquam derogare de dignitate, aut prærogatiua, aut primatu Petri, quem non solùm cū catholica ecclesia confitemur, sed etiam pro virili defendimus: pono aliam conclusionem, Petrus * inter omnes 11
Apostolos fuit authoritate & potestate primus, & princeps cum summa supra totā ecclesiam potestate. De hac conclusione à doctissimis viris nō iusti solum, sed prægrandes libri confecti sunt, & editi, atq; ideo ego breui me hoc loco nunc expediam, paucis modo contentus Euangelij testimonijs. Primus locus est Matth. 10. Duodecim autē Apostolorum nomina sunt hæc. Primus Simon, qui dicitur Petrus. Et Luc. 6. vocauit Dominus di-

scipulos suos,& elegit duodecim ex ipsis,quos & Apostolos nominauit,Simonem, quẽ cognominauit Petrum,& Andream fratrẽ eius,&c. Et eodem ordine nominantur & numerantur à Marc. c.3.& tamen nulla ratione Petrus potuit dici primus nisi in dignitate apostolatus: vel põtificatus nã ordine quidẽ vocationis, primus fuit Andreas frater Petri, vt patet ex primo, c. Ioh. Imò Andreas iam vocatus à Christo, vt refert Ioh.inuenit Simonem fratrẽ suũ,& dixit ei, Inuenimus Messiam:& adduxit eum ad Iesum.Est præterea insigne testimoniũ,& omnino non refractario & obstinato intellectui apertissimũ, Matth. 16. vbi ad quæstionẽ Domini musantibus & cunctantibus alijs discipulis,respõdit Petrus,Tu es Christus filius Dei viui.Cui Dominus,Beatus es Simon Bariona,quia caro & sanguis nõ,&c.sed Pater meus, &c.& ego dico tibi quia tu es Petrus,& super hãc petram ædificabo ecclesiam meã, & tibi dabo claues regni cælorũ. Certè vel cæco notum esse potest pro tam præclara cõfessione aliquid promissum Petro præ cæteris Apostolis.Item, Ego orabo pro te,& tu aliquãdo conuersus,confirma fratres, &c. Luc. 22. Nec obscurior locus est ille Ioh. vltimo, vbi cùm bis Dominus rogasset Petrum, an se diligeret plus alijs Apostolis, illo respondẽte se quidẽ amare,subiunxit bis, Pasce oues meas pasce agnos meos, Prorsus est hominis præposte-

ri,

ri, & peruersè alioqui apertum testimonium interpretantis, negare Christum eo loco voluisse Petro pro maiori erga se amore maiorẽ etiã authoritatem præstare. atque vel ex his duobus locis liquidò constat Petro integram authoritatem in ecclesia commissam. Cui enim data est, si Petro est negata? Vnde licèt etiam, vt dictũ est, alij Apostoli habuerint æqualem potestatem cũ Petro ad sensum suprà positum, tamen potestas Petri erat eminentior. Primò, quia potestas Petri fuit ordinaria, Apostolorum autem extraordinaria. Secundò potestas Petri erat perseueratura in ecclesia, non autem aliorum. Tertio, quia aliorum potestas nec supra Petrum, nec supra se inuicem, Petri autem supra omnes alios. Quartò, quia aliorum potestas subordinata fuit Petri authoritati. Præualuisset enim authoritas Petri contra authoritatem aliorum.

Sed vt aliquãdo illum locũ, Pasce agnos meos, absoluam (nam difficilior alius restat) sit in hoc argumento hæc vltima conclusio, Præter* sacros 12
Apostolos nullus alius à Christo potestatem ecclesiasticam aliquam videtur accepisse. Hęc probatur, Nã si quisquã alius accepisset: maximè fuisset ex numero septuaginta duorũ discipulorum: sed illi nõ videtur accepisse ergo: de nullo est verisimile q̃ acceperit. De septuaginta duobus autẽ probatur, quia in omnib⁹ locis, vbi data est potestas,

stas, non erāt discipuli isti ergo. Et præterea quia Ioseph, qui cognominat⁹ est Barnabas, erat vnus ex discipulis, vt patet Act. 1. & tamen Actuum. 4. dicitur post ascēsionem Domini q̄ erat Leuites. Non est autem credēdum, si Christus potestatem aliquam ecclesiasticam dedisset ei, q̄ fecisset solùm Leuitā, quia Dei perfecta sunt opera. & Philippus, qui prędicauit Samaritanis, Actuum. 8. & baptizauit eunuchum Candacis reginæ, nō fuit Philippus Apostolus, vt multi putant, nec sine causa, q̄ ad baptismum ipsius, Samaritani non receperāt Spiritum sanctum: sed dicunt esse Philippum vnum ex septem diaconis de quo Act. 6. & 21. Ita dicit S. Tho. 4. dist. 2. q. 2. arti. 4. ad primum & quodlibeto. 11. art. 7. Licet oppositum videatur dicere super Ioannem. c. 12. lect. 3. Hic igitur Philippus non videtur dubitādum, quin esset de numero septuaginta duorum cum post Apostolos non temere legatur alius præstantior prædicator aut minister Euangelij, ad quod opus delecti fuerunt. 72. discipuli, & tamen nō erat presbyter, sed tantum diaconus. Imo septem illi diaconi, qui Act. 6. electi fuerunt administrandum mensis, creduntur fuisse de numero discipulorum. Nō enim ex neophytis fuissent assumpti ad tale ministerium, & tamen non erant presbyteri, vt pro certo constat: imò re vera nullam habebāt spiritualem potestatem. Ergo septuaginta duo Discipuli, nec

fuerunt

fuerunt à Christo ordinati, nec habuerunt potestatem aliquam ecclesiasticam, quæ sine ordine non est. Restat ergo cõclusio vera, ꝙ præter Apostolos nullus alius accepit à Christo potestatem ecclesiasticam: atque ita habemus primam originem potestatis ecclesiasticæ. fuerunt enim & primi & soli, qui à Christo domino & redemptore nostro hanc potestatem acceperunt duodecim Apostoli.

Superest nunc tractare, qua ratione hæc potestas deriuata est vsq; ad nos, & perseuerat in ecclesia, & sic erit absolutum totum negotiũ, quod suscepimus de subiecto potestatis ecclesiasticæ. Sit ergo de hac quæstione prima propositio, Potestas * ecclesiastica non solum fuit in Apostolis: 13
sed etiam in alijs. hæc est nota ex scripturis. Nam Paulus constituit episcopum Titum, & Timotheum vt patet. 1. Timo. 4. & 2. ad eundem. 1. & ad Tit. 1. & ad Ephes. idem Apostolus dat præcepta & rationem instituẽdi, & creandi presbyteros. 1. Timo. 3. & ad Titum. 1. & Act. 20. Paulus loquitur ad presbyteros Asiæ. & Ioan. in Apoca. meminit episcopi Laodiceæ. ergo pręter Apostolos aliqui alij habuerunt potestatem ecclesiasticam.

Secũda propositio, Defunctis * Apostolis Chri 14
sti, perseuerauit in ecclesia omnis potestas ordinis & iurisdictionis, quæ prius erat in Apostolis. Probatur, Gradus potestatis ecclesiæ sunt institu

ti à

ti à Christo non solum pro tempore Apostolorũ sed in totum tempus, quo perseueratura erat ecclesia: ergo perseuerauerunt in ecclesia post decessum Apostolorum. Antecedens patet ad Ephes. 4. Et ipse dedit quosdã quidem Apostolos, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationẽ Sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ętatis plenitudinis Christi. Ex quo loco patet, quòd* gradus ecclesię sunt perseueraturi in ecclesia vsque ad vltimum iudicium, & resurrectionem mortuorũ. Item vt Paul. dicit ad Hebr. 7. Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat. Ergo amisso sacerdotio, etiam necesse est vt lex amittatur. ergo si in ecclesia non esset sacerdotium institutum à Christo, nec etiam esset lex Christi. lex autem Christi est æterna, est enim testamentũ eius æternũ, vt Paul. ait ad Heb. 13. & Baruch. 2. Statuam eis testamentum alterum sempiternũ. Et in eodẽ. c. 4. vocat legem Christi legem sempiternam. ergo necesse est vt perseueret sacerdotium à Christo institutum. In sacerdotio autẽ omnis spiritualis potestas intelligitur, & includitur. Itẽ nõ esset Christus sacerdos in æternum, vt Propheta & Paulus appellãt, si eius sacerdotium cadere & perire debuisset: nõ enim est Christus sacerdos nisi in ecclesia. Item

15

est

est præceptum in ecclesia, de sumptione eucharistiæ, vt patet Ioh. 6. Nisi manducaueritis carnem, &c. sed sine sacerdotio eucharistiæ cõsecratio fieri non potest: ergo. Item saltem constat Apostolos reliquisse episcopos, & presbyteros, vt de Paulo nõ semel scriptum est: & potestas illorum non expirauit Apostolis defunctis: ergo potestas ecclesiastica fuit ī ecclesia, atiã defunctis Apostolis. 16

Tertia propositio, Tota* potestas ordinis in ecclesię deriuata est, & pẽdet immediate ab episcopis. Volo dicere, quòd sicut Apostoli, & illi soli habuerũt iure diuino ordinare, & cõsecrare presbyteros, & alios inferiores ministros, ita omnes, & soli episcopi hoc habent etiam iure diuino. Et q̃ episcopi habeant hanc potestatem, patet. 1. Timo. 5. Manus citò nemini imposueris. quod de ordinatione presbyteri intelligendum omnes sancti docent. Et c. 5. instituit Timotheũ, quales presbyteros eligere debeat. Oportet inquit episcopũ irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, &c. quod de presbytero intelligendum patet, ex eo quòd statim subijcit quales oporteat esse diaconos. & ad Titum. 1. Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt constituas per ciuitates presbyteros, siquis sine crimine est. Nec inter catholicos est dubitatio, episcopos hanc habere potestatem. Et q̃ soli episcopi habeãt, videtur, quia nũquã legimus ordinationes factas nisi ab Apostolis, vel ab episco-

pis

pis alijs. Vnde etiam Actorũ. 14. de Paulo & Barnaba legitur, q̃ cõstitutis Lystræ, & Iconio, & Antiochiæ per singulas ecclesias presbyteris, decesserunt. Et Dionisius Apostolorũ discipulus, & Synchronus libro de ecclesiastica hierarchia, vbi formam ecclesiasticam ab Apostolis traditam diserte, & copiosè tractat, solis Pontificibus ordinationem ministrorum tribuit, imò nec oleum sanctũ, quo sacrantur presbyteri, ab alio, quam à Pontifice docet confici posse. Item potestas ordinis est iuris diuini: ergo nõ est vsurpanda nisi ab eis, quibus constat iure diuino commissum, tales sunt soli episcopi: ergo &c. Item consuetudo vniuersalis ecclesiæ hoc semper tenuit, vt soli episcopi ordinationes faciãt & est, vt supra dixi, grauissimum argumentum, quod nũquam factum est, ideo nõ esse, quia nõ licuerit, aut certè non potuerit. Itaq; impium, & hæreticũ est dicere aut credere, quod noui hæretici putant, sacerdotem vel plebis electione, vel quacunque alia ratione, quàm episcopi consecratione cõstitui posse. Verum, est q̃ qui teneret vt sunt qui disputent episcopum à presbytero non differre consecratione, sed sola potestate iurisdictionis consequenter necessario haberet cõcedere quemlibet presbyterũ posse etiã presbyteros consecrare: nam potestas iurisdictionis non facit potestatem consecrandi. Sed quia illam sententiam existimo falsam, vt suo loco patebit,

bit, perseuero in conclusione posita, quòd omnibus, & solis episcopis conuenit ordinatio ministrorum. Nec nunc disputo, an ex priuilegio summorum Pontificum Abbates aliqui habeant cõferre aliquos ordines, vel minores vel etiam maiores. Si enim aliqui ordines non sunt iuris diuini, vt certò constat de minoribus, non est dubitãdum, quin collatio illorum committi possit non episcopo. Siverò maiores omnes iuris diuini sunt quod in præsentia non puto, profectò videtur nec committi etiam posse nisi episcopis, qui soli iure diuino habent: quanquam non est eadem ratio de presbyteratu, & diaconatu, vt fateor, sed hoc omnino videtur probabilius, q̃ nec etiã diaconi ordinari possent nisi ab episcopis, siquidem iuris diuini ille ordo est.

Quarta propositio, Defuncto* Petro principe 17
Apostolorum, aliquis successit Petro cum simili authoritate, & potestate iurisdictionis in totum orbem. Probatur à sancto Thom. 4. contra Gent. cap. 76. Christus sic instituit ecclesiam vt esset vsque in seculum duratura. Vnde Esa. 9. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio & iustitia à modo, & vsq; in sempiternum. Sed Christus ædificauit ecclesiam super Petrum. vt ipse dicit Mat. 16. ergo opus fuit, vt eo è medio sublato, alius loco ipsius subrogaretur. Item in veteri lege à Deo

instituta semper fuit vnus summus Sacerdos vt patet Deuter.17. & alijs locis.ergo. Hoc est quod Augusti.24.quęstio.1.c.quodcunque.dicit,quòd cum Petrus accepit claues,accepit non tanquam priuatus, sed nomine ecclesiæ:hoc est, data est ei potestas, quæ esset duratura in ecclesia, in cuius ædificationem Christus dedit. Vnde sicut Adam quædam dona habuit personalia, quæ in posteros transfundere non potuit,vt plenitudinem omnium scientiarum,quædam autem communia statui innocentiæ,vt iustitiam, gratiam, immortalitatem:sic & Petrus priuata dona habuit, quędam in quibus successorem nõ habuit (nec enim erat necesse) vt gratiam miraculorum, donum linguarum: quædam verò accepit, in posteros transiaturus, vt potestatem clauium, quam non sibi,sed ecclesiæ accepit. Item ille ordo, à principio constitutus à Christo in ecclesia, vt scilicet esset vnum caput,& vnus princeps super omnia in tota ecclesia, erat conuenientissimus ad administrationem ecclesię. Quod constat non solum facto ipso Christi,cuius est summa sapientia,&prouidentia,sed etiam consensu, meliorum Philosophorum, qui Monarchiam alijs principatibus præferunt, vt constat ex Aristo.in Politicorum, & Ethicorum, & Metaphysicorum libris. Sed Christus non minus diligit nunc ecclesiam suam quam tunc diligebat, cui etiam promisit se nobis

adfuturum vsque ad consummationem seculi, Matth. vltimo, ergo nullo modo est verisimile, quòd voluerit, defuncto Petro, mutare rationem & formam administrationis ab ipso Petro institutam, vt scilicet esset vnus princeps totius potestatis ecclesiasticæ. Nec enim Petrus principatum in suum commodum acceperat, sed in vtilitatem, & ædificationem ecclesiæ. Et re vera non minus perniciosus fuit error negantium perseuerare in ecclesia vnum Pontificẽ, cui omnes Christiani subesse teneãtur, quàm eorum, qui omnes Christianos æquales volunt esse. Hic enim maiorem orbis Christiani partem primò in schismata deduxit, deinde ab ecclesia alienauit, postremò in impientissimam Mahumeti perfidiam impulit. Certè qui beato Petro principatum non negant, nulla ratione se tueri possunt, quin vnum etiam nunc summum Monarcham in ecclesia concedant. In hanc sententiam sunt aperta testimonia Ignatij, Cyrilli, Chrysosto. & aliorum doctorum Græcorum, imò & Conciliorum in ipsa Græcia celebratorum. Nam de Latinis authoribus & Synodis dubitandum non est: quin omnes in vnam hanc sententiam cõspirauerint. Sed esto vt ita sit, sicut certò est, vt in ecclesia semper sit vnus successor Petri cũ pari etiã dignitate, & authoritate, super est inquirendũ, qua via, qua ratione ea dignitas, & potestas Petri, deriuari, & perue-

nire posit ad alium. Nec enim ex morte Petri ad vnũ aliquẽ certũ suprema illa potestas attinebit.

Sit pro hac quæstione in ordine quinta pro-
18 positio, Petro* mortuo, ecclesia habet potestatem subrogãdi, & instituendi alium loco illius, etiam si Petrus nihil de hoc prius cõstituisset. Hæc probatur. Licet enim ecclesia (vt in relectione priori declaratum à nobis est) non posset potestatem spiritualem constituere, nec (vt ita dicam) formaliter in se habeat, vt suprà explicauimus: tamen semel constituta à Christo potestate, non videtur, quòd ecclesia sit peioris conditionis ad eligẽdum sibi principem, quàm ciuilis respublica, quę quocunque casu, deficiente principe, potest sibi alium constituere. Item, vt dictum est, hæc potestas oportebat vt perseueraret in ecclesia, sed defuncto Petro, & nihil de successore prouidente, nec statuente, vt cõtingere poterat, non restabat aliud mediũ, nisi per electionem ecclesię. Ergo ecclesia poterat alium eligere. Et cõfirmatur, Quia nunc etiam si aut bellum, aut pestilentia, aut alia calamitas, aut casus absumeret Cardinales omnes, non est dubitãdum quin ecclesia posset prouidere sibi de summo Pontifice: aliâs vacaret perpetuò illa sedes, quæ tamen perpetuo debet durare. Item illa potestas est communis, & spectat ad totam ecclesiam. ergo à tota ecclesia debet prouideri. & non ab aliqua peculiari ecclesia, vel certo

ordine

ordine, aut genere hominum: imò negligentibus Cardinalibus, aut pernicioſè diſsidentibus, eccle ſia poſſet ſibi prouidere.

Sed an ab omnibus Chriſtianis? Reſpondeo, & ſit ſexta propoſitio, Electio* ſummi Pontificis in 19
tali caſu ſpectaret ad ſolum clerum, & nullo modo ad populũ. Probatur, Quia adminiſtratio rerum ſpiritualium nullo modo ſpectat ad laicos, vt aliâs à nobis probatum eſt: ſed inſtitutio ſummi Põtificis maximè ſpectat ad gubernationem & adminiſtrationem rerum ſpiritualium: ergo nullo modo ſpectat ad laicos. Item electio preſbyterorum, aut epiſcoporum non ſpectat ad plebem, vt ſuprà latè probatum eſt. ergo multominus electio ſummi Sacerdotis. Item populus non poteſt iudicare merita & qualitates requiſitas ad dignitatem ſummi Pontificis, nec examinare, & diſcernere inter dignum, & indignum: ergo electio, vel inſtitutio non ſpectat ad plebem. Eſſet enim abſurdum, vt prouidentia Sacerdotij commiſſa eſſet illis, qui niſi fortè & caſu non poſſent rectè prouidere. Itẽ, Quia talis electio eſſet prorſus impoſsibilis, cùm eſſet impoſsibile vt totus populus cõueniret ad eligendum, nec poſtquam conueniſſent, poſſet contingere, vt maior pars vnum & eundem optaret.

Septima propoſitio, Imò, * non videtur etiam 20
talis electio ſpectare ad totum clerum: quia licet

ad omnes clericos spectet administratio spiritua liũ, tamen nõ omnia spectant ad oẽs, sed citra epi scopos omnes habẽt certa & limitata ministeria, extra quæ non extendit se eorũ officium, vt diaconi ministrant presbyteris presbyteri autem ministrant sacramẽta: & eadem ratione vix cõuenire posset clerus totius orbis ad talem electionem.

21 Vnde sit octaua propositio, In* quocunque casu vacaret sedes apostolica, manendo in solo iure diuino, electio spectaret ad oẽs episcopos Christianitatis. Probatur, Quia ipsi sunt pastores gregis, & curatores, & tutores, & tota administratio ecclesiastica citra summum Pontificem spectat ad eos, & omnia possunt per se, quæ inferiores omnes possunt. Dico ergo quòd quomodocunq; siue instituto, siue casu omnes episcopi Christiani conuenirent, in tali casu episcopi possent eligere vnum summum Pontificem tantæ authoritatis, sicut fuit beatus Petrus, etiam reclamantibus omnibus vel maiori parte laicorum, aut etiam clericorum.

Sed quia hæc forma esset etiam vehementer difficilis, ac penè impossibilis: sit nona propositio, Beatus* Petrus, vel solus, vel cum alijs Apostolis potuit constituere formam, & rationem, qua post obitum suũ eligeretur ei successor. Probatur breuiter & clarè, quia habebat plenitudinẽ potestatis & administrationis ad ferendas leges

22

conue-

conuenientes ecclesię, sed hæc erat vna lex etiam necessaria ad gubernationem ecclesię de electione summi Pontificis: ergo potuit eam cõdere. Secundò probatur, Tota ecclesia posset hãc legem facere, imò facta est in cõcilijs: ergo Petrus potuit quia aliâs non habuisset summã potestatẽ. Et cõfirmatur, Quia omnis alia forma eligendi, secluſa lege lata à Petro erat vel impoſsibilis, ſi à tota eccleſia, vel à toto clero: vel ſaltem magna occaſio ſchiſmatũ, ſi per omnes epiſcopos deberet fieri: ergo omnino hoc expediebat, vt lege daretur certa via & ratio eligendi. Verum circa has propoſitiones oritur dubium. nam Epiſcopus Romanus eſt ſummus Pontifex. ergo dato q̃ Petrus deceſſiſſet, ſufficiebat Romanus clerus ad eligẽdũ Epiſcopum Romanum, & per conſequens ſummum Pontificem. Et augetur dubiũ. Nam (vt ex hiſtoria habetur) aliquando vel clerus Romanus, vel populus ſummũ Sacerdotem eligebant. Reſpondeo primò, An Epiſcopus Romanus ſit iure diuino ſummus Põtifex, inferiùs (ſi vacauerit) diſputaturus ſum. Secundò dico, q̃ ſi clerus, aut populus Roman⁹ aliquãdo hoc iuris habuit, vt eligeret ſummũ Põtificẽ, hoc fuit certè, vel lege de hoc lata, vel cõſuetudine recepta, & nõ iure diuino. Nã etiã eligẽte Romano clero, ſi Epi Chriſtiani, ratã habebant electionem, hoc ſatis eſſe potuit, vt illa forma electionis per aliquam ætatem ſeruaretur.

23 Decima propositio, Beatus* Petrus potuit eligere & designare sibi successorem, qui defuncto Petro, sine alia electione esset summus Pontifex. Hæc propositio non recipitur à theologis recentioribus, quòd sint pontificiæ dignitati aliquanto infestiores, quàm deceret alioqui pios, & Christianos scriptores. Sed probatur primò ex facto Petri, qui (si fides habenda est vera narrantibus) Clementem viuens ipse viuentem pontificē nominauit, vt habetur. 8. q. 1. c. si Petrus. ex authoritate Iohan. scilicet tertij qui fuit temporibus Iustiniani. Item probatur manifesto & inuicto argumento, Nam, vt probatum suprà est, poterat ferre legem de electione successoris: sed potuisset ferre legem, vt viuens Pontifex eligeret successorem, imò illa lex videtur futura conuenientissima ad tollenda schismata, & ambitiones. Sicut apud Romanos durante adhuc magistratu Consulum designabantur futuri Consules, quare nō ita potuit fieri de summo Pontifice? Item potuit ferre legem, vt Episcopus viuens nominaret sibi successorem, quare nō potuit de summo Pontifice? Sequitur consequenter, quòd tantundem potuit facere quilibet successor Petri. Patet, quia habuit eandem potestatem.

24 Vndecima propositio, Ratio* eligendi summum Pontificem, quæ nunc seruatur in ecclesia, non est de iure diuino. Hæc nota est ex præce-

denti

dentibus, quia excluſa humana lege, ſpectat ad epiſcopos. Item, Nuſquam inuenitur in toto iure diuino. Itẽ, Petri ſucceſſores potuerunt eam mutare, vt dictum eſt. Itẽ, non ſemper hoc modo fuit facta. Et vltimo, quia ordo Cardinalium, qui nũc ſunt electores, non eſt ex iure diuino.

Vltima propoſitio, Ratio * eligendi ſummum 25
Pontificem, eſt ex conſtitutione & authoritate eccleſiæ aut ſummorum Pontificum, quæ eadem eſt, & eadem authoritate mutari poſſet. Hæc eſt ratio & origo qua authoritas & dignitas beati Petri ad nos vſque perſeuerauit, duratura eſt in finẽ ſeculi.

Supereſt, vt agamus de ſucceſſoribus aliorum Apoſtolorum, de quo ſit prima propoſitio, Nemo * ſucceſsit alijs apoſtolis cum æquali poteſta 26
te & authoritate iuriſdictionis: hoc eſt, vt in toto orbe haberet plenitudinem poteſtatis, ſicut quilibet apoſtolorum habuiſſet, vt ſupra oſtenſum eſt Hæc probatur primò ipſo facto. De nullo enim legimus, quòd ſe geſſerit pro epiſcopo vniuerſalis eccleſię, præter Romanũ põtificẽ, ſed proximi quique apoſtolorũ, vel Hieroſolymitanus, vel Antiochenus, vel alterius vrbis epiſcopus dictus eſt. Secũdò, Quia illa poteſtas vniuerſalis in alijs apoſtolis fuit extraordinaria, & perſonalis, vt dictum eſt (& ſic non potuerunt eam ſucceſſoribus relinquere) & ſola poteſtas Petri erat ordinaria, & in

perpetuum duratura: ab ecclesia autem nullus recipit tam amplam potestatē, quæ etiam sine suo capite nihil potest: nec à summo sacerdote, hoc est, vel Petro, vel Clemente, legimus quemquam subrogatum quicquam apostolorum cum illa potestatis amplitudine. Tertio, Fuisset, maxima occasio schimatis & dissensionum in successoribus, qui non erāt in gratia cōfirmati, si prouincias nō habuissent distinctas.

27 Secunda propositio, Quilibet* aliorum apostolorum à Petro potuit relinquere successorem, licet non vniuersalem, saltem in quacunque prouincia voluisset, qui esset verus episcopus illius prouinciæ. Hanc propositionem scio non placituram omnibus doctoribus, tum theologis, tū iurecōsultis, quæ nec ipsis Cardinalibus, Turre Cremā. & Caiet. placeret. Omnes enim illa persuasio semel inuasit, omnem potestatem iurisdictionis ita dependere à Romano pontifice, vt nullus possit habere nec minimam quidem spiritualem potestatem, nisi ex mandato, vel lege ipsius. post apostolos quidem, qui ex singulari priuilegio habuerunt à Christo, quod nullus alius potest habere nisi à Petro. Sed probo primò hanc propositionem apertè, Quilibet apostolorum potuit viuens creare episcopum in quacunque prouincia, & ille nō amitteret potestatem defuncto apostolo: ergo potuit relinquere successorem, Antecedens est notum,

tum, quia Paulus constituit Titum & Timotheũ & idem iuris habuerunt alij apostoli: & in hoc sensu propositio à nemine negari potest. Sed dico eã esse veram in sensu, in quo diximus Petrum potuisse nominare successorem: id est qui reuera nõ haberet potestatem nisi post obitum apostoli: itaque potuit Ioannes in Asia nominare Ignatium, vt post se episcopus esset in ea prouincia. Hoc probatur, Nam vt supra abũdè probatum est, nec alij diffitentur, cæteri apostoli viuentes æqualem habuerunt potestatem cum Petro: ergo potuerunt concedere legem, vt viuens ipse apostolus eligeret sibi successorem, ergo potuit illa lege ipse primus eligere. Certè de antecedente non videtur dubitandum eis, qui concedunt æqualem authoritatem alijs Apostolis cum Petro, Et si Petrus poterat talem legem ferre in prouincijs, quare Paulus non potuisset? Imò certum est non indigere alios apostolos expectasse mandatum Petri ad omnia quæcunque opus erant in prouincijs. Atque adeo videtur mihi propositio non solum probabilis, sed de qua dubitari non potest.

Tertia propositio, Non * solum Apostoli hoc 18
potuerunt, sed quilibet successorum similiter potuit relinquere sibi successorem. Hæc probatur apertè ex secunda. Nam lata lege à Ioanne vel Paulo, vt viuens episcopus nominaret successorem, potuisset Titus nominare alium. Sed vltra addo

(quod

(quod difficilius videtur, sed puto non minus verum) quòd etiã si de hoc nulla lex esset lata à Paulo, potuit Titus, & Timotheus nominare sibi successorem, inconsulto etiam successore Petri: & simile est de omnib⁹ alijs episcopis. Probatur, Quia episcopus est pastor, & gubernator prouinciæ iure diuino, ergo si à maiore potestate non impediretur, potest facere omnia, quæ expediunt ad salutem suæ prouinciæ: sed hoc potuit maximè eo tempore esse expediens, vt viuens episcopus nominaret successorem: ergo potuit hoc facere, imò & legem ferre, vt hoc modo perpetuo fieret. Vnde enim habemus, quòd episcopus possit legem condere de electione abbatis, vel parochi, vel de quacunque alia re, & non de electione episcopi? Et confirmatur, Quia certè non solùm hoc videbatur possibile, & conueniens, sed omnino eo tẽpore necessariũ. Quomodo enim defuncto invltima India episcopo, potuissent expectare mandatum Petri ad sufficiendum nouum episcopũ? Et hæc omnia dicta sunt quantum ad potestatem iurisdictionis. Nã quo ad potestatem ordinis, si episcopatus dicit ordinem, vel potestatem distinctã à presbytero, & à iurisdictione, sicut video placere penè omnibus, oportuit prẽter electionem cõcurrere aliquam consecrationem, tam ad institutionem papæ, quàm episcoporum: sed illam potuit facere quilibet episcopus viuens, sacrãdo successo-

cessorem vel etiam vno defuncto, episcopus alterius prouinciæ potuit ordinare successorem prius electum, & nominatum. 29

Vltima propositio, Quilibet* episcopus in sua prouincia potuit cõdere legem, vt presbyteri eligerent episcopum, vel aliam formam institutionis dare, etiam inconsulta sede Petri, Hæc sequitur ex alijs. Nam potuit leges conuenientes prouinciæ facere de hac re, sicut de alijs. Ecce rationẽ quomodo authoritas, & dignitas episcopalis potuit deriuari successiuè ab vno in alterum vsq; ad nos, & per episcopos omnis alia potestas inferior Sed his non obstantibus (ne quis putet me velle derogare Romanæ sedi, & dignitati (pono aliam conclusionem 30

Successores* Petri potuerunt, & possunt pro suo arbitrio episcopos creare in singulis prouincijs, & quascunque leges de hac re prius latas tollere, & nouas condere, & prouincias distinguere, & omnia ad hæc spectantia pro suo iudicio & potestate facere. Omnia enim quæ dicta sunt, intelligenda sunt, nisi à sede Petri aliter prouideatur. Hęc propositio probatur clare, Quia Petro dictũ est absolutè, Pasce oues meas, sine aliqua exceptione. Ergo ad Petrum spectat omnis administratio sine limitatione, & perconsequens etiam creatio episcoporum. Si enim quicunq; aliorum apostolorum hoc poterat, & fecerunt, vt constat, mul

toma

to magis ad Petrum & succ essores Petri. Ex quo patet corolarium, quod nunc non potest episcopus fieri nisi secundum formam traditam à summis pontificibus, & si secus tentatum fuerit, nihil efficietur ratum, sed totum erit irritum, & inane. Dico verò quantum ad authoritatem iurisdictionis, nam quod ad consecrationem spectat, secus est. Secundò sequitur, quod tota potestas ecclesiastica, siue ordinis, siue iurisdictionis, mediatè, vel immediatè pendet à sede Petri. Patet, quia ab illa sede pendent episcopi, & ab episcopis presbyteri, & omnes inferiores ordines, & potestates.

(·.·)

REVERENDI

patris fratris Francisci à Victoria Relectio de potestate Ciuili.

SVMMA.

1 *Potestas omnis seu publica, seu priuata qua respublica secularis administratur, non solum iusta & legitima est, sed ita Deum actorem habet, vt nec orbis totius consensu tolli, aut abrogari possit.*

2 *Potestas duplex, publica, & priuata.*

3 *Potestatis ciuilis finis quis sit.*

4 *Hominis miseria recensetur. Et quid faciendũ oportuit vt illius necessitatibus consuleretur.*

5 *Ciuitatum, rerumque publicarũ fons & origo non fuit inuentum hominum, sed tanquã a natura profectũ.*

6 *Potestatis ciuilis causa efficiens quæ.*

7 *Respublica vnde habeat potestatem ciuilem. Et de causa materiali eiusdem potestatis. Et penes quem iure naturali & diuino resideat.*

8 *Monarchia, siue regia potestas, non solum iusta est, & legitima, sed reges etiam à iure diuino & naturali habent potestatẽ, & non ab ipsa republica, aut prorsus ab hominibus.*

9 *Potestates, quibus infidelium respublicæ gubernantur, an sint*

an sint legitimæ. Vel, an inter paganos sint legitimi principes, & magistratus.

10 *potestatis publicæ seculares tres causæ explicantur.*

11 *Libertas, non est minor in regali principatu, quàm in aristocratico, & democratico.*

12 *Respublica, tota posset puniri licitè pro peccato regis.*

13 *Bellum quando nullum esset iustum.*

14 *Reipublicæ sicut maior pars regem supra tota m rem publi. constituere potest, alijs inuitis, ita pars maior Christianorum, reliquis etiam renitentibus monarcham vnum creare iure posset, cui omnes principes & priuinciæ parere teneantur.*

15 *Principum leges, constitutiones quomodo obligent in foro conscientiæ. Et quid de præceptis parentum in filios, & maritorum in vxoros.*

16 *Lex humana & diuina in quo differant, & in quo etiam conueniãt.*

17 *Lex diuina sicut habet vim obligandi ad culpam, ita & lex humana.*

18 *Legum humanarum transgressores, ad quam culpam obligentur, ad mortalem, an ad venialem solum.*

19 *Leges humanæ quando obligent ad mortale, & quando ad veniale, qualiter dignosci poterit.*

20 *Rex si vellet non obligare ad culpam, an posset.*

21 *Leges ciuiles, an obligent legislatores, & maxime reges.*

22 *Legis ratione cessante, an esset obligatio.*

23 *Tyrannorum leges an obligent,*

24 *Præcepta parentũ, eodè modo obligant, sicut leges ciuiles. Et idem de præceptis maritorum in vxores.*



Officium, ac munus Theologi tam latè patet, vt nullum argumentum, nulla disputatio, nullus locus alienus videatur, à theologica professione, & instituto. Et fortasse hoc etiam in causa est, sicut de oratore dicit Cicero, cum in omni disciplinarum genere, omnibusque artibus tam pauci inueniãtur, & clari, & excellentes viri: tanta sit, ne plus exigam, theologorum bonorum inopia, & solidorum. Est autem theologia omniũ disciplinarum, studiorumque orbis prima, quam Græci θεολογίαν vocant. Quare nihil mirum videri debet, si non tam multi in tam difficili re sanè absoluti inueniantur. In tam igitur magno solo, ac latè patenti scripturarum omnium doctorũ campo cùm infinita suppeterent, vnum potissimum locum mihi delegi: certè si pro sua dignitate a me tractari valeat, dignum vestro conspectu, viri ornatissimi, & doctissimi. Locus itaque est de republica: de qua re cum grauissimi, & eruditissimi viri multa disseruerint, plura tamen supersunt Et quoniam argumentum amplius est, quàm vt vna disputatione expleri posset, de potestate publica & priuata, qua respublicę gubernantur, hodie negotium suscepi.

Locus relegendus ac tractandus est in Magistro sentẽtiarũ in.2.d.44. & sumptus est ex Paul. ad Roma. 13. Non est potestas nihi à Deo, In quẽ locum licet per multa sint quæ afferri possent tamen in præsentiarum de laica, seu seculari potestate tota nostra disputatio erit nonnullis limitibus coercita, ne effusius quã opus sit, erret, & euagetur. Tota ergo præsens relectio tribus terminabitur conclusionibus.

1 Prima conclusio est, Omnis * seu publica, seu priuata potestas, qua respublica secularis administratur, non solũ iusta, & legitima est, sed ita Deũ auctorem habet, vt nec orbis totius consensu tolli, aut abrogari possit. Priusquam ad probationẽ huius conclusionis veniam, nonnulla mihi præmittenda sunt, ad eius explanationem, & intelligentiam necessaria. Nec tamẽ omnia, quæ in hoc amplissimo argumento cõgeri possunt, persequi constitui, sed astricto & presso sermone, scholasti co more, quantum, potero, pauciſsima verba, quę
2 solum instituto sunt necessaria, conferam. Cùm * autem duplex sit potestas, publica, seu priuata, prius de publica, mox verò de priuata agemus. Et quoniam (vt Aristo. admonet) vnumquodq; tũc arbitramur scire, cum causas eius cognoscimus, operæpretium me facturum puto, si ciuilis & laicæ potestatis, de qua tota futura est oratio, causas inuestigauero. Quibus certe perceptis, & vis, & effectus

fect⁹ ipsi⁹ potestatis facile patebũt. Illud igitur in primis notare oportet, quod ipse Arist. in Phisi. docet. Non in naturalibus tantum, sed in omnib⁹ prorsus humanis rebus necessitatem considerandum ex fine, vt pote causarum omnium & prima & potissima. Quod dogma, seu Aristo. inuentum fuerit, siue à Platone receptũ, ingens philosophiæ argumentum fuit, magnamq; rebus omnibus attulit lucem. Anteriores homines non eruditionis expertes, sed primi etiam nominis philosophi, necessitatem rerum materiæ tribuebant, ac si (vt ipsius Aristo. exemplo vtar) domum ita necessario constructam esse putarent: nõ quod humanis vsibus ita expediret, sed quia grauia quædam deorsum suapte natura ferantur, idcirco lapides quidẽ ac fundamenta sunt infra terram, supra autẽ propter leuitatem præeminent ligna. Item homines inferius pedes habere non incessus gratia, sed quea pars maxime crassior sit. Ossaque similiter animantibus inesse, non quod ita necessaria fuerint, vt caro membraque corporis stabilitatem haberent, sed quòd ea materia durior & solidior sit. Verumenimuero homines crassis opinionibus imbuti, toto (vt aiunt) cælo errabant, vt nec rerũ aliquarum rationem secundum sententiam eorum reddere possent, certe optimarum maximarũq; rerum fabricã artificio philosophandi ratione nullo modo expedire possent. Quomodo enĩ

illi, vt non inquiram qua materiæ varietate terra ornatur in media sede mundi locata, solida, & globosa, & vndique circum se suis nutibus congloba ta, vestita floribus, herbis, arboribus, vt non exigam vnde fontium gelidæ perennitates, liquores perlucidi, vnde riparũ vestitus viridissimi, singularium partium membrorumq; hominis compo sitionem vni materiæ acceptam referrent? Quæ est illa materiæ vis, quæ inter animantia oculos homini sublimes dedit, cælumque videre iussit, & erectos ad sydera tollere vultus? Ita enim illi responderent fieri aliter non potuisse, quàm vt homo erectus esset, bruta verò prona, inclinataque: & nõ finis alicuius, aut vtilitatis gratia, sed quod animantiũ materia, disparque conditio esset. Atque ex hoc capite manauit Epicuri stolidissimũ placitum, & eius discipuli Lucretij. Dicebat enim nec oculos ad videndum esse natos, nec aures ad audiendum, sed omnia fortuitò atque adeò ex illo atomorum multifario concursu per per infinitum & inanẽ volitatum contigisse, quo nihil potest dici, vel fingi, aut stultius, aut ineptius, nec quicquam procliuius, quàm tam apertam stultitiam arguere. Quod copiosissimè Cicero de natura Deorum, & Lactantius de opificio Dei fecerũt Sed nostro instituto, & præsenti proposito satis erit, vt summã veritatẽ teneamus, qua omissa, sem per necesse errare est. Credamusque non cęlum,

nec

nec terram, ac reliquas orbis partes hominemque ipsum orbis principium, sed omnia, quæ cælo cõtinentur, alicuius vsus & finis gratia stetisse, fieriq́ue omnia, atque ita fieri necesse propter finem, vnde ratio & necesitas rerum accipienda est.

Quærendum igitur, & inuestigandum nobis supereſt, quis * sit finis ille: cuius gratia potestas 3
hæc, de qua tractaturi sumus, constituta sit. Pro quo cõsiderari oportet, q̃ sicut homo cæteris animalibus præstat ratione, sapientia atque sermone, ita illi æterno, immortali, sapientiq́; animali, multa à prouidẽtia gubernatrice gubernata sunt quæ reliquis animalibus sunt tributa, & concessa Iam enim primùm vt cõmunitati & tutelę animãtium consultũ esset, ab ipso statim principio oĩa alia animalia suis tegumentis natura mater dotauit, quo facilius possent vim pruinarum & frigora sustinere. Singulis autem quibus ad propulsandos impetus extraneos sua propria munimenta constituit, aut vt naturalibus telis repugnẽt feriora, aut quę sunt imbecilliora, subtrahant se periculis pernicitate fugiendi, aut rostro veluti hasta se protegant, aut latibulis sepiant: & ita quædam illorum, aut plumis leuibus in sublimè suspẽsa sint aut suffulta vnguibus, vel instructa cornibus: nulliq́ue sui præsidium deest. Hominem * aũt vnum 4
ratione & virtute concessa reliquit fragilem, im-

becillē, inopē, & infirmum, omniq; auxilio destitutum, vndiq, indigentem, & nudum, inerinēq; contra se ex naufragio producit, in cuius vita miserias sparsit, quippe qui, ab ipso statim ortu nihil aliud potest quàm fragilitatis suę conditione plorata fletibus ominari. Iuxta illud, Repletur multis miserijs: & tantum vt restet (vt poeta refert) transire malorum. Vt ergo huiusmodi necessitatibus cōsuleretur, necessariū porrò fuit, vt homines non vagi errarēt, & palantes instar ferarum in solitudine, sed in societate viuentes, inuicem sibi adiumēto essent. Vę enim soli (ait Sapiens) quia si cecide rit, non habet subleuantē se: si autem fuerint multi, fouebuntur mutuo, Atq; adeo ex hoc capi. Aristò. 2. Ethico. admonet, nō sine doctrina, & experientia perfici posse ex parte intellectus, quæ in solitudine haberi minime potest. Imò etiam hoc loco brutis animalibus ipsis inferiores esse videmur, quia illa necessaria sibi per se cognoscere possunt, homines autē nullatenus hoc possunt. Rursus etiā sermo intellectus est nūtius, & in hūc solū vsum datum Arist. tradit, quo vno homo cæteris animalibus antecedit: qui extra hominū societatē nullus foret: atq; adeò etiā, si fieri posset, si sapiētia esset sine sermone ingrata & insociabilis esset ipsa sapientia. Ita enim in Ecclesiastico habetur sapiētia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Quapropter & in. 1. Politi. Arist.

ostēn-

ostendit hominẽ naturaliter esse ciuilem, sociabilemq;. Iam verò voluntas, cuius ornamenta sunt iustitia & amicitia, deformis verò omnino, ac velut manca, extra hominũ consortia sit. Necesse est iustitia quidem nisi a multitudine exerceri nõ potest: amicitia verò, sine qua non aqua, nõ igne, nõ sole (vt ait Cicero pluribus locis) vtimur, & sine qua nulla virtus est secundum Aristo. sententiã: sine vitæ communicatione omnis perijt. Et si constaret humana vita, & sibi sufficeret, tamen in solitudine non nisi iniocũda, & inamabilis esse posset. Nihil enim natura solitarium amat, omneq;, vt ait Arist. natura ferimur ad communicationẽ. Si quis (inquit Cicero) in cælum ascendisset, naturamque mundi, atque syderum inspexisset pulchritudinem, insuauis illi sine amico administratio foret. Quare & Timon ille Athenienſis, qui se instituto ab hominum communitate segregabat, inhumana, brutaliq; natura ab Aristo. 1. Poli. censetur, & inter feras huiusmodi homines ponitur. Sicut enim ait Augu. libro de amicitia. Ego enim eos non tantum homines, quàm bestias dixerim, qui sic dicunt esse viuendum, vt nulli consolationi sint, nulli etiam oneri, vel dolori, qui nihil delectationis ex alterius bono concipiant, nihil amaritudinis sua alijs peruersitate inferant, amare nullum, amari a nullo curantes. Cùm itaque humanæ societates propter hunc finem con-

stitutæ sint scilicet vt alter alterius onera portaret,& inter omnes societates societas ciuilis ea sit in qua commodius homines necessitatibus subueniant,sequitur, communitatem esse(vt ita dixerim(naturalissimam communicationem naturæ conuenientissimam. Quanquam enim mutua officia sibi præstent, non tamen familia vna sufficiens est sibi,& maximè aduersus vim iniuriamq; propulsandã: quæ maximè causa videtur & Chã, & Nemrod adduxisse, vt primi omniũ homines in ciuitatem cogerent, vt legitur Genesi. 10. Patet
5 ergo* fontem, & originem ciuitatum rerumque publicarum, non inuentum esse hominum, neq; inter artificiata numerandum, sed tanquam à natura profectum, quæ ad mortalium tutelam,& cõseruationem hanc rationem mortalibus suggesit atq; ex eodem capite statit consequitur eundem esse finem eandemq; necessitatem publicarũ potestatum. Si enim ad mortalium incolumitatẽ necessaria sunt concilia & cœtus hominũ, societas nulla consistere potest sine vi aliqua & potestate gubernãte,& prouidẽte,idẽ omnino vsus vtilitasque est,& publicæ potestatis,& cõmunitatis, societatisq. Nã si omnes æquales essent,& nulli potestati subditi, vnoquoque ex sua sententia & arbitrio in diuersitatem tendente, necessario distraheretur respublica, dissolueretur ciuitas, nisi aliqua esset prouidentia, quæ in cõmuni curaret cõ

suleretq;

sulereté; communi bono. Omne enim regnum in seipsum diuisum, desolabitur. Et vbi nõ est gubernator (vt ait sapiens) disipabitur populus. sicut corpus hominum in sua integritate conseruari non posset, nisi esset aliqua vis ordinatrix, quæ singula membra in vsus aliorum membrorũ, maximè in commodum totius hominis cõponeret: sane ita in ciuitate cõtingere necesse esset, si vnusquisq; pro suarum rerum vtilitate solicitus esset, & vnusquisque ciuis publicum bonum negligeret. Habemus igitur finalem, & potissimam causam potestatis ciuilis, & secularis vtilitatem, imò potiùs in gentem necessitatem, cui non nisi dij repugnant. Efficientem * verò causam huius potestatis ex dictis facilè est intelligere. Si enim publicam potestatem ordinemus constitutam iure naturali, ius autem naturale Deum solum auctorẽ cognoscit: manifestum euadit, potestatem publicam à Deo esse, nec hominum conditione aut iure aliquo positiuo contineri. Deus enim qui omnia in sapientia fecit, quiq; attingit à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter, & cuius opera omnia ordinata sunt, vt ait Apostolus: huius naturæ & conditionis homines constituit, vt nisi in societate viuere non valerent. imò (vt apud Ciceronem differit Scipio) nihil est illi principi Deo, qui omnem mũdum regit, & quicquid est in terris fecit, acceptius, quàm cõcilia cuiusq; 6

hominum iure societatis, quæ ciuitates appellantur. Et si respublicæ societatesque iure diuino seu naturali sunt constitutæ, potestates, etiam sine quibus respublicæ stare non possent. Idem de iure diuino etiam, vt nullum dubium superesse possit, rationibus & testimonijs confirmabimus. Et primò quidem Aristote. 8. Physicorum, grauia & leuia à generante moueri asserit, non ob aliam causam, quàm ob naturalem illam inclinationem quam habent à generante, & necessitatem ad motum. Si ergo Deus necessitatem istâ atque inclinationem hominibus dedit, vt in societate, & sub alia potestate regente degere non possent, hoc ipsum deo auctori acceptum referre necesse est. Quæ enim apud omnes naturalia sunt, à Deo naturaliter sine dubio sunt: qui enim dat speciem, seu formam vt idem Aristote. ait, dat ad speciem seu formam consequentia. Quamobrem etiam Paulus admonet, Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Constitutio
7 ne* ergo diuina respublica hanc potestatem habet: causa verò materialis, in quâ huiusmodi potestas residet iure naturali & diuino, est ipsa respublica, cui de se competit gubernare seipsam & administrare & omnes potestates suas in cõmune bonũ dirigere. Quod sic probatur, Nam cùm de iure naturali & diuino sit aliqua potestas gubernandi rempublicam, & sublato communi iu-

re

re positiuo & humano, non sit maior ratio, vt potestas illa sit in vno, quàm in altero, necesse est, vt ipsa communitas sit sibi sufficiens, & habeat potestatem gubernãdi se. Si enim prius quàm in ciuitatem homines conuenirent, nemo erat alijs superior, non est aliqua ratio, cur in ipso cœtu, seu conuẽtu ciuili, quisq; sibi super alios potestatem vendicaret: maximè cùm quilibet homo iure naturali habeat potestatem, & ius defendendi se. Si quidem nihil magis natúrale quàm vim vi repellere. Et certè non est aliqua ratio, cur hanc potestatem respublica non obijciat circa suos ciues tã quam in membra ad integritatem totius & conseruationem publici boni. Item hominem occidere, est iure diuino prohibitum, vt patet in præceptis Decalogi: ergo authoritas occidendi oportet q̃ sit à iure diuino, sed respublica, vt ex vsu & consuetudine constat, habet authoritatem occidendi hominem: ergo habet à iure diuino. Nec satis est dicere, quòd ius diuinum non prohibet absolutè occidere hominem, sed occidere innocentem: quia conclusio est, quòd homini priuato nõ licet occidere hominem, quamuis criminosum: ergo aliquã authoritatem habet respublica occidendi hominem, quam non habet priuatus homo: & illa non potest esse iure positiuo, ergo iure diuino. Et quia hæc potestas principaliter est in regibus, quibus respublica cõmisit vices suas,

de

de regio principatu & poteſtate diſputãdum eſt. De qua non eſt. De qua non deſunt aliqui, etiam de numero Chriſtianorum, qui non ſolum negãt regiam poteſtatem eſſe à Deo, ſed etiam omnes reges, duces, principes, dicũt eſſe tyrannos; & huius libertatis eſſe prædones, adeò infenſi ſunt omnibus dominationibus, & poteſtatibus, vna dũ taxat republica excepta: quod etiam probare conantur authoritatibus & rationibus. Et primò quidem, quia homo conditus eſt in libertate. nõ enim in illo felici ſtatu innocentiæ quiſquam dominus fuiſſet, nec quiſquam ſeruiuiſſet. Secundò quia hominibus à principio dictum eſt, Domina mini piſcibus maris, & volatilibus cæli. & rurſus, Fecit Deus hominem vt præeſſet piſcibus maris, &c. nec dixit, hominibus. Tertiò, quia in lege naturæ inter cultores veri Dei nũquam legimus aliquem principem fuiſſe. Quartò, quia principatus ortũ habuit à tyrãnide. primùm enim Nemrod qui fuit ex poſteritate reprobata à Noe, accepit tyrannidem, qui fuit filius Cham. Geneſ. 10. nec ſancti doctores hoc ſub ſilentio pręterierunt. Greg. enim contra naturam & magnum dicit eſſe, velle dominari vnum hominem, cum naturali iure omnes homines ſint ęquales. & Iſidorus, Cõmunis (inquit) omnium poſſeſsio, & vna libertas iuris naturalis eſt, propria vti libertate. Quòd ſi ante legem euangelicam regius potentatus prohibitus

hibitus non esset, saltem Christianos dicunt libertate donatos à Christo. Patet ex illo loco, vbi dicit Dominus, Reges terræ à quibus accipiunt tributum, à filijs suis, an ab alienis? respondit Petrus Ab alienis. Ex quo, inquiunt, certum est, Christianos tributum non debere nisi ratione scandali. Et confirmatur per illud Apostoli, Nemini quicquã debeatis, nisi vt inuicem diligatis. Item, nolite fieri serui hominũ: empti enim estis pretio magno. & rursus ad Ephesi. Vnus Dominus, inquit, vna fides, vnum baptisma. Non ergo licet nos Christianos principes superinducere. Vnde homines factiosi, corrupti superbia, & ambitione, nihil mirũ, si aduersus principes seditiones mouent. Ideo *nos cùm omnibus sapientibus melius dicimus, 8 Monarchiam siue regiam potestatem non solum iustam esse, & legitimam, sed dico reges etiam à iure diuino & naturali habere potestatem, & nõ ab ipsa republica, aut prorsus ab hominibus. Et probatur, Quia cùm respublica potestatem habeat in reipublicę partes, hęc autem potestas per ipsam multitudinem exerceri non potest (non enim commodè posset leges condere, atq; edicta proponere, lites dirimere & transgressores punire) necesse ergo fuit, vt potestatis administratio alicui, aut aliquibus commendaretur, qui huiusmodi curam gererent: & nihil refert, vni an pluribus commendetur: ergo potuit commendari po-

testas,

testas, quæ eadem est, quæ reipub. Et authoritati bus probatur. Constat enim regnum non esse cõ trarium iuri naturali, vt isti putant. Ius enim naturale est immutabile, vt Arist. probat. 5. Ethico. & etiam habetur in decretis. Nam si regnum esset cõtra ius naturale, nullo seculo, aut ætate iustum esse potuit. cuius contrarium esse constat ex veteri testamento, vbi laudatur Melchisedec Rex Salem, & Ioseph procurator regni Pharaonis, & exactor tributorũ, & Iacob vir iustus regionem incolendam à Pharaone accepit, & Daniel cum socijs suis constitutus est à Nabuchodonosor præfectus prouinciæ: quod vtiq; viri sancti nõ admisissent, si regnum pro tyrannide reputassent. Et Deuteronomi. 10. ponuntur leges, & conditiones regibus, quibus regnaturi erant apud filios Israel nec prohibentur regem sibi constituere, sed tantùm ne sit alienigena, qui constituendus esset, & ibi præcipitur, vt stet sacerdotis præcepto, & decreto sub capitis etiam pœna: nihil autẽ interest an sit sacerdos, an rex, dummodo eandem habeat potestatem. Et Leuitæ constituuntur iudices, qui potestatem haberent vitæ & mortis. Et in libris Regum quidam reges ab ipso Deo constituti leguntur, alij eius præcepto præpositi: quod vtiq; nunquam Dominus fecisset, si contra ius naturale fuisset. Et Machabæi, viri fortissimi & sanctissimi ab omnibus reputantur, qui tamen suorum

patrũ

patrum principatum aut delatum susceperunt, aut iustis de causis illud sibi vindicauerũt. Est verò prorsus absurdum existimare aliquid esse contrarium iuri naturali, aut diuino, quod rerum humanarum administrationi expediisset. Non itaque, vt sapienter ait Iob, Deus tanquam timidus abijcit potestatem, cùm ipse sit potens, nec libertas euangelica (vt seditiosi homines imperitę plebis auribus suggerunt) regis potestati impedimento est. Vt enim alio loco ostenditur, nihil quod lege naturali licitum sit, Euangelio prohibetur: atqué in hoc maximè libertas euangelica consistit. Quare si ante Euangelium ciuitatibus reges sibi constituere licebat, non est æstimandũ post Euangelium non licere. Et certe si reges, legitimi principes non essent, nunquam Apostoli Christi nobis vt illis pareamus, commendassent. Non enim Paulus ad Roma. 13. aliud agere videtur. Omnis inquit anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et iterum, Non est potestas nisi à Deo. & Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. & multa alia in hanc sententiã. Item ad Titum tertio. Admone, inquit, illos principibus & potestatibus subditos esse. Et. 1. Timoth. 2. Obsecro autem primùm omnium fieri obsecrationes pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti, vt quietam & tranquillam vitã agamus. Et primæ Petri. 2. cap. Subiecti estote

omnĩ

omni creaturæ propter Deum, siue regi.&c. Videtur ergo quòd regia potestas sit non à republi. sed ab ipso Deo, vt catholici doctores sentiunt. Quamuis enim à republica constituatur (creat nanq; respublica regem) nõ potestatem, sed propriam authoritatem in regem transfert, nec sunt duæ potestates, vna regia, altera communitatis. Atque ideo sicut potestatem reipublicæ â Deo& à iure naturali constitutam esse dicimus, idẽ prorsus de regia potestate dicamus necesse est (quod satis consonum scripturæ videtur) consuetudiniq́ue, quæ principes Dei, non reipub. ministros appellat. Salomon enim ait, Per me reges regnãt. Et Dominus Pilato respondit, Non haberes potestatẽ aduersum me vllã nisi tradita tibi esset desuper, id est de cælo. Errare ergo videntur authores concedentes reipublicæ potestatem esse de iure diuino, non autem regiam potestatem. Quòd si homines, vel respublica non haberent potestatem à Deo, sed ex condicto omnes conuenirent, & pro bono publico vellent potestatem contra se constituere, illa quidem esset ab hominibus sicut est, quã religiosi tribuunt abbati. Non ita verò est. Constituta est enim in republica omnibus etiã ciuibus inuitis potestas seipsam administrãdi, in quo officio ciuiles reges constituti sunt. Sed
9 dubitari potest, an* ita etiam sit de potestatibus, quibus infidelium respublicæ gubernantur: scilicet,

cet, an inter paganos sint legitimi principes, & alij magistratus. Et videtur ꝙ nõ: quia si ex Christiano fieret quis infidelis, omni prorsus publica potestate, vt iura dicunt, priuatur propter infidelitatem: ergo cùm eadem ratio infidelitatis maneat ei, impediet legitimum principatum, aut potestatem. Et Richardus, vir alioqui præstantissimi ingenij, in libro Depaupertate Christi, nõ solùm infidelitatem, sed quodcũq; mortale peccatum putat impedire omnẽ potestatem, & dominium, iurisdictionemq; tam publicam quam priuatam, & titulum, & fundamentum cuiuscunq; potestatis credit esse gratiam: cuius rationes prætereo, quia infirmiores sunt, quàm vt declaratione indigeant. Nec omnino est dubitandum quin apud ethnicos sint legitimi principes & domini, cùm Apostolus in locis suprà dictis, obediẽdum potestatibus & principibus & toto tempore seruire præcipiat, qui certè eo tempore omnes erant infideles. Et Ioseph & Daniel, paganorum principes, procuratores, & ministri erant: nec aut principes Christiani seculares aut ecclesiastici huiusmodi potestate & principatu priuare possent infideles, eo duntaxat titulo, quia infideles sunt, ni si ab eis alia iniuria profecta sit. Et *tres quidẽ cau 10
sæ publicæ potestatis secularis rectè explicantur per definitionem, quæ ab authoribus talis ponitur, Potestas publica est facultas, authoritas, siue

ius gubernandi rempublicam ciuilem. Ex dictis facilè patet probatio illius.

Quatenus ad publicam potestatẽ spectat, ostendimus publicas potestates esse à Deo, atq; adeò iustas & legitimas: ex quibus sequitur probatio vltimæ partis conclusionis suprà positæ, in qua dicebamus, nullam huiusmodi potestatem hominum consensu abrogari posse. Si enim homo cedere non potest iuri & facultati se defendẽdi, pro prijsq; membris ex commodo suo vtendi: ergo nec etiam potestati, cùm hoc illi naturali & diuino iure competat. Itidem etiam respublica nullo modo potest priuari huiusmodi potestate tuendi se, & administrandi aduersus iniuriam & suorum & exteriorum, quod sine publicis potestatibus facere non potest: atq; ita si ciues omnes in hoc conuenirent, vt omnes has potestates amitterẽt, & vt nullis tenerentur legibus, nulli imperarent, pactum esset nullum, & inualidum, vt pote contra ius naturale. Ex superioribus infertur corollarium non contemnendum, his maximè, qui sub vno principatu & regali degunt. Solent enim ciuitates, quæ sine rege sunt, & populari administratione reguntur iactare suam libertatem. Et co
11 rollarium est, Quòd* non est minor libertas in regali principatu, q̃ in aristocratico & democratico. sic enim distinguit Arist. 3. Ethic. principatus in Monarchiã & Monarchiã in principatũ vnius

Aristo

Aristocratiam idest optimatum principatum, & Democratiam, id est populare seu multitudinis principatum. Dico ergo non esse minorem libertatem in regali principatu, quàm in alijs. Probatur, Quia cùm eadem sit potestas, vt suprà probatum est, siue in vno, siue in pluribus sit, & tantum vni melius sit subijci quã pluribus (tot enim sunt domini quot sunt superiores) ergo non est minor libertas, vbi omnes vni sunt subditi, quàm pluribus, maximè cùm vbi sunt plures dominãtes, plures sunt qui potestatem ambiant: & necesse est, vt seditionibus, & dissensionibus respub. sæpe laboret propter illorum diuersas sententias. Nulla enim fides regni socijs, ait Poëta. Et Dominus per prophetam, Pastores multi demoliti sunt vineam meam. Optimum ergo regnum est vnius, sicut totus orbis ab vno principe & domino sapientissimo gubernatur. Secundum corollarium quod ex superioribꝰ potest inferri, est, Quòd *tota respublica potest puniri licitè pro peccato regis. Vnde si rex iniustum bellum inferret alicui principi, potest ille, qui iniuriam accepit, prædari, & alia iure belli persequi, & occidere regis subditos, etiam si omnes sint innocentes: quia postq̃ rex à republica constituitur, si quid ille insolenter cõmittat, imputatur reipublicæ: tenetur enim respublica non committere hanc potestatem nisi ei, qui iustè exerceat, & vtatur potestate, aliàs pe- 12

riculo se committit. Tertium corollarium, Nullũ
13 *bellum est iustum, si constat geri maiori malo reipublicæ, quàm bono, & vtilitate, quantumuis aliunde suppetant tituli, & rationes ad bellum iustum. Probatur, Quia si respublica non habet potestatem inferendi bellum, nisi ad tuendum se, resq; suas atq; se protegendum: ergo vbi ipso bello attenuatur potiùs, atq; atteritur, quã augetur, bellum erit iniustum, siue à rege inferatur, siue à republica: Imò cùm vna respublica sit pars totius orbis, & maximè Christiana prouincia pars totius reipublicæ, si bellum vtile sit vni prouinciæ, aut reipublicæ cum damno orbis aut Christianitatis, puto eo ipso bellum esse iniustum. vt si bellum Hispaniarum esset aduersus Gallos aliâs ex causis iustis susceptum, & alioqui regno Hispaniarum vtile: tamen cùm maiori malo & iactura geritur Christianitatis, puta quia Turcæ occupant interim prouincias Christianorum, cessandum esset à tali bello. Et hæc ad explicationem primæ conclusionis.

14 Secunda conclusio, Sicut* maior pars reipublicæ regem supra totam rempublicam constituere potest, alijs inuitis: ita pars maior Christianorum reliquis etiam renitentibus, Monarcham vnum creare iure potest, cui omnes principes & prouinciæ parêre teneantur. Prima pars huius cõclusionis satis ex superioribus patet. Si enim respubli-

ca

ca suam potestatem vni alicui mandare potest,& hoc propter vtilitatem reipublicæ,certum est nõ obstare dissensus vnius aut paucorũ, quominus cæteri prouidere possint bono reipublicæ: aliâs non esset sufficienter consultum reipublicæ,si cõ sensus omnium exigeretur,cùm ille in multitudi ne,aut vix,aut nũquam contingat. Satis ergo est vt maior pars conueniat in vnum,vt iure aliquid fiat.Item probatur efficaciter,Quia duabus parti bus dissentientibus,oportet vt prævaleat senten- tia alicuius partis necessariò. Postquàm enim cõ tradictoria volunt, & non debet, prævalere sen- tentia minoris partis: ergo sequenda est sentẽtia maioris partis.Nam si ad creandum regem requi ritur consensus omnium, quare etiam non requi ritur ad non creandum? quare enim magis requi ritur consensus omnium ad affirmatiuam,quàm ad negatiuam? Secũda pars est, q̃ huiusmodi rex est super totam rempublicam:volo dicere, quòd in regio principatu rex est non solùm supra sin- gulos,sed etiam supra totam rempublicam,id est etiam supra omnes simul.De qua republi. quan- quã sunt inter Philosophos variæ sententiæ,mul taq; disputentur, tamen ego probo illam partem cõclusionis nostræ. Quia si respublica esset supra regem,ergo esset principatus democraticus,idest popularis,& sic non est Monarchia & principa- tus vnius: & hæc videtur esse sententia Aristo. 3.

Politi. Item respublica potest dare potestatẽ alicui, non solùm supra singulos, sed etiam supra omnes simul, & ille haberet potestatem regiam, & non alia esset, quàm adhuc principatus vnius, nõ democraticus, aut aristocraticus. ergo rex est supra omnes. Item non appellatur à rege ad rempublicam: ergo non est maior respublica, nec superior. Tertia pars conclusionis est, ꝙ maior pars Christianorum posset Monarcham constituere. Probatur, Nam tota ecclesia est quodãmodo vna respublica, & vnum corpus. Iuxta illud Apostoli Omnes vnum corpus sumus. ergo habet potestatem se conseruandi, & tuendi, rationemq; optimam constituendi, qua se melius ab hostibus defendere possit. Item cùm finis temporalis, vt alio loco vberiùs tractabitur, sit sub spirituali, & ad illum dirigatur: si habere vnum Monarcham, esset expediens ad defensionem & propagationẽ religionis fidei Christianæ, non video cur non possint illi, ad quos spirituale spectat, cogere Christianos, vt vnum Monarcham crearent, sicut in fidei fauorem ecclesiastici principes hæreticos priuant principatu alias legitimo. Item quia aliquãdo genus humanũ habuit istam potestatem, scilicet eligendi Monarcham, vt patet à principio antequam fieret diuisio: ergo & nunc potest: cùm enim illa potestas esset iuris naturalis, non cessat. Ex hac conclusione infertur corollariũ, Quòd in liberis

liberis ciuitatibus, vt sunt Venetiæ, Florẽtia, posset maior pars eligere sibi regem alijs contradicẽtibus. Et hoc verum videtur, non solùm quia hoc manifestè expedit reipublicæ: sed dato quòd magis expediret politia aristocratica, aut democratica. Nam postquam respublica habet ius se administrandi, & id quod facit maior pars, facit tota: ergo potest accipere politiam, quam voluerit, etiam si non sit optima, sicut Roma habuit aristocraticam, quæ non est optima.

Tertia conclusio, Principum* leges & constitu 15
tiones ita obligant, vt transgressores in foro conscientiæ culpæ rei sint: quam etiam vim parentum in filios, & maritorum in vxores habent præcepta. In hoc argumento, & pro materia huius cõclusionis multa afferri possent, nec dictu indigna nec inutilia, si tempus concederet. Sed ratione huius opportunitatis totam rem quàm paucis potero, expediam. Et primùm omnium, sunt qui putant leges nullam vim habere, vt earum transgressores culpa in foro cõscientiæ teneantur, sed hãc solùm obligationem inducere, vt principes, & magistratus legum violatores iustè punire possint, negantq; subditos ad aliquid aliud corã Deo teneri: sicut pleriq; religiosi de suis constitutionibus dicunt, quòd obligant quidem ad pœnam non ad culpam, nec sine ratione insaniunt, sed probant rationibus & argumentis non inualidis.

Primò, Quia aliàs sequeretur, secularem potestatem esse spiritualem, si obligat in foro cõscientię. Secundò, Quia finis reipublicæ & potestatis secularis est solùm aliquid temporale, puta pacificus status ciuiũq; conuictus: sed hoc nihil ad cõscientiam: ergo. Tertiò, Quia esset omnino potestas secularis altera parte mãca, nam obligaret, & non posset absoluere, Quartò, Quia tunc puniretur quis bis pro peccato: nam in hoc mũdo puniret principes, in alio autem Deus. Quintò, Non potest imponere pœnã spiritualẽ: ergo nec obligare ad culpam, cum nõ videatur maior ratio de vno, quã de alio. Sextò, Nam vel est in potestate principis non obligare ad culpã, aut nõ. si primũ, cõtrà, Quia prælati spirituales possunt nõ obligare, vt patet in religionibus. Si secundũ, quomodo ergo cõstabit quãdo velint obligare, cũ ipsi non explicẽt? Sed his rationibus nõ obstantibus, quæ graues doctores mouerũt, non videtur mihi dubi tandũ quin leges ciuiles obligent in foro cõscientiæ, cũ hoc apertè videatur Paulus testificari ad Roma. 13. Potestati subditi estote nõ solùm propter iram, sed propter cõscientiam. Et Petrus dicit, Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti: quod etiã videtur nullo modo posse intelligi, si leges obligarent solũ in foro cõtentioso, & nõ in foro conscientiæ. Sed quoniã posset aliquis respondere, q

non

non sit idem obligare in foro cõscientiæ,&ad culpam,maxime cum religiosi confiteantur se teneri suis legibus in foro cõscientiæ,quæ tamẽ ad culpam non inducunt. Ideo dico etiam, quòd leges ciuiles obligant sub pœna peccati,& culpæ ęquè ac leges ecclesiasticæ.Hoc probatur apertè ex dicto Pauli ad Roma.13.Qui autem resistũt:inquit, ipsi sibi damnationem acquirunt,non autem incurritur damnatio, nisi propter culpam:ergo legum transgressores incurrunt coram Deo veram culpam.Ad maiorem autem declarationem &cõ firmationem istorum,est aduertendũ,quòd * lex 16
humana & diuina in aliquo differũt, & in aliquo conueniunt. Differunt quidem:nam lex diuina sicut a solo Deo fertur,ita à nullo alio,aut tolli,aut abrogari potest. Lex autem humana sicut per hominem constituitur, ita ab homine tolli, aut annullari potest. Differunt etiam quia in lege diuina ad hoc quòd iusta sit,&per hoc obligatoria,sufficit voluntas legislatoris,cùm sit pro ratione voluntas. Vt autem lex humana sit iusta, & possit obligare,nõ sufficit volũtas legislatoris: sed oportet quod sit vtilis reipublicæ,& moderata cum cęteris.Item etiam differunt,quia diuina firmius,& intensius obligat.In multis enim casibus obligat lex diuina,vbi non obligat humana.Nec ego aliã differentiam satis videre possem.Conueniunt autem in hoc, quòd lex diuina constituit aliquid in

esse & genere virtutis aut vitij: ita, quòd eo ipso quòd aliquid lege diuina præcipitur est bonum, & officiosum, quòd alias nõ esset: & eo quòd prohibetur, habet quod sit malum, & vitiosum: quod alias non esset, vt exemplo de baptismo patet, & de confessione. & de alijs sacramentis, in quibus non est alia bonitas, quã quòd sunt à Christo præcepta. Et vsus carniũ & alia quidem legalia in veteri lege non habebant aliquid aliud vitij, nisi ꝙ erant prohibita in lege. Vnde constat, ꝙ nullum sit vitium, nisi quia prohibitum in lege, necvirtus nisi quia præceptum vel laudatum in lege. Tota enim bonitas voluntatis humanæ, vt doctores firmiter probant, est ex conformitate ad voluntatẽ: & legem diuinam, & omnis malitia ex deformitate ad legẽ diuinam prouenire, quæ est regula omnium actuum humanorum. Ita etiam lex humana habet vim constituendi aliquid in esse virtutis & eius contrarium in esse vitij. Sic vt enim quia ebrietas est prohibita in lege diuina, est intemperantia: ita ieiunium est opus virtutis, quia eadem lege commendatur, & abstinentia a cibis quibusdam est virtus, quia præceptum est humana lege. Et ne exemplum afferamus solum de ecclesiasticis legibus, emere pecunia magistratum est ambitiosum quia prohibitum lege humana. Item sericum induere, est luxuriosum solum, quia prohitũ supra terminum legis erogare in conuiuio, erit in

tempe

temperantia, quod ante legem potuit esse temperantia, & magnificentia. Nec quicquam interest quantum ad hoc inter legem humanam & diuinam, sicut enim meritum est in opere virtutis, ita culpa in opere vitij. Ideo * sicut lex diuina habet 17
vim obligandi ad culpã, ita & lex humana. Quod ne voluntate dictum videatur, probatur sic, Lex humana est à Deo, ergo eodem modo obligat sicut diuina. Assumptum probatur, Nam non solũ opus Dei dicitur, quod se solo producit, sed etiam quod mediantibus causis secundis efficit: ergo nõ solum dicitur lex diuina, quam ipse solus sanciuit, sed etiam quam Dei potestate homines tulerunt: sicut leges pontificum dicuntur non solùm quas papa per se tulit, sed etiam quas papę authoritate alij inferiores tulerunt. Ita enim vocãtur papæ constitutiones vniuersitatum, & collegiorum quas constat papam non fecisse per se, sed alij eiꝰ authoritate condiderunt. Vel vt clarius probetur arguitur sic, suppositò quòd papa habet authoritatem condendi leges obligatorias in foro cõsciẽtiæ, Si papa committeret alicui, vt daret leges alicui communitati, præcipiens eis, vt obedirent, nõne præcepta legati haberent vim obligandi in foro conscientiæ? Ergo cum Deus dicat, Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernũt, quare decreta illorum non obligabunt similiter in foro conscientiæ? Et vt apertius cõstet, videtur omni-

omnino absurdum, concedere quòd si papa præcipiat, quod in hac ciuitate omnes obediant Cardinali legato, præcepta Legati obligarent ad culpam, vt omnes fatentur, & cũ Christus præcipiat parere principib⁹, negare quod principum leges obligent ad culpam, Et tandem qui concedunt leges pontificum obligare ad culpam, negare nullo modo possunt, quin etiam leges ciuiles obligẽt Ita enim dominus constituit principes seculares ad gubernandam rempublicam secularem, sicut pontifices ad spiritualem. Nec illud dictum domini, Qui vos spernit, me spernit, solum ad ecclesiasticos, sed etiã ad ciuiles magistratus spectat: nec minus diligenter in scriptura commendatur obedientia principum secularium, quam ecclesiasticorum. Nihil ergo interest quantum ad obligationem, ꝙ humanæ sint leges aut diuinæ, sicut æquè verum sacramentum esset ab apostolis, aut ab ecclesia conditum, si eam potestatem habuissent, ac si à Christo constitutũ esset: nec minus obligabat lex vetus, quæ tamen per angelos fuit data, non à Deo per se, quam obligat euãgelica ab ipso Christo per se ipsum data: & hoc pro certo tenendum.

18 Dubitari autem potest* ad quam culpam obligẽt ad mortalem, an ad venialẽ solum. Et quod obligent ad mortalem aliquando satis cõstare potest ex verbo Pauli iam allegato. Qui autem resistunt sibi damnationem acquirunt. Item Dathan, &

Abi-

Abirom deuorati sunt, quia restiterunt Moysi, & Aaron: non autem punirẽtur pœna mortis pro culpa veniali.

In contrarium autem, quod nunquam obligẽt ad mortale, videtur. Nam si concurreret præceptũ diuinum solum ad veniale obligans, cum quacũque lege humana, potius oportebit transgredi legem humanam, quam mentiri: si autẽ lex humana aliqua obligaret ad mortale, potius esset parẽdum illi, quam præcepto de veniali, cum mortale potius sit fugiendum. Respondetur ad hoc dubiũ graue ex paulò antè dictis. Dictum est enim quòd quo advim obligandi idem est iudicium de legibus humanis & diuinis: ad cõsiderandum autem quomodo, aut quantum obligant humanę leges, oportet eas considerare, ac si essent diuinæ. Humana enim lex, quæ si esset diuina, obligaret ad veniale, obligat etiam ad veniale, & quæ si esset diuina, obligaret ad mortale, obligat etiam ad mortale. Dictum est namq; quòd quãtum ad hoc nihil refert. nam eodem modo obligant, ac si essent latæ à Deo, licet non ita firmiter. Sicut ergo inter leges diuinas aliquæ obligant ad mortale, & aliquæ ad veniale: ita etiam humanæ aliquę ad veniale, aliquæ autem ad mortale obligant.

Sed* qualiter dignosci poterit, quando obligẽt 19
leges humanæ ad veniale, & quando ad mortale, cum lex ipsa ciuilis hoc non significet, imò nec le

gisla

giſlator de hoc cogitauit, quãdo condidit legem Reſpondetur, quod nec in lege quidem diuina, & maxime naturali, ſemper ſignificatur, ꝙ pręceptũ ſit de mortali, & quod de veniali, & inter ipſa mortalia non ſignificatur grauitas alterius ad alterum, id eſt quod illorum ſit grauius. Sicut enim dicitur, Non occides, ita dicitur, Non furtum facies, &, Non mentieris, &, De omni verbo otioſo teddenda eſt ratio: eadem ergo eſt regula, & ratio diſtinguẽdi grauitatem alicuius peccati. Totum ſiquidem relinquitur cogitandum ex parte materiæ. Sicut in lege naturali & diuina illud æſtimatur mortale, quod eſt contra honorẽ Dei, vel charitatem proximi, vt eſt blaſphemia, homicidium id autem veniale, quod eſt difforme rationi, & legi, non autem eſt cõtra honorem Dei, aut proximi charitatem, vt verbum otioſum, & alia id genus. Sic etiã erit in legib⁹ humanis, ſi enim aliquid ſtatuatur, quod multum expediat ad pacem ciuiũ ad incrementum boni publici, ad honeſtatẽ morum: transgreſsio illius videtur mortale peccatũ. Si autem quod inſtituitur, non ſit adeo neceſſarium, ſed velut quoddam leue, erit veniale. Exempla non ita ſunt in promptu, ſicut in legibus diuinis: ſed poteſt accipi de tributo, quod videtur omnino neceſſarium ad defenſionem reipublicæ, & ad alia publica munia & opera: & ideo ſi quis nõ ſolueret, eſſet mortale, quare ſi nulla lex data eſſet

à Deo,

à Deo, sed totam curam legum ferendarum man dasset hominibus, & esset lex ciuilis, Non occides & Non mentieris: prima obligaret ad mortale, se cunda ad veniale, Sicut nunc cum sunt diuinæ le ges. Ita si quis contra legem ciuilẽ venaretur, aut indueretur byssо, non videtur mortale. Alia exẽ- pla commodiora poni possent: nec enim pendet hoc ex volũtate legislatotis, sed ex natura & qua litate rei, & materiæ. Ex quo patet quantus est er ror iuniorum quorundam theologorum, dicen- tium grauitatem peccatorum sumendam esse & considerandam ex quantitate obligationis, cùm contrà omnino faciendum sit. Nam quãtitas obli gationis sumenda est ex quantitatæ materiæ, nec naturaliter scimus maiorem esse obligationẽ de non occidendo, quam de non furando, nisi ex ipsa materia, & non econtrario. Nec oportet re- spicere, an illud quod præcipitur, aut prohibetur sit nunc, aut semel in magnum commodum, aut malum reipublicæ, sed quale sit, si communiter, aut ab omnibus, aut multis fiat. Si enim prohibe- tur nequis pecunias extra regnum portet, quicũ que exportant, peccant mortaliter, quamuis vna exportatio parũ noceat reipu. Sed quia si cõmu- niter fieret, exhauriretur regnũ sat est, vt lex cõis obliget ad mortale, sicut vna fornicatio parũ no- cet sed si passim fieret, multũ noceret. Vnde qui- libet est mortalis. Sed contra dicta arguitur vehe

menter

mẽter,qa si ex parte materiæ est attendenda gra uitas peccati:ergo lex non facit culpam. Si enim illa transgressio est in damnum reipublicæ, post legem,ergo ante legem.ergo priuserat peccatum & tam graue,sicut post legem. Respondetur primò,quòd lex non solum obligat prohibendo,sed præcipiendo,& sic aliquid,quod ante legem erat bonum reipublicæ, non tamen necessarium, lex potest præcipere,& sic post legem transgressio illius erit peccatum, quod prius non erat peccatũ. Secundo dico,quod, vt patet in exemplis propositis,potest esse aliquid,quod sit ante legem malũ in aliquo:& in aliquo non: post legem autẽ illud erit in omnibus malum: quia fuit ratio sufficiens prohibendi omnibus verbi gratia ne portarẽt seri cum,vel auream vestem,quod erat quidem prius malum in paupere nobili: post legem autem in omnibus, quia fuit sufficiens ratio prohibẽdi omnib⁹,licet nullũ esset antea de se incõueniẽs, q̃ aliquis de magnatibus haberet vestem auream, aut sericam.Sed adhuc supereſt dubium,*Si rex vellet non obligare ad culpam,an posset? Respondetur, quòd non est dubium quòd posit,sicut potest ecclesiasticus legislator, qui quandocunque facit aliqua statuta,sine quacunque obligatione, vt prælatus religiosorum inter fratresuos. Esset enim contra rationem dicere,qnòd cõstitutiones prælati ecclesiastici non semper obligent ad culpam

pam, & secularium non possint non obligare. Aliquando enim legislator, siue ecclesiasticus, siue secularis non vult in suis legibus exigere obedientiã debitã à subditis, sed simpliciter ordinat quid faciendum sit, dicens, & dirigens potius, quam præcipiens: qualiter multa videntur esse in legibus & pragmaticis ciuilibus, & ecclesiasticis, sicut non semper cum petit pecuniam creditor, exigit tanquam volens obligare.

Quæritur tandem,* An leges ciuiles obligent 21
legislatores, & maximè reges. Videtur enim aliquibus quòd nõ, cum sint supra totam rempublicam, & nullus possit obligari nisi à superiore: sed certius & probabilius est, quòd obligentur. Quod probatur primò, Quia huiusmodi legislator facit iniuriam reipublicæ, & reliquis ciuibus, si cũ ipse sit pars reipublicę, non habeat partem oneris: iux taperſonam tamen suam & qualitatem, & dignitatem. Sed ista obligatio est indirecta, ideo aliter probatur. Nam eandem vim habent latæ leges à rege, ac si ferrẽtur à tota republica, vt supra declaratum est. Sed leges latæ à republica obligant oẽs ergo etiam si ferantur à rege, obligant ipsum regẽ Et confirmatur, Quia in aristocratico principatu senatus cõsulta obligant ipsos senatores authores illorum, & in populari regimine plebiscita obligant ipsum populum: ergo similiter leges regiæ obligant ipsum regem: & licet sit voluntariũ regi

condere legem, tamen nõ est in voluntate sua nõ obligari, aut obligari. Sicut in pactis. Liberè enim quisquis paciscitur, pactis tamẽ tenetur. Ex omnibus dictis infertur corollarium, q̃ ius gentium nõ solum habet vim ex pacto & condicto inter homines, sed etiam habet vim legis, habet enim totus orbis, qui aliquomodo est vna respublica, potestatẽ ferendi leges, æquas, & cõueniẽtes omnibus, quales sunt in iure gentium. Ex quo patet, q̃ mortaliter peccant violantes iura gentium, siue in pace, siue in bello, in rebus tamen grauioribus, vt est de incolumitate legatorũ, neq; licet vni regno nolle teneri iure gẽtiũ, est. n. latũ toti⁹ orbis autoritate.

Circa tertiam conclusionẽ dubitatur, Vtrum* cessante ratione legis, cesset obligatio vt (exempli gratia) prohibetur lege, nequis noctu telũ portet & ratio ei⁹ est propter nocturna pericula, ego autem scio nullum esse propter me periculum, an sim in culpa arma ferendo. Respondetur. Dupliciter, potest ratio legis cessare vno modo: qa in vniuersali cessat ratio propter quam lex lata est: vt si tempore belli prohibeantur arma ad Gallos deferri, tempore pacis lex non obligat: nã eadem ratione requiritur vt lex obliget, vt & duret, & ad hoc q̃ feratur, si deficit, ergo ratio ad ferendum: ergo etiam ad conseruandum illam. Et confirmatur, Quia per easdẽ causas res corrũpitur, per quas generatur. Item si lex non est vtilis reipublicæ, iam non

22

non est lex. Secũdo potest cessare ratio in particulari quo ad aliquẽ, Nõ tamẽ quo ad oẽs absolutè, vel quo ad plures, vt in casu posito, & tunc nihilo minus etiã talis obligatur lege. Quia enim sequũtur sæpe pericula ex armis nocturnis, est sufficiẽs ratio vt omnibus prohibeatur, alias lex nullius esset efficaciæ, cum vnusquisque putaret legem nõ pro se esse positam, sed propter alios: & ita in alijs præceptis nõ ratio particularis, sed vniuersalis est attendenda. Dubitatur * de tyrannorum legib? an obligent & videtur quod non habeant potestatẽ aliquã. In cõtrarium est, Quia cũ respu. opprimatur à tyrãno, & nõ sit sui iuris, nec possit ipse ferre leges, nec iam antè datas exequi, si non pareret Tyrãno, iã resp. interiret. Certè videtur, q̃ leges quæ sunt cõuenientes reipub. obligẽt, etiã si ferãntur à tyrãno, non quidẽ quia à tyranno latæ, sed ex consensu reipub, cum sanctius sit vt seruentur leges à tyrãnno latæ, quam quòd nullæ seruentur Et profectò esset in apertam perniciem reipublicæ, si principes, qui nõ habent iustum titulum, occuparent regnum, quòd nulla essent iudicia, nec aliquo modo possent malefactores puniri, aut coerceri, cum non sit tyrannus iudex legitimus, si leges eius non obligant. 23

Vltima pars conclusionis est, Quod * præcepta parentum eodem modo obligant, sicut leges ciuiles, & præcepta maritorum in vxores. Probatur, 24

de filijs. Nam sicut præcipitur obedire præpositis ita commendatur obedire parentibus: vt patet ex illo, Filij obedite parentibus, Ephesi. 6. & Colo. 3. ergo si est culpa non parere præpositis, etiam erit peccatum non obedire parentibus. Et ad Roma. 1 inter crimina & peccata, in quæ Deus dicit permisisse gentes incidere, annumeratur, & hoc, Parentibus non obedientes. Item, quia leges præcipiũt obedientiam parentum: ergo si leges obligant ad culpam, etiam erit culpa non obedire parentibus Et certe hoc videtur inclusum in illo pręcepto de honoratione parentum, & sicvt supra, dictum est quod leges aliquando quidem obligant ad mortale, aliquando verò ad veniale, ita videtur dicendum de præceptis parentum. Vnde certe si pater aliquid præciperet, quod multum referret ad administrationem familiæ, transgressio illius videtur mortalis, imò etiam in ijs, quæ spectant ad dispositionem ipsius filij. Sed sicut dictũ est, quod nõ omnis lex obligat, ad culpam, puta illa, in qua rex plus dirigit, quàm præcipit, multo magis hoc habet vim de parentibus, qui non semper volunt exigere debitum obedientiæ, sed solùm præcipiẽtes aliquid, volunt significare voluntatem suam.

Aduertendum tamen est, cum familia sit pars reipublicæ, quòd leges possunt determinare, in quibus filij teneantur obedire parentibus, & in quibus non oporteat, sicut determinauerunt vsque

que ad quam ætatem, & sic in alijs non erit culpa non obedire parentibus: sic etiã ad leges spectat determinare qua pœna posset castigare pater filium inobedientem & coercere ne vltra liceat patri progredi. De præceptis autem virorum circa vxores probari potest. Nam alias non poterit cõstare familia, nisi sit vnum caput, cui cæteri parere teneantur: hoc autem est vir, qui est caput domus & vxoris, ad Ephe. 5. Et ibidem. Mulieres suis viris subditæ sint sicut Dño, Et postea dicit, Vxor autem timeat virum suum. Item quia leges hoc iubent, ergo tenentur obedire, & etiam, ad leges spectat quomodo, & quo vsque vxor teneatur obedire viro & an possit vir vxorem verberibus castigare sicut de filijs diximus determinare.

REVERENDI

patris fratris Francisci à Victoria, de potestate Papę, & cōcilij relectio cum quæstione, Vtrum concilium generale possit facere decreta, & leges cōdere, quas nec summus pontifex possit immutare, vel per dispensationem, vel prorsus per abrogationem

Locus relegendus est apud Ioannem, Pasce oues meas. Ioan. cxxi.

SVMMA.

1 *Papa in quo genere decretum aut canonum nihil possit immutare dispensando, & multo minus abrogādo.*

2 *Concilium si declarat aliquid esse de fide, aut de iure diuino: papa in hoc nihil potest declarare, aut immutare, maxime si tale ius spectet ad fidem, vel ad mores ecclesiæ vniuersalis.*

3 *Papa posset dispēsare ī legib⁹ et statutis cōcilij generalis*

4 *Summus pontifex potest non solum dispensare institutis conciliorum, sed in totum aliquando abrogare talem legem, vel statutum.*

Papa

5 *Papa non obstante decreto irritante concilij, posset dispensare in statutis eius.*

6 *Papa, dispensando in legibus, & decretis, tam conciliorum, quam aliorum pontificum, posset errare, & grauiter peccare.*

7 *Papæ non licet dispensare in legibus, & decretis conciliorum pro suo arbitrio, & sine causa rationabili, etiam vbi nihil continent iuris diuini.*

8 *Papa multo minus potest abrogare sine causa rationabili decreta concilij, quàm in eis dispensare.*

9 *Lex aliqua etiam politiua, posset esse in ecclesia, & forte aliquæ tales sunt, in quibus expediret, vt nunquã dispensaretur.*

10 *Cõcilium quando, & in quo casu posset declarare, & determinare, & etiam statuere, vt in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensaretur.*

11 *Concilium videtur non posse errare in determinatione, quod in aliqua lege ecclesiastica nunquã dispẽsetur.*

12 *Concilij facta determinatione, quod nunquam in aliqua lege ecclesiastica dispensetur, an liceret vnquã papæ dispensare in tali lege, & vtrũ dispensando ex quacunque causa, peccaret mortaliter.*

13 *Decretum si fieret à concilio, quod in aliquibus legib⁹ ecclesiasticis nunquam dispẽsaretur, non deberet apponi in multis legibus, sed solũ in paucis, hisque grauissimis, & valde necessarijs.*

14 *Decreto facto per cõciliũ, quod in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensetur. Si illo non obstante pa-*

pa dispensaret, vt trũ teneret factũ licet male faceret

15 *Sicut Papa peccaret dispensans contra decretum concilij, ita etiam peccaret, qui petit dispensationem, & vtens illa.*

16 *Pontificis dispensationus, sunt in duplici differentia, & quæ sint.*

17 *Papa quid possit, aut quid non possit, non spectat ad subditos determinare, aut examinare.*

18 *Papæ mandatum, non semper obligat subditos ad parendum.*

19 *Papa si dispensaret, in qua casu subditi non tenerentur parere dispensationi.*

20 *Papa non deberet ægreferre sed potius gaudere, quod fieret aliquod decretum à concilio, quo caueretur, vt in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensaretur.*

21 *Papæ mandatis, an liceat resistere per appellationẽ ad futurum concilium.*

22 *Pontificis mandatis resistere, & non parere, non videtur permittendum cuicunque priuato sua authoritate, etiam si huiusmodi mandata essent contra determinationem concilij.*

23 *Papa si facta declaratione, & decreto a concilio, contrarium mandaret, quid agendum.*

24 *Concilium, quando, & in quo casu posset cõuocari, & congregari contra voluntatem Papæ.*

25 *Concilium quæ maximè debeat cauere, si quando decretum aliquod esset faciendum, vt Papæ authoritas illibata conseruetur.*

Pro par-



RO parte affirmatiua quæstionis arguitur, Quia concilium est supra papam, ergo papa non potest immutare decreta illius. Consequentia patet, quia par in parem nõ habet imperium. c. innotuit. de election. ergo multo minus inferior in superiorem. Antecedens est cõmunis sententia Parisiensium, & multorum doctorum. Et confirmatur consequentia, Quia aliâs eadem ratione posset defendi, q̃ episcopus posset dispensare in legibus papæ, imò & in legibus papæ, imò & in legibus conciliorum. si enim papa cùm sit inferior, nihilominus potest dispensare, aut abrogare legem concilij: ergo non obstabit etiam, quòd episcopus licet sit inferior, possit etiam dispensare. Et confirmatur iterum, saltem recepta illa opinione de superioritate concilij, videtur omnino sequenda pars affirmatiua: sed illa opinio est probabilis, ergo etiam hæc. Confirmatur, Quia dato q̃ sint pares potestates, par in parẽ non habet imperium, vt in dicto c. innotuit. ergo non potest tollere quod concilium sanciuit. vnde videtur, quòd cõcilium in hac causa posset dicere Pontifici, quod Hebrei responderunt Moysi, Exo. 2. Quis te cõstituit principem & Iudicem super nos? Et summus Pontifex debet meminisse illius responsi Domini nostri: Quis me constituit Iudicem super vos? Luc. 12.

In contrarium est, Quia dispensatio & abrogatio legis tempore & loco opportuno est pascere gregẽ. omnis enim actus iurisdictionis est actus pastoris. sed summus Pontifex est vniuersalis pastor, iuxta verba proposita Ioan. 21. Pasce oues meas. Et in concilio Calcedonensi acclamatum est Pōtifici Leoni Apostolico œcumenico. i. vniuersali. Et Matth. 18. Quodcunq; solueris super terram, &c. Sed dispensare est soluere obligationem. ergo. Notandum primò quòd (vt ponit Herueus d. 47.) prim. sent. differentia est inter abrogare, & dispensare, & interpretari, pro quo vide Syluestrum in verbo papa. §. 16. Notandum secundò quòd omnes doctores distinguunt, specialiter S. Tho. quotlibeto. 4. ar. 13. & multis aliis locis, q̃ duplex est genus canonum & decretorum, siue sint conciliorum, siue sint sanctorum, patrum, & est vnum genus canonum re vera de iure diuino, sicut qui pertinent ad articulos fidei, & ad substantiam sacramentorum, aut qui necessariam & manifestam habent connexionem ad legem diuinã seu naturalem; & pertinentia ad bonos mores.

I Et vt certo ordine ac more theologico procedamus, sit prima propositio. In * hoc genere decretorum aut canonum Papa nihil potest immutare dispensando, & multo minus abrogãdo. Cõclusio est omnium theologorum absq; cõtroversia, quicquid Canonistæ disputent. Et ponit eam

S. Tho.

S.Tho.in multis locis,vt in quotlibeto vbi suprà, & in primo sentent.d.47.& in.3.senten.d.37.vide verba eius.1.2.q.97.art.4.ad tertium.&. q.100.art. 8.& potest breuiter probari, quia ius naturale est immutabile, & vt habetur in decretis d. 5. cap. 1. naturale ius semper permanet. & Esa. 24. contra eos qui timere tentauerunt immutare ius naturale,dicitur quòd transgressi sunt leges,mutauerũt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum, &c. Sed ius diuinum etiam positiuum habet eandem vim sicut naturale, quia ius naturale non habet vim, nisi quia latum est authoritate diuina: aliâs non esset obligatorium,quicquid dicat Gregorius: cũ obligatio esse non possit nisi à superiore: ergo simpliciter in iure diuino non cadit dispensatio humana.

Pro maiori tamen & breuiori declaratione arguo contra istam propositionem. Primò, Papa potest dispensare in matrimonio rato non consummato, & insolubilitas matrimonij est de iure diuino:ergo potest dispensare in iure diuino Maior probatur, Quia votum solenne dirimit matrimonium ratum,vt patet in c.ex publico. de conuersione coniugatorum. Sed votum solẽne est de iure positiuo,vt patet in c.vnico de voto in.6. ergo ius positiuum tollit ius diuinũ. Minor patet ex illo, Quos Deus coniunxit,homo non separet Matth.19.&.1.ad Corinth.7.Secundò argumẽto

oq

pa

Papa dispensat in gradibus prohibitis iure diuino: ergo. Antecedens patet. Quia accipere relictã fratris est prohibitum iure diuino, vt patet Leuit. 18. Vxorem fratris sui nullus accipiat. Et eodem modo accipere amitam, vel materteram ibidem expressè prohibetur: & tamen Papa dispensat in istis: ergo. Tertiò papa dispensat in voto saltem simplici, vt patet ex vsu, & in titulo de voto & voti redemptione: & tamen seruare votum est de iure diuino, si quid vouisti, ne moreris reddere displicet enim Deo infidelis & stulta promissio, Ecclesiastici. 5. Idem expressè Deutero. 23. Quartò papa dispensat cum bigamo, & homicida, sed tales sunt irregulares de iure diuino, vt patet. 1. ad Timo. 3. Oportet episcopum vnius esse vxoris virum, non percussorem, quod glossa, & omnes doctores intelligũt de presbyteris: quod patet, quia statim subdit, diaconos similiter pudicos, nulla alia mentione facta de presbyteris. Confirmatur, Quis talis irregularitas nõ tollitur per baptismũ, sicut aliæ irregularitates, vt doctores dicunt in. 4. distin. 27. ex authoritate Augustini Ambrosij & omnium doctorum theologorum, & canonistarum. Et quòd possit dispensare cum bigamo, tenet S. Tho. in. 4. distin. 27. q. 3. art. 3. & in quodlibeto. 4. q. 13. & doctores extra de bigamis capitu. nuper. & capitu. fina. & d. 34. capitu. lector. gloss. dicit Lucium papam dispensasse cum archiepisco-

po Panormitano bigamo. Et cum homicida posse etiam dispensari. tenet Abbas in capit. sicut dignum de homicidio, dicens communiter hoc teneri per doctores: nec de hoc dubitant theologi. Quintò, papa est vicarius Christi ex themate, Pasce oues meas: & ex illo, Quodcunq; solueris super terram, &c. & habetur in cap. Inter corporalia. de translatione episcopi. & in cap. 1. de homicidio in. 6. Imò Paulus de omnibus Apostolis ait 2. ad Corinth. 6. Pro Christo fungimur legatione &c. Et Dominus expressè, Qui vos audit, me audit, &c. Et sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. sed vicarius & delegatus potest quicquid potest principalis, nisi sit ei prohibitum specialiter, vt extra. de officio delegati, & de officio vicarij, per totum. sed nõ inuenitur vbi sit prohibita hæc dispensatio Papæ, ergo. Confirmatur, Quia Apostoli dispensauerunt in lege diuina, aut in baptismo, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; ipsi enim baptizabant in nomine Iesu. Et Petrus occidit Ananiam & Sapphiram. Actu. 5.

Ad primum igitur argumẽtum cõmunis schola theologorum in. 4. d. 27. negat maiorem, scilicet q̃ Papa possit dispensare: sed in contrarium sunt multi doctores canonistarum in d. c. ex publico. & cùm illis Cardinalis Caietanus in particulari opusculo super hoc: & nostris temporibus dicitur factum à Clemente. 7. sed nihil refert quã

opinio-

opinionem teneamus, si enim canonistarum, cõ-
13 sequenter oportet dicere, q̃ insolubilitas matrimonij ante consummationem non est de iure diuino: & illa verba Saluatoris Matth. 19. exponuntur de matrimonio iam consummato: quamuis aliter posset responderi, vt dicemus in solutione ad quartum. Si verò opinionem theologorum teneamus, quæ probabilior videtur, quia aliâs partes per se possent dirimere matrimonium, & matrimoniũ sequens teneret, etiam inter fideles, &c. tunc ad rationem de ingressu religionis dicimus, q̃ hoc est de iure diuino, q̃ professio dirimat matrimoniũ, quòd ius diuinũ cõstat ex authoritate Dei, & vsu ecclesiæ. Votum autem solenne est de iure positiuo quantum ad determinationẽ & modum, puta qua ætate, & quo ordine, quo tempore, &c. sed non quantum ad substantiam suam.

Ad secundum argumentum aliqui, vt archiepiscopus Floren. 3. p. tit. 1. cap. 14. & Palud. in 4. d. 40. videntur tenere, quòd in omnibus gradibus prohibitis in Leuitico papa non possit dispensa-
14 re. & Hoc reputat Syluester probabilius. Sed oppositum est longe probabilius. vt tenet Caieta. 22. quæstio. 154. arti. 9. & determinatum fuit Romæ his diebus in causa regis Angliæ. & ideo hanc opinionem tenendo, respondetur ad argumenta, quòd præcepta veteris legis, quæ non sunt de iure naturali, omnia cessauerunt, nec plus habent

vim

vim obligatoriam præcepta iudicialia, quàm cæremonialia, vt omnes doctores tenent, & necessarium est tenere, quia Paulus ita determinat ad Hebræ.7. Translato enim sacerdotio, necesse est, vt translatio Legis fiat, quod habetur in cap. trãslato de constitutionibus. & tenet S. Thom. in.12. quæstio.103.arti.3. Probat enim ibi Paulus, quòd sacerdotium Christi est aliud à sacerdotio veteris legis, & per consequens quòd lex vetus expirauit: & idem probat ad Hebræ. 8. per hoc quòd Dominus vocat testamẽtum nouum: ex quo arguit Paulus, quòd antiquum testamentum interijt. Dico ergo, quòd aliqui gradus prohibiti in Leuitico, non sunt de iure naturali. Imo Caietanus tenet, quòd nullus præter primum in linea recta.

Ad tertium, nota quòd propter agumentum hoc multi tenent, quòd papa propriè non potest dispensare in votis. Quia dispensatio propriè, vt suprà diximus, est relaxatio iuris, & obligationõ voti certũ est nõ esse de iure positiuo: ergo dispẽsatio voti est relaxatio iuris diuini: qđ videtur durũ. Vnde dicũt, q̃ nunquam potest dispensare in voto, nisi vel votũ ipsum fiat, aut sit illicitũ vel inutile, aut maioris boni impedimentũ: hoc autem non est relaxare ius diuinum, sed interpretari, quod non est propriè dispensare. In illis enim casibus re vera tale votum non est obligatorium iure diuino. imò si constat, quilibet potest pro-

prio

prio arbitrio non implere tale votum. Et huius sententiæ videtur fuisse S. Tho. in. 2. 2. q. 88. art. 10. ad tertium, vbi diserte determinat, q̃ non cadit dispensatio in votum, nisi quia est simpliciter malum aut inutile, aut maioris boni impeditiuũ. Imò hoc dicit esse propriè dispensationem. Et vtinam hæc opinio non sit vera.

In contrarium tamen est cõmunis opinio, scilicet q̃ potest etiam tollere obligationem. Et probatur, Irritatio voti est de iure positiuo, & non diuino ius enim positiuum dat licentiam parentibus vsq; ad certam ętatẽ: & tamen irritatio non interpretatur, sed verè tollit obligationem voti. Et tunc ad argumentum respondent aliqui, q̃ duplex est ius diuinum, quoddam absolutum & independens, quod scilicet, nõ supponit actum humanum, vt præceptum de baptismo, de eucharistia, quo omnes obligantur, nec eius obligatio pẽdet ex humano actu, aut iudicio. Aliud est dependens ex humano actu, quod scilicet non obligat nisi mediante actu humano. nullum enim ius diuinum obligat ad ingrediendum religionem, sed si quis promittat eam, obligatur iure diuino implere promissum. Ex qua distinctione respondetur ad argumentum, quòd in iure diuino non dependenti nõ potest papa dispensare, sed bene in iure diuino dependenti. quia habet potestatem tollendi id quod per hominis voluntatem inductum

ctum est. Probabilis est iste modus respondendi, sed qui possit tamen impugnari. Melius tamen videtur respondere vt respondet S. Tho. in.22.q. 88.arti.10.ad secundum,vbi sic arguit. In ijs, quæ sunt in lege naturæ, & in præceptis diuinis non potest per hominem dispensari, & præcipuè in præceptis primæ tabulæ. Sed implere votum est de lege naturæ,& lege diuina,vt suprà probatum est.ergo in voto dispensari non potest.Respondetur quòd sicut de iure naturæ tenetur homo implere votum, ita & ex ijsdem tenetur obedire superioris legi & mandato.Et tamen cùm dispensatur in aliqua lege humana, non fit vt legi humanæ non obediatur,quod est contra legem naturę & mandatum diuinum: sed fit, vt hoc quod erat lex, non sit lex in hoc casu: ita etiam authoritate superioris dispensantis fit vt hoc quod continebatur sub voto,non contineatur inquantum determinatur in hoc casu, hoc non esse congruam materiam voti. Et ideo prælatus sic dispensans, non dispensat in præcepto iuris naturalis vel diuini,sed determinat id quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ: quæ non potuit omnia aspicere.iam nõ cadat.vnde patet, quòd S. Tho. facit idem iudicium de voto & de lege humana,ita vt talis obligatio sit quasi peculiari legi iste obligaretur: & ita dispensatio in voto est dispẽsatio in actu humano. Itaq; videtur q̃ duplex

sit obligatio diuina & humana. Humana etiam est duplex, ex lege, & ex voto.

Aliter potest dici, q̃ cum votum nõ sit nisi promissio quædam, Idem videtur dicendum de hac pmissione, & de alijs. Qui enim promisit aliquid tenetur seruare promissum de iure naturali, vt S. Tho. dicit in, 22. q. 88. ar. 3. ad. 1. In promissione autem humana potest ille, cuius interest, remittere & liberare promittentem â redditione promissi. hoc autem non est abrogare, vel dispensare in lege diuina, & per cõsequens nec si superior in hoc dispensat, est dispensare in lege diuina, & si Deus ipse remitteret votum, non esset dispensatio in lege diuina de impletione voti. Ita ergo quia papa habet vices Dei, potest remittere debitum exrationabili causa, nec ex hoc dispensat in lege diuina. Confirmatur, Episcopus potest dispensare in voto, vt certũ est, & sic dato, quòd disputetur de Papa, non dubitatur quòd episcopus non possit dispensare in lege diuina. Et sic propter dispensationem voti non oportet dicere, quòd Papa possit dispensare in lege diuina.

Ad quartum breuiter & faciliter respondetur, quòd in scriptura sacra sunt aliqua decreta & mandata iuris diuini, idest authoritate diuina lata, quamuis ab Apostolis, sicut de extrema vnctione dicunt doctores, quòd est sacramentum iuris diuini, sed promulgatum Iacobi. 5. Et Apo-

stolus. 1. ad Corinthio. 7. Iis qui matrimonio sunt iuncti, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro nõ discedere. Alia sunt statuta ab Apostolis ipsis, vt Paulus statim vbi suprà, Nam cæteris dico ego, non Dominus, si quis habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, nõ dimittat illam. Et non est dubitãdum, quòd Apostoli multa disposuerint sua authoritate, sicut nũc pontifices faciunt. Et Pau. 1. ad Corinth. 11. Cùm venero, cætera disponam. Et in his non est dubitandum quin successores Apostolorum habeãt authoritatem dispensandi huiusmodi ergo sunt statuta de bigamia & homicidio. Et de vtro que patet primò, Quia irregularitas illorum non est de iure naturali absolutè, vt constat: in noua autem lege non sunt præcepta negatiua, aut prohibitiua, nisi iuris naturalis, vt docet S. Tho. 12. q. 108. art. 1. & ideo dicitur lex libertatis Iacobi. 1. & 2. & irregularitas homicidij tollitur per baptismũ d. 5. cap. siquis per baptismum. secundùm Innocentium, Gofredum, & Guilielmum, & omnes theologos, in. 4. d. si verò esset de iure naturali aut diuino, tolli non posset ergo. Et præterea si homicida, aut bigamus ordinaretur etiam absq; dispẽsatione, manet ordinatus, & reciperet characterem, vt Doctores determinant in. 4. Ergo illa irregularitas non est de iure diuino, aliâs non teneret factum. sicut si mulier ordinaretur, non tene-

ret ordinatio, nec valeret. & sic papa potest dispẽsare, cùm sit de iure positiuo. Confirmatur, Illa quæ constituta sunt ab Apostolis, non sunt de iure diuino: quia etiam in concilio Apostolorum Actorum 15. dicitur, Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis quàm hæc necessaria, vt abstineatis ab immolatis simulachrorum & sanguine, & suffocato. Etiam nulla est: nõ potuisset aũt cessare si fuisset de iure diuino: ergo.

Ad quintum respondetur, quòd verum est, q̃ Papa est vicarius & legatus Christi. & nego consequentiam: non enim infertur, Est vicarius Christi, ergo potest quicquid potest Christus: nec vnquam aliquis tribuit hanc licentiam papæ. Et ad probationem respondetur, quòd ècontrario vicarius non habet quod non prohibetur, sed solùm quod conceditur. Christus autem non concesit solutionem aut relaxationem mandatorum suorum, sed solùm ministerium & dispensationem illorum, vt ait Apostolus. 1. ad Corint. 3. Quid igitur est Apollo, quid verò Paulus? ministri eius, cui credidistis. & capitu. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores, &c. & officium Apostolorum Paulus semper vocat ministerium, &. 2. ad Corinthi. 6. In omnibus exhibeamus nos sicut Dei ministros. certè si quis mãdata eius relaxaret, non se haberet sicut Dei minister, sed sicut æqualis, aut potius superior. Item

com-

commissum est Pontifici remittere peccata contra præcepta admissa, non autem relaxatio mandatorum. Et.1.ad Corint.3. Fundamentum aliud nemo ponere potest, præter id, quod positum est quod est Christus Iesus, id est fides & lex. Illud oportet, vt maneat immutatum, & illibatum, prę lati autem possunt ædificare, aurum, argentum, lapides pretiosos. Et tunc diceretur rectè, Obedire oportet plus Deo quàm hominibus. Item, Nunquam fuit talis authoritas dispensandi in minimo præcepto ceremoniali, tamen erant pontifices & gubernatores ecclesiæ: & ad hoc facit illud, Vnum iota, aut vnús apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Item ratione, Quia dispensatio in lege spectat solùm ad legislatorem, vel superiorem vel ad illum cui specialiter commiserint ipsi vt asserit Sanctus Tho.12. q.97. arti. 10. ad tertium. Manet ergo conclusio tanquam certa & firma, quòd in primo genere præceptorum concilij, scilicet quæ sunt iuris diuini, Papa non potest dispensare. & totum confirmatur ex. c.contra.25.q.1. vbi Zozimus papa dicit, Contra statuta sanctorum Patrum condere aliquid aut immutare nec huius quidem sedis potest authoritas. Idem habetur in capitulo, cùm ad monasterium, de statu monachorum.

Sed dato quòd ita sit, quòd papa non potest aliquid immutare in ijs, quæ sunt iuris diuini, ta-

men ad papam vel concilium spectet interpretari. & declarare tale ius, adhuc posset dubitari, Et item, an si concilium aliquod determinet aliquid esse de fide, aut de iure diuino, papa possit hoc aliter declarare. sed in hoc priori nulla est contẽtio,
2 & ideo breuiter sit secunda propositio. Si* concilium declarat aliquid esse de fide, aut de iure diuino, papa in hoc nihil potest aliter declarare, aut immutare, maximè si tale ius spectet ad fidẽ, vel ad mores ecclesiæ vniuersalis. Probatur, Quia in illis conciliũ errare non potest, iuxta promissum Luc. 22. Ego oraui pro te, &c. & Mat. 18. vbicunq; fuerint duo, vel tres, &c. & non minus est spiritus sanctus in quocunq; concilio generali, quàm in concilio Apostolorum, vbi spiritus sanctus assistebat iuxta illud Act. 15. Visum est Spiritui sancto, &c. Confirmatur, Quia si in illis conciliũ errare posset, & papa errare posset, etsi vtrũq; errare posset, standũ esset potiùs cõcilio. Sicut ergo post quã determinatũ fuit in concilio Apostolorũ, q̃ legalia erãt extincta, nõ potuit Petrus aliter definire: ità in quocunq; concilio generali. Et patet, Quia si errare posset, non esset ecclesia fundata super firmam petram, cùm semper maneret dubia, & vacillaret, nec Euangelium esset certũ, cui Augustinus dicit se non crediturum nisi propter authoritatem ecclesię: & non posset Petrus cõfirmare fratres suos, nec essent lux mundi, Matth. 5. nec

esset

esset vera promissio Spiritus sancti. Quem ego, inquit, mittam vobis à Patre, ille vos docebit omnia. Aliud genus canonum & decretorum est, quæ omnino sunt extra ius naturale, & diuinum, sed spectant, & sunt vtilia ad conseruationem iuris naturalis & diuini. Suppono enim, q prælati in ecclesia possunt condere leges etiam obligatorias multo magis quàm principes seculares, qui hoc possunt, vt patet apud Paulum ad Roma. 13. & ex beato Petro. 1. Petri. 2. & patet ex illo, Qui vos audit, me audit. Luc. 10. Et super cathedram Moysi, Matth. 23. & Paul. ad Hebræ. 13. Obedite præpositis vestris. Nec de hoc est aliqua contentio inter catholicos, quanquam sit cum nouis hæreticis huius temporis; & licet sit solus vnus doctor theologus, scilicet Gerson inter recentiores, qui videtur dicere, quòd papa non possit ferre leges obligatorias, nisi sequãtur ex iure diuino, vel naturali, sed ille non auditur à theologis in hac parte, & quædam alia tenet profectò male sonantia in doctrina theologica: q si prælati hoc possunt, multo magis concilia.

De hoc ergo genere vertitur maximè in dubium, vtrum papa possit immutare, aut dispẽsando, aut abrogãdo, vt de ieiunio quadragesimæ, de horis canonicis, & similib⁹: de quibus sit tertia propositio, Papa potest dispensare in legibus, & statutis concilij generalis. Pro huius conclusionis

probatione est notandum, quòd de comparatione potestatis papæ & concilij est duplex sententia, altera est S. Tho. & sequacium multorum: & aliorum tam in theologia quàm in iure canonico, quòd papa est supra concilium, & altera est communis sententia Parisiensium, & multorum etiam doctorum in theologia & canonibus, vt Panormi. & aliorum, contraria, quòd concilium est supra papam: non tamen est locus nũc disputandi quæ illarum sit verior, quia non de hoc agitur. Puto vtrauque esse probabilem opinionem: & quia quælibet habet magnos assertores, non oportet in quæstione proposita procedere solùm ex altera opinione, sed statuere quid dicendum, quamcunque sententiam sequamur. Et ideo dico conclusionem positam esse veram, non solùm tenendo primam opinionem, sed etiam secundam. Et probatur primò, Quia leges humanæ sunt de humanis actibus, qui sunt pro temporum & personarum conditione variabiles, & quod in communi expedit, vni persone, vel in aliquo casu non conuenit, vel in alio tempore, vt ait Augusti. 1. De libero arbitrio. Et hæc est causa, quare Aristote. dicit septimo Ethicorum. Necesse est in principe ἐπιεικειαν esse, siue æquitatem, cuius officium est in casibus, vbi tenor legis vergit in detrimentum reipublicæ, discedere à verbis legis: eadem inquam ratione est necesse

in

in ecclesia esse authoritatem dispensandi pro loco & tempore. & ita tenet S. Thom. 22. q, 88. artic. 10. alias multa, quæ pro bono publico suntordinata, verterentur in perniciem reipublicæ. vt in cap. regula. d. 29. dicitur, quod regula sanctorũ patrũ pro varietate temporum & locorum temperatur Si ergo huiusmodi dispensatio est necessaria in re publica, dicere quod solum residet in concilio, absurdum est, cum dispẽsationes sint necessariæ ordinarie propter variationem casuum & temporũ Concilium autem non sæpe potest congregari, nec apostolos legimus nisi bis coegisse concilium semel Acto. 1. ad electionem Matiæ, & iterũ Acto rum. 15. super contentione legalium. ergo oportet q̃ resideat in papa. Et vniuersaliter S. Th. 12. q. 97. art. 4. dicit q̃ in omni lege hũa potest dispensari per rectores reip. Item dato, quòd concilium esset supra papam, hoc tamen non est intelligendum extensiue, idest, quòd aliquem actum possit concilium, in quem papa non possit, hoc enim nullo pacto est probabile, sed solum intensiue, puta si contrarium determinaretur, esset stãdum potius concilio, vel quod papa teneretur parere cõcilio & non è cõtrario. Cum igitur concilium posset dispensare in suis decretis, ergo etiam papa poterit. Item alias non esset papa. Hoc namq; omnes intelligunt per papam, in quo omnis potestas ecclesiastica residet, si enim dispensatio in legibus ec-

clesiasticis eximeretur à papa, iam potestas papę est particularis, & non vniuersalis. Item est vicarius Christi (vt supra probatum est) ergo habet generalem administrationem ad omnia, Item papa est generalis commissarius Dei, assumptus in plenitudinem potestatis. 2. q. 6. qui se scit. &. 24. q. 5. quodcunque ergo potest in omnem actum iurisdictionis. Item cùm concilium possit dispensare in suis legibus, saltem concilium posset hanc potestatem commitere suo legato, seu vicario. Si ergo summus pontifex non posset dispensare, & ille legatus possit, iã daretur in ecclesia aliquis prælatus maior papa: & sic papa non esset supremus, & omnino esset sacrilegium dicere, quòd concilium possit constituere in ecclesia aliquam potestatem superiorem papa, quem Christus cõstituit Item cõclusio firmiter probatur testimonijs supra inductis, Ioan. 21. Pasce oues meas. & Matthæ. 18. Quodcunque solueris super terram dispẽsare autẽ pascere est, & soluere. Vltimo probatur, Quia impedimẽta, quę impediũt, & dirimũt matrimonium de iure positiuo, vt aliqui gradus consangui nitatis, & affinitatis, sunt ex authoritate concilio rum, vt patet extra. de consangui. & affini. capit. non debet & 35. quæstio. 3. de affinitate. & in multis capitu. eadẽ causa & quæstione. Et tamen quotidie papa dispensat, saltem in. 3. gradu & 4. nec quisquam dubitat, quin factum teneat, & est sen-

tentia

tentia omniũ doctorum. Et habetur expresse in capitu. quod dilectio. & in capit. quia circa de cõ sangui. & affini. &. 35. q. 3. quædã lex. §. quod scripsi. Hanc conclusionem ponit S. Tho. in opusculo contra impugnantes religionẽ. Omnia, inquit statuta sanctorum Patrum sunt relicta dispensationi papæ, vt possit ea mutare, vel dispensare secundum opportunitatem temporum & negotiorum. Et illud Zozini. 25. quæstio. 7. contra statuta Patrum, vt supra dicitur, intelligendum de statutis spectantibus ad ius diuinum. Et hæc est sententia expressa domini Archiepiscopi Rhemensis libro de Synodis capitu. 39. facultatem, inquit, temperandorum siue mutandorum canonum potestati Romani pontificis adiacere non dubitamus

Quarta propositio, Summus * Pontifex non 4
solum potest dispensare in statutis conciliorum, sed in totum, etiam aliquando abrogare aliquam talem legem, vel statutum. Hæc patet ex præcedenti & eius probatione. Quia aliquando expedit abrogatio alicuius legis ad rectam gubernationem ecclesiæ, vt in capitu. non debet. de consanguinitate & affinitate. & in capit, alma mater. de sententia excommunicatio. vnde cum cõcilium generale congregari ex toto orbe difficilè possit, oportet quôd sit in ecclesia aliqua potestas, quæ hæc possit. Et confirmatur tertia & quarta cõclusio. Non enim videtur, quin summus põtifex possit, q

fit, quod potest sola consuetudo, sed consuetudo rationabilis potest tollere statuta etiam concilio rũ ergo summus pontifex. Minor probatur, quia in concilio apostolorum, vt patet Actorum. 15. cõstitutum fuit, vt Christiani abstinerent a suffocato, ab immolato, & sanguine visum est, inquit, spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato. Et hoc fuit obseruatum in ecclesia, non solum à conuersis ex Iudæis, sed etiam à gentilibus per multos annos, non solum tempore apostolorum sed multo post, vt patet ex Tertulliano in Apologetico cap. 9. imò expresse in concilio Gangrẽsi, quod fuit post Nicenum (vt habetur. d. 70. cap. si quis carnem) habetur inquam quod non licet vesci sanguine, vt suffocato: tamen sola consuetudo abrogauit illud præceptum, nusquam enim legitur reuocatum. Vnde apud Græcos, apud quos perseuerat consuetudo, forta sse adhuc durat obligatio. Quid ergo obstat, quin aliquis summorum pontificum aduertens iam illud præceptum non esse necessarium, abrogaret illud, quantuncunq; esset latum à concilio apostolorum? Hanc cõclusionem tenent non solum doctores, qui sequũtur sententiam, quod papa est supra concilium, sed etiam tenentes contrariam opinionem. Vnde Panor. in capit. significasti. de electione, ita tenet, &

est sen

est sententia vniuersalis Ioan. Andr. quod potest tollere, & mutare statuta concilij, in capi. statutũ de rescrip. in. 6. Nec certè de his duabus conclusio nibus posset quis rationabiliter dubitare, nec pos set quis nisi magna temeritate affirmare, quòd si 17
papa ex rationabili causa dispẽset in ieiunio qua dragesimæ, vel abstinentia carnium, non teneat dispensatio: tamen illa sunt ex statutis cõciliorũ.

Sed dato quòd absulte ita sit, tamen restat magnum dubium. Vtrum saltem si concilium prohi beret dispensationem, & addat decretum irritans, si secus fieret, vtrum saltem in tali lege possit dispensare Papa. De qua, primò tenendo quod papa est supra concilium, videtur quòd nõ possit dubitari, quin hoc possit: quia si par in parem non habet imperium, multo minus inferior in superiorem. Sed tenendo alteram partem, prima facie etiam videtur, quod sequatur, si conciliũ hoc prohibet, quod papa non possit. Ista quæstio fuit agitata in concilio Basilien. in quo fuerũt qui dam theologi, & iurisperiti, qui contendebant, ꝙ si in aliquo statuto concilij addatur decretum irri tãs, papa in tali statuto nõ possit dispẽsare: & si tẽ taret hoc facere, nihil faceret. Cõtra quos, Cardi. de Turre Cremata fecit opusculũ, quod vocauit, De decreto irritante, in quo contrarium illius sen tentiæ cõtendebat ostendere. sed illum librũ ego inuenire non potui. Ego vero pro nostra senten-

tia

tia respondeo ad hoc dubium, secundum vtranq; opinionem siue teneamus quòd concilium est supra papam, siue contrarium. Et sit quinta propositio. Non * obstante decreto irritante concilij, papa, posset dispensare in statutis eius. Hoc probatur primò. Quia cessante tali decreto, papa habet potestatẽ ex officio suo ad dispẽsandum in statutis conciliorum: sed concilium non potest limitare potestatem papæ, vel officium papæ: ergo non obstante tali decreto potest. Et cõfirmatur, Quia papa non habet potestatem dispensandi ab ipso concilio. Totam enim potestatem habet ab ipso iure diuino: ergo concilium non potest auferre ei illam potestatem. Item: cum concilium possit illam authoritatem dispensandi committere alicui episcopo, si posset auferre à papa, iam esset in ecclesia aliqua potestas maior papa, vt supra arguebamus. Et confirmatur, Quia papa iam non esset vniuersalis pastor, si esset aliquis actus iurisdictionis, in quem papa non posset, scilicet talis dispensatio, quæ fieri quidem posset, sed non à papa. Itẽ eadem ratione concilium posset prohibere, ne papa posset dare indulgentias, vel absoluere ab excõicatione pro tali crimine vel tali, vel aliã quãcũq; partẽ iurisdictionis adimere: quod esset absurdum. Iam enim non esset papa. Consequentia autem patet, Quia si posit adimere istum actum iurisdictionis, quare non quencunque alium? Itaque pu-

que puto falsum & periculosum dicere, quòd ratione decreti irritantis tolleretur à papa potestas dispensandi. Gerssón autem Cancellarius Parisiensis prima parte tract. 3. determinat, quod concilium generale potest limitare vsum potestatis papalis certis legibus, vt non possit vel dispensare, vel abrogare decretũ conciliorum, imò aliquẽ ex rationabili causa auferre ab obedientia papæ, & multa in hanc sentẽtiam tradit. Sed ille doctor per omnia fuit infestus authoritati summorum Pontificum, & multos alios infecit suo veneno: parum enim differt à schismate eius sententia de authoritate papæ. Itẽ potest argui. Vel enim leges concilij exemptæ sunt à papa, vel nõ. Si non sunt, ergo non obstante quocunque decreto papa poterit dispensare. Si sunt exemptæ, ergo etiam si non adiecerit decretum tale, erunt exemptæ, & papa non poterit dispensare. Probatur, quia leges diuinæ sunt exemptæ ab humana iurisdictione: etiam si nunquam sit prohibita dispensatio, tamen nulla potestas humana potest in illis dispensare: & episcopus non potest dispensare in legibus papæ, quia est inferior nec opus est alia prohibitione. Et profecto si ita est concilium supra papam, sicut supra episcopos oportet dare aliquam rationem quare episcopus non potest dispensare in statutis conciliorũ, & potest papa. Panormi. tamen in tractatu de cõ

cil. Ba-

cil. Basilen. numero. 18. contendit, quod papa in ijs quæ pertinent ad salutem, & generalem statũ ecclesiæ, non potest contra statuta conciliorũ venire. Citat ad hoc archidia. in. c. sic. 40. d. in quo. c. dicit Gregorius se suscipere quatuor cõcilia principalia, sicut sancti Euangelij quatuor libros: ex quo arguit, quòd sicut papa nihil potest immutare circa contenta in euangelio, ita nec circa decreta conciliorum.

Sed quia ex sententia & conclusionibus supra dictis videntur omnia relicta in arbitrium vnius hominis non confirmati in gratia, sed qui potest & errare, & peccare: ideo oportet inuenire aliquod remedium ad obuiandum huic tanto peri-
6 culo, & ideo sit sexta propositio, Papa * dispẽsando in legibus & decretis tàm conciliorum, quam aliorum pontificum, potest errare, & grauiter peccare. Vtinã liceret dubitare de hac cõclusione sed videmus quotidie à Romana curia tã largas imò omnino dissolutas dispẽsationes profectas, vt orbis ferre non possit, nec solum in scandalum pusillorum, sed maiorum. Sed hæc patebit clariusex conclusionibus sequentibus.

7 Et ideo sit septima propositio, Non * licet papæ dispensare in legibus & decretis conciliorum pro suo arbitrio, & sine causa rationabili, etiã vbi nihil continent iuris diuini, Probatur. Quia leges humanæ & conciliorum maxime sunt necessariæ

ad gu

ad gubernationē, & administrationem ecclesiæ: ita vt sine illis nec ius quidē diuinū seruari possit. Ergo si papa per irrationabiles & temerarias dispensationes tollat vel omnino, vel ex magna parte legum obseruationē: hoc necesse est, vt vergat in detrimentum magnum ecclesiæ. ergo non potest hoc papa facere sine graui peccato. Antecedēs autem patet, Si quis imaginetur ecclesiā sine legibus humanis, intelliget profecto non solum magnā confusionē & inordinationē, sed videbit nullo pacto cōstare, nec fidē, nec religionē christianā Cū enim de iure diuino non sit determinatū tempus ad susceptionē sacramentorū, vt de confessione, & eucharistia, imò baptismo, item nec ratio sacrificij, & totius cultus diuini: nulla ratio administrationis teneri posset in ecclesia sublatis legibus humanis, & esset intollerabilis deformitas, si quilibet viueret suo arbitrio, etiam intra terminos iuris diuinis. Et confirmatur, Quia non sunt minus necessariæ leges ad administrationē ecclesiæ, quā ciuitatis: sed respublica, siue ciuitas, non potest esse sine legibus humanis, vt constat: ergo nec ecclesia. Nec sine causa Paulus ad Roma. 13. inquit, q̄ qui legibus humanis resistunt damnationem sibi acquirunt. Et sic vt Isidorus dicit. Factæ sunt leges, vt earum metu humana coerceretur audacia, tutaq, esset inter improbos innocentia. Et Arist. 1. Retho. etiā dicit q̄ melius est oīa ordinaria lege,

quam dimittere iudicum arbitrio. Secundo probatur. Quia sicut leges debent fieri pro bono cõmuni(debet enim lex nullo priuato commodo, sed pro vtilitate omnium conscribi,cap.erit autẽ lex.4.d.vt ait Isidorus)ita etiam dispensatio,quæ est quasi lex quædam,debet habere rationem boni communis, alias erit dissipatio & non dispensatio. Tertio talis dispensatio esset in iniuriam aliorum ergo nõ est licita. Antecedẽs patet, quia vna conditio legis est, quòd sit æqualis, non autem esset æqualis,si sine causa rationabili aliquis eximeretur à lege, alij autem lege præmerentur: quod fit per temerarias & voluntarias dispensationes,ergo illudest illicitum.Confirmatur,Quia lex vel est ipsum ius,vel ius est effectuslegis:vnde & secundum diuersas leges dicitur ius naturale, ciuile,canonicum,sed ius,& æquum,siue æquale, idem est.ergo oportet omnino,quod lex sit ęqualis.Et confirmatur hoc, Quia si in principio legis sine causa rationabili cæteris omnibus paribus legislator imponeret legem aliquibus, alios autem eximeret.faceret illis iniuriam. ergo eadem ratione,imò multo magis post legem latam. Quartò, Non licet papæ dispensare in proprijs legibus sine rationabili causa, ergo nec in legibus concilij. Antecedens patet, Quia non potest ipse eximere se sine causa rationabili ergo multò minus potest eximere alios. Assumptum probatur, Quia

dato

dato, quòd princeps non sit subditus suis legibus quantum ad pœnam, vel quantum ad vim coactiuam, tamen quantum ad vim directiuam: & in foro conscientiæ tenetur viuere secũdum illas, quia (vt dicitur extra de const. cap. cùm omnes) quod quisque iuris in altum statuit, ipse debet vti eo. Et Sapientis dicit authoritas. Patere legem, quam ipse tuleris. Vnde Matthę. 23. improperantur scribæ à Domino, quòd dicunt, & non faciunt, & quòd alijs onera grauia imponunt, ipsi autem nolunt digito mouere. Vnde & S. Thom. 12. quæst. 96. arti. 5. ad. 3. dicit quòd quantum ad Dei iudiciũ princeps non est à lege solutus. Et hoc non solũ est verum ratione scandali, vel quia esset causa infirmitatis legum: sed de per se. Faceret enim iniuriam alijs, cũ ipse princeps sit membrũ reipublicæ. Facit iniuriam non ferendo partem oneris sine iusta causa. Lex aũt digna vox. C. de leg. vbi dicitur, q̃ princeps nõ tenetur suis legibus, intelligitur quãtũ ad vim coactiuã. vt dicit S. Th. loco cita.

Octaua propositio, Multo * minus poterit ab 8
rogare sine rationabili causa decreta concilij. Ista patet, quia magis est abrogare, quam dispensare: imò ex hoc iterũ surgit argumentũ pro septima conclusione. Quia non licet papæ abrogare ergo nec ita passim & sine rationabili causa licet dispẽsare. Antecedẽs est notũ apud oẽs, maxime de illis decretis, quæ spectãt ad vniuersalẽ statũ ecclesiæ,

vel ad bonam administrationē religionis, & mō-
rū in ecclesia. Nullus enim concederet, quin papa
grauiter delinqueret, si abrogaret omnino leges,
de gradibus prohibitis ad matrimonium. Item de
irregularitatibus, vt de bigamia, & de homicidio.
Probatur autem consequentia clare. Quia si pas-
sim cum omnibus petentibus dispēsaret, iamnul
lus esset effectus legis, & frustra lata esset lex.
Quid enim iuuasset prohibuisse bigamos à sacer-
dotio, si omnes bigami, qui volunt, promouerēn-
tur? & similiter homicidę? Lex enim lata est, vt ista
non fierent, non vt fierent cum licentia, & ideo si
quis aduertat, intelliget esse peruersissimam licē-
tiam istarum dispensationum. Nam legum natu-
ra hæc est, vt regulariter, quidem, & vt plurimum
lex obseruetur: dispensatio autem fiat rarò, & in
casibus peculiaribus. Est enim, vt doctores omnes
dicunt, dispensatio quasi quædam interpretatio
iuris in casibus, quos legislator videre non potuit
Per istas autem dispensationes fit omnino contra
rio modo, vt lex quidem quàm rarissimè seruē-
tur. dispensatio autem fiat regularis, vt plurimum
Nullus enim est, qui velit contrahere cum consan
guinea, qui non obtineat dispensationem: nec bi
gamus vult promoueri, qui nō promoueatur, nec
etiam homicida, aut saltem mutilator. Et ita de
alijs penè legibus omnibus positiuis. Itaq; si quis
non contrahit cum consanguinea, nō est ratione

legis,

legis,sed quia non cupit,vel non placet.Et si quis consideret,intelliget,quòd si tollatur lex de impedimentis matrimonij,vel irregularitatis,non plures tales contrahent, aut promouebuntur quam nunc faciunt per dispensationem. Nunc enim solum seruant legem,qui volũt, vel forte pauper aliquis,qui nõ habet vnde possit dispẽsationem procurare,quoditerum est alia speciesiniuriæ,vt paupereesexcludantur,diuites admittantut,nulla alia causa posita.Atque adeo sunt veræ.7.&.8.cõclusiones,vt Caie.in apologia de potestate papæ dicat,quod non solum decreta cõcilij generalis,sed nec prouincialis papa potest licitè abrogare, aut super eisdispensare,sine rationabili causa,vbi etiã tenet, quod decreta concilij obligant papam in foro conscientiæ,cui in hac parte eo magis credẽdum est,quia fuit semper fautor & studiosus potestatis pontificiæ,quam etiam in eo opere supra concilium defendit.Et istæ conclusiones sunt cõmuniter doctorum, & expresse tenet Sylvest.in verbo,papa.§.15.& in verbo,concilium.§.2.& est expresse hoc ex mente S.Tho.12. &.22. & contra impugnãtesreligionem.& Panor.in.c,non debet de consang.& affi.

Nona propositio, Aliqua * lex etiam positiua 9 posset esse in ecclesia,& forte aliquæ tales sunt in quibus expediret,vt nũquam dispensaretur. Probatur,Quia(vt dictum est)ius diuinum aut nullo

modo, aut vix obseruari potest sine aliquibus legibus humanis, ergo aliquæ leges humanæ sunt tam vtiles, imò pene necessariæ ad obseruationẽ Christianæ religionis, vt vniuersalis obseruatio illarum sit valde vtilis ecclesiæ, & e contrario etiam si aliquando videatur dispensatio rationabilis, tamen multo vtilior esset inuiolabilis obseruatio legis, quã vt aperiatur ianua ad dispẽsationes, Exẽplum est de statuto, capitul. omnis vtriusque sexus. de pœnitentia & remissione. quod licet sit de iure diuino quantum ad confessionem, & communionem, tamen quantum ad tempus est de iure positiuo: non est dubium quin melius sit, quod nunquam in eo dispensetur. Quia si semel detur locus dispensationi, & relinquatur arbitrio humano iudicare an sit causa rationabilis dispensandi per ambitionem principum, aut gratiam, aut improbitatem hominum multiplicabũtur dispẽsationes cum magno periculo, nõ solum iuris humani, sed etiam diuini. Multę aliæ leges possent dari tales. Confirmatur, Quia etiam communiter se offerunt casus, in quibus, videretur etiam conueniens, vt in lege diuina dispensaretur, vt quod aliquis relinqueret primam vxorem, & transiret ad secundam ad pacem regni, vel familiæ, vel haberet duas, vel mentiretur pro aliqua magna vtilitate, & tamen nec Deus dispensat vnquam, nec reliquit in ecclesia potestatem dispensandi (vt su-

pra

pra dictum est) nimirum summa sapientia cum intelligeret multo maius detrimentum sequuturum, semel data licentia dispensandi, quam bonum, quod prouenire possit ex talidispensatione etiam alias rationabili. Nec solum hoc est verum ex iure diuino naturali, sed etiam de iure positiuo. Nunquam enim in veteri testamento dispensatum est, vt quis comederet carnes suillas, nec alia vetita in lege, nec in quocunque mandato totius legis: nec in noua lege, vt aliquis non baptizaretur, aut confiteretur, cum tamē possunt prætendi causæ longe apparentiores ad dispēsandum, quam sæpe fiat pro legibus humanis. Certè nisi Christus optimè præuidisset expedire ecclesiæ suæ, vt nunquam in talibus legibus dispensaretur, reliquisset potestatem dispensandi. Nescio quis reprehendat, tamen viri sapientes laudant Chartusienses, qui in sua abstinentia carnium nũquam dispensant, non obstante quacunque occasione, aut periculo. Si enim semel inciperet dispēsari, maior esset, seu latius se extenderet dispensatio, quam obseruatio. Similiter profectò est in aliquibus legibus humanis, in quibus satius esset nũquam dispensare, quam illarum rigorem flectere per dispensationem. Sed dicunt, quod contingunt aliquando casus magnæ necessitatis, vbi sequatur magnum periculum nisi dispensetur. Respondetur primò, Aliquæ sunt leges, ex quibus

nunquam sequi potest tale inconueniens, vt patet considerãti, sicut neq; in legibus diuinis. Mala enim non sequũtur ex obseruatione bonarum legum. sed ex dispensatione illarum. Secũdo, Etiã minus malum esset illud, quam dare occasionem ad infirmandas & violandas leges necessarias ad conseruationem religionis. Et præterea cum dicimus nunquam esse dispensandum, non excludimus vnum casum qui forte posset contingere in mille annis, quando scilicet sequeretur aliquod magnum scandalum: tunc enim merito posset dispensari dummodo hoc esset lege cautum, nec relinqueretur arbitrio humano. Vtinam eligerentur aliquæ leges grauiores, & cõcernentes vniuersaltem statum ecclesiæ, & magis necessariæ ad gubernationem eius, & reformationes morũ, in quibus nullus esset locus dispensationi. In quocunque enim casu præferendum est bonum commune bono priuato, quod per dispensationem prætenditur: sed manerent inuiolabiles sicut diuinæ, sic vt nec per papã nec per concilium in eis dispensaretur.

Decima propositio, Si ex vsu, & experientia, aut prouidentia intelligeretur, * quod si dispensaretur in aliqua lege ecclesiastica, vergeret in perniciem, aut graue damnum ecclesię, & religionis: concilium posset hoc declarare, & determinare, & etiam statuere, vt in tali lege nũquam dispẽ

saretur.

faretur. Hæc probatur, Quia declarare quidẽ certum est quod spectat ad concilium, statuere autẽ probatur quòd possit, quia sicut dictum est in. 9. propositione, hoc expediret, ergo concilium posset facere tale statutum. Item quia papa potest facere tale statutum, ergo etiam concilium.

Vndecima propositio, Videtur * quòd in tali determinatione concilium errare non possit. Probatur, quia est de ijs, quæ spectant ad mores vniuersalis ecclesiæ, vt supponimus, sed in illis dictũ est supra quòd concilium errare non potest. ergo non potest errare in huiusmodi determinatione, & statuto. 11

Duodecima propositio, Facta* tali determinatione, nunquam liceret papæ dispensare in tali lege, & peccaret mortaliter, dispensando ex quacunq; causa. Probatur, Quia si concilium determinasset, quòd dispensatio est pernicioſa per decimam propositionem, & non potest errare per vndecimam ergo ita est, ꝙ est pernicioſa dispensatio, ergo est illicita. Item si papa dispensat sine rationabili causa, peccat, vt in septima propositione dictum est: sed nulla potest esse rationabilis causa dispensandi contra mandatum concilij generalis, ergo malè faceret dispensando: quia grauius est & melius, obseruare sententiam concilij, quod errare non potest, quàm obseruare, vel capere causas, vel casus particulares. Item si concilium 12

lium determinat, quòd dispensatio in tali lege est pernicioſa toti eccleſiæ, hoc maximè eſſet, quando talis diſpenſatio vergeret in detrimentum, nõ ſolùm legis humanæ, ſed etiam iuris diuini: quia (vt dictum eſt) ius diuinum ſeruari non poteſt ſine legibus humanis. Et ſi concilium deberet facere aliquod tale ſtatutum, in quo nunquam eſſet diſpenſatio: ideo eſſet, quia ex talibus diſpẽſationibus ſequeretur aut pernicies, aut periculũ etiã contra ius diuinũ. Non enim deberet eſſe pro decimis, aut bonis eccleſiaſticis, ſed pro maioribus rebus. Vt ſi ex diſpenſatione puerorum ſequeretur mala adminiſtratio in eccleſia, & ex cõſequẽti vitioſa adminiſtratio ſacramentorum, morum corruptela, & nullum bonum ex tali adminiſtratione poſſet naſci: merito concilium determinaret, vt nunquam fieret diſpenſatio in illa lege. Et tunc arguitur ſic, Papa non poteſt diſpenſare in iure diuino, vt dictum eſt ſuprà in. 1. propoſitione. ergo ſi aliqua lex humana eſt neceſſaria ad obſeruationem iuris diuini, non poterit papa diſpẽſare licite in illa. Sed tota difficultas eſt, quia licet diſpenſatio temeraria, & vulgata, & irrationabilis poſsit eſſe pernicioſa, tamen diſpenſatio particularis ex rationabili cauſa & raro, non eſſet pernicioſa, vt cum iſto puero vel iuuene optimæ indolis, & morum optimorum, erudito & nobili, & qui re vera plus proderit quàm quicunq; alius diſpenſe-

spensetur quòd fiat episcopus. ergo concilium non potest determinare q̃ vniuersaliter omnis talis dispensatio in tali lege est pernicios̃a, sed temeraria, & passim facta: & per consequens non potest prohibere summum Pontificem ne in aliquo casu emergenti possit dispensare. Respõdeo ad hoc dubium. Primò, quòd leges non respiciunt casus particulares: sed ad hoc quòd lex vniuersaliter feratur, satis est q̃ quasi semper sit expediens, vel vt plurimum. Exempla sunt clara, si per se consideremus aliquando expedire, vt vir relinqueret vxorem, & aliã duceret, vel quia sterilis, vel quia intolerabilis, vel quia malis moribꝰ inficit fortasse maritum: sed quia vt plurimum non expedit, ideo lata est vniuersaliter lex, ne aliquis dimittat vxorem, etiam si fuerit hæretica, & conaretur maritum subuertere, vel in quocunq; alio casu. Idem de pluralitate vxorum etiam pro pace, imò conuersione totius regni. Item nullum incõueniens videtur aliquando sequi ex cõcubitu fornicario, si per se cõsideretur. Ratio enim quare est malus, & prohibitus, est, quia est contra bonum prolis, vt nasceretur sine certo patre, & per consequens malè educeratur. Hoc autem cessare potest in casu vbi mulier est sterilis, & iam ætatis prouectæ: & tamen vniuersaliter est prohibita fornicatio, cũ quibusuis circũstantijs, quia in prolibus sequeretur mala educatio, & procreatio prolis. Ita p̃fe

&to legislatores humani possunt habere rationē & respectum ad illud. quod penè semper accidit, etiam si aliquando deficiat, & ferre leges vniuersaliter etiam in quocunque casu: & si non esset lata lex de insolubilitate matrimonij à Deo, ecclesia posset condere illam legem ita vniuersalem, sicut fecit ipse Deus. & indispensabilem in quocūque casu: quia si nūc lata à Deo ita vniuersalis est rationabilis, & vtilis, etiam esset talis lata à concilio, vel papa. Nil enim facit à quo sit lata lex ad hoc, quòd sit rationabilis: nec Deus faceret leges ita indispensabiles, nisi ita expediret. Disponit namq; omnia suauiter. Sapientiæ. 9. & vt conuenit rebus. Et in legibus humanis ꝓhibetur vniuersaliter aliquid omnibus, vbi tamen ratio legis nō inuenitur in omnibus. Verbi gratia, Prohibetur ne nocturno tempore aliquis armatus incedat: certè ratio legis est, quia illo tempore solent insidiæ fieri, & cædes, & est maior licentia peccandi. Si quis autem certus, quòd nihil mali facturus est ex hoc, sed ex aliqua alia occasione portat arma illo tempore, est reus legis, & peccat cōtra legem & meritò punitur: & si esset lata excommunicatio, incurreret sententiam, quia propter pericula frequēter accidentia rationabiliter fuit facta prohibitio omnibus. Sic ergo, licet aliquādo aliquis iunior rationabiliter possit assumi in episcopum tamen quia hoc esset rarò, & contrarium plurimùm

mùm contingit, posset cõcilium ordinare, quòd cùm nullo dispensaretur: & hoc est profectò verum, etiam si nulla ratio esset, & optimè faceret. Sed præter hoc est notandum, quòd non solum oportet spectare in condendis legibus quid boni sequatur ex casibus particularibus, & ex obseruatione legis, vel quid mali in casibus singulis in transgressione illius, sed quid sequatur, si tollatur talis lex vniuersalis. Verbi gratia, si consideremus quid mali sequatur ex ista fornicatione aut illa, non videtur quòd sequatur magnum inconueniens, & si aliquod est, posset etiam facilè adhiberi remedium: sed si consideremus quid mali sequeretur, si tollatur illa phibitio, intelligeremus quàm necessaria est illa lex. Si enim liceret fornicari, non solùm sequeretur praua educatio prolis sed etiam quòd non fit procreatio liberorum, & periret genus humanum. Nam si hoc liceret, multi non ducerent vxores, & mallent vti libertate: & per consequens cùm ex huiusmodi vago concubitu non multiplicentur liberi, sed rarò eueniant, sequitur defectus & inopia filiorum in republica, & inde sequitur q̃ nõ sint familiæ, & per consequens ciuitates, nec respublicæ, & multa alia inconuenientia. Idem patebit de insolubilitate matrimonij. Non enim oportet respicere ad hoc, quid mali sequatur, si Petrus vxorem suam reliquerit, sed oportet videre quid mali sequatur,

si

si passim liceat dimitere vxores. Cùm enim inter coniuges sæpe incidant iurgia,& capiat eos inuicem satietas, rara essent matrimonia firma.Et cũ relicta ab vno nõ reciperetur ab alio, esset magnũ periculum incontinentię,Et præterea esset in magnam iacturam & detrimentum liberorum, qui relinquerentur, aut sine matre apud nouercam, aut sine patre apud matrem, & multa alia mala: vnde iustissimè est adempta illa facultas. Ita in legibus ecclesiasticis non oportetconsiderare quid boni,aut quidmali sequatur,si iste iuuenisfiat episcopus,vel si quis emat hoc beneficium, quia non videtur magnum malum, sed oportet considerare quid sequeretur, si hoc passim liceret fieri siue per dispensationẽ,siue alia quacunque via,sequeretur enim confusio, & pernicies rerum ecclesiasticarum,& bonorum morum,vt constat.Et ideo si hoc alia ratione impediri non potest, nisi ista, vt omnino tollatur facultas dispensandi,hęc accipienda est.Præterea considerandum est, quod ratio legis potest esse certa,& determinata, quia est in communi,& vniuersali. Sed ratio legitima dispensandi in legenõ potest essedeterminata,quia est ex singularibus coniecturis, & circunstantijs, de quibus non potest haberi scientia,nec certitudo,vtPhilosophus dicit:quiavariãtur in infinitũ, & ideo oportet si dispensandum est, quòd relinquatur arbitrio humano,quando, & quomodo:

& cum

& cum sint tot rerum varietates, sæpe proponun tur circunstantiæ, quæ licet non sint sufficientes, sunt apparentes, vel verisimiles, & per consequẽs trahunt hominem ad dispensandum frequenter in lege, cuius tamẽ obseruatio est necessaria, & sic defraudatur intentio legis. Et prẽterea est magna improbitas hominum, qui nituntur in vetitum semper, cupiuntque negata, & concupiscũt: quia lex dicit, Non concupisces. Et prælati, etiam sum mus pontifex errare potest in huiusmodi dispen sationibus, vt in sexta propositione dictum est, & sunt infirmi ad resistendũ ambitioni & importu nitatibus. Ideo si maneat licentia dispensandi in legibus pro suo arbitrio, periculum est manife stum, ne dispensationes fiant sæpius irrationabi liter, quam cum causa rationabili, cum magno de trimento ecclesiæ, ergo si aliud remedium adhibe ri non potest, quam hoc, hoc accipiẽdum est. Præ terea considerandum est, quòd in moralibus non oportet multum considerare quid possit fieri: sed quid in rerum statu & natura inueniatur, & con tingat, & potius experientia tot annorum, quam argumentationibus standum est. Possent iudices esse fortes viri, ac ita iusti, vt nullis muneribus cor rũperentur, aut retraheaentur à iustitia: sed quia vsu & experientia compertum est, quod iudices accipientes munera, non rectè solẽt iudicare, ideo generaliter prohibitum est munera accipere. Ita

in pro

in proposito nos bene possumus philosophari, & imaginari, quod summi pontifices possent esse sapientissimi, & sanctissimi viri: & quod nunquã dispensabunt sine legitima causa: sed clamat experientia in contrarium: & videmus, quod nullus quærit dispensationem: quin obtineat. ergo desperandum est, si relinquãtur dispensationes arbitrio humano, quod solum fient ex legitima causa, & quamuis sint multi summi pontifices sapiẽtes & sancti, vnus potest omnia perdere & maximè quia summus pontifex nõ potest examinare omnes causa obrutus grauissimis occupationib⁹ spiritalibus, & temporalibus, & necesse habet mãdare alijs curam, à quibus sæpe fali potest, etiam si fuerit B. Gregorius. Et præterea dicit Aristot. 1. Rhetori. & S. Tho. 12. q. 95. ar. 1. ad secundũ. quod omnia quæ possunt, debent lege determinari, & disponi, & quam pauciſsima relinqui arbitrio iudicis, Cuius præcepti multas ponit rationes: sed potiſsima est quia legislator fert leges in vniuersali, & de futuris, nec tũc innititur aut gratia amicorum: aut improbitate hominum: aut prece, aut pretio, sed solum respicit bonum reipublicæ, cui omnes fauent in casibus autem particularibus cõcurrunt multa quæ possunt hominem ab æquo, & bono auertere. Et ideo multo liberior est ad ferendas leges, quam ad iudicandum, Item facilius est inuenire paucos sapientes ad ferendas leges,

quã

quam tot iudices. Item leges ponuntur ex magna consideratione, in particulari autem nõ vacat ita considerare. Ita est in proposito, leges ecclesiæ feruntur cum assensu omnium, & à nemine impugnantur, aut contradicuntur, & sic sunt optimæ. Sed in dispensationibus concurrunt multa, quæ inducere possunt ad non recte dispensandum: & ideo optimum esset rescindere occasiones. Et adhuc ita loquimur, quasi cum magna difficultate fiant dispẽsationes, & oporteat adhibere magnas machinas ad extorquendam vnam dispensationem, & non sint Romæ spectantes, an quis velit petere dispensationem omnium, quę legibus sancita sunt. Sed dicet aliquis, Videmus semper q̃ in literis apostolicis dispensationum, semper profertur causa iusta dispensationis: ergo si ita sit, quid opus est ista noua cautela? Respondetur, Ego nullã dispensationem in particulari condemno, nec meum est, non iudico alienum seruũ. Fortasse ita est, vt dicitur. Sed video duo. Primum, quod in fine anni sunt tot dispensationes factæ, vt nescio, an sint tot, qui legem seruent. Quod, vt supra dictũ est, etiã cõtra rationem dispensationis, quę debet fieri, vt in paucioribus. Secundo video, quòd omnes, qui petunt, afferunt dispensationes, quos omnes mirum est habere legitimas causas, vt cum eis dispensetur in impedimentis matrimonij, ætatis ad ordines, & irregularitatis, & pluralitatis benefi

neficiorum. Itaque omnibus pensatis, videretur certè conducibile, vt hac ratione iretur obuiam huic dispensationi legum optimarum, vt prohiberetur dispensatio absolutè. Quòd si omnino videatur durum, & necessarium esse, vt omnis lex habeat aliquam exceptionem, nec aliqua lex humana sit omnino indispensabilis, hoc statuatur lege, in quo casu possit papa dispensare, & termine tur in tali, & in tali, & non alias, & sic poterit fieri dispensatio sine violatione, & dissipatione legis. Sed tutius & iustius videretur, vt fieret absolutè de aliquibus legibus.

Est præterea considerandum, quod (vt dictum est) bonum commune est præferẽdum bono particulari, & ideo cùm lex lata sit propter bonũ publicum, dato, quòd ita esset, quòd ex illa in casu particulari sequeretur detrimentum alicuius particularis, etiã vbi alias esset irrationabile, nõ dispẽsare tñferẽdũ est propter conseruationẽ boni cõmunis, nec statim oportet occurrere ad dispensationes, quia dispensando in causis iustis, aperitur ianua ad dispensationes iniustas. Circa quod optime S. Tho. 12. q. 97. ar. 4. ad. 1. & q. 100. ar. 8. dicit, quod nunquam dispensatio est facienda cum detrimento boni communis. &, 22. q. 88. ar. 12. dicit, quòd omnis dispensatio à prælato debet fieri ad honorem Dei, vel vtilitatem ecclesiæ. &. 12. q. 97. arti. 4. ait quòd qui dispensat, non habens intẽtionem

nem ad bonum cõmune infidelis est. Ex quo patet, quod in dispensationibus nõ est legitima causa, quæ solum respicit priuatam vtilitatem, & specialiter personæ priuatæ, sed debet potius habere respectum, an talis dispensatio vergat in bonũ commune, vel econtrario. Vnde cum aliquæ leges sint ita graues, ita necessariæ ad bonam gubernationem. & statum ecclesiæ: si tamen contingat casus, vbi dispẽsatio videatur rationabilis, melius esset vt non dispensaretur, etiam vbi non esset dispẽsatio prohibita, vt præsupponimus in ista propositione. 12. Exemplum est clarum si ista lex, q̃ filij clericorum non succedant parentibus in beneficijs, iudicatur esse necessaria in ecclesia: dato quod sit aliquis talis filius ita præditus omni virtute, & doctrina, vt omnino expediret vt succederet patri, & nullus alius sit ita idoneus, & possit hoc fieri non solum sine vllo scandalo, sed etiam ad gratiam totius populi: melius esset adhuc, vt non dispensaretur cum tali, vt tollatur spes alijs procurandi tales dispensationes. Et domum cum ex duobus malis minus sit eligendum, vt in decretis. 13. d. duo mala. & vt etiã ait Ari. li. sexto Topi. dato quòd non dispensare in aliquibus casibus esset malum, tamen cum necesse sit, vel incidere in hoc malum, vel per hãc occasionem venire in maius malum, scilicet desolationem, & corruptionẽ legum necessariarum: melius est tolerare hoc pri-

mum malum, vt etiam cũ aliquo detrimento nun quam dispensetur, quam vt prẽmissa licentia, dispensandi: fiat pernicies morum & legum, Si quis obijciat, quòd huiusmodi decretum esset omnino nouum, & nunquam simile factum in aliquo cõcilio œcumenico, vbi tamen fuerunt patres sapiẽtissimi, sicq; nullo modo deberet præsumi hoc inceptum in nouo cõcilio, quod certè vt sit celeberrimum, nunquam superabit authoritatem & maiestatem illorum antiquorum patrum. Ad hoc respondetur distinguendo tempora, vt dicunt iuristæ, & concordando iura. Tempore conciliorum antiquorum erant pontifices similes patribus cõciliorum, quòd ad retinendum, & reuocãdum ab immoderata & effusa licentia dispensandi nõerat opus huiusmodi decreto: imò si bene reuoluũtur iura & historiæ apud antiquos patres, non præsumebant pontifices decreta conciliorum ita facili ter & passim dispensare, sed tanquam oracula diuina obseruabant: nec solum non ita temere, sed fortasse nec semel dispensabant contra statuta cõciliorum, maxime circa leges grauiores, & paulatim ad hanc intemperantiam dispensationum deuentum est, & ad hunc talem statum, vbi nec mala nostra, nec remedia pati possumus, & ideo necesse est aliam rationẽ excogitare ad conseruãdas leges. Da mihi Clemente, Linos, Sylueſtros, & omnia permittam arbitrio eorum. Sed vt nihil

grauius dicatur in recentiores pōtifices, certèmul tis partibus sunt priscis illis inferiores. Et hoc de 12. propositione.

Decimatertia propositio. * Tale decretum nō deberet apponi in multis legibus, sed solū in pau cis, hisque grauissimis & valde necessarijs. Hęc pa 13
tet: primò, quia cum papa sit pastor vniuersalis, non debet limitari eius authoritas sine vrgenti ne cessitate aliasfieret ei iniuria. Item si hoc extende retur ad multas leges, hoc iterum posset vergere in impedimentū administrationis ecclesiæ, quia dispensationes aliquando sunt necessariæ, vt dictum est. Item esset occasio, vt sub illo prætextu papa contemneretur tanquam haberet manus li gatas, & sumerent licentiam aliqui ad rebellandū contra eum. Et tandem hoc non debetfieri, nisi so lū in aliqua lege ita necessaria, vt ex eius dispensa tione immineret magna pernicies ecclesiæ. Sed re stat magnum dubium, facto * tali decreto, vtrum 14
si illo non obstante papa dispensaret, teneret factum, dato quod malè faceret.

Sit decimaquarta propositio, Tale decretum non facit de per se, quod papa non possit dispen sare, sed solum quod non liceat. Probatur primò vt probatum fuit supra conclusione. 3. 4. & 5. cum potestas papæ non sit â concilio, sed â Christo, concilium non potest coarctare authoritatem pa palem, aut limitare: ergo si posset dispensare sine

tali decreto, posset etiam illo posito, Item quia (vt supra probatum est) cõcilium nihil potest, quod papa non possit, sed concilium posset dispensare non obstante proprio decreto: ergo etiam papa. Item si illud decretum fieret ab vno summo pontifice, alius sequens posset dispensare, quia par in parem non habet imperium: sed non habet maiorem authoritatem à concilio quam à papa, vt supra probatum est. Et Sylue. in verbo, papa. §. 15. dicit secundũ mentẽ, S. Tho. quod papa potest etiã sine causa dispẽsare in omni iure positiuo, & etiã illud irritare. Itaque si irritaret, de facto nulla essent, & irrita: sed in hoc peccaret de quocunque statuto concilij loquamur, vt probat glossa. 1. cap. vbi periculum. §. hoc sancto concilio. de electione. de quo Panor. in. c. significasti. de electione. & Ioan. Andreas & alij. Suppono autem, quod non valeat ista consequentia. Si papa male dispensat, ergo non valet illa dispensatio. Si enim sine causa dispensaret in gradibus prohibitis ad matrimonium de iure positiuo, dispensatio teneret, & matrimonium sic contractum esset validum. Nec tamen volo dicere, quod omnis dispensatio papæ etiam in iure positiuo valeat: sed dico, quod si nõ valet, hoc aliunde est, & non solum ratione iuris positiui, vt infra dicemus. Et dicas, supra supponebamus, quod hæc quæstio procederet secundũ vtranq; opinionem, scilicet siue papa sit supra cõ

cilium

cilium, siue econtrario, ergo si non obstante tali decreto concilij adhuc papa possit dispensare, in quo saluatur ista superioritas concilij supra papam? Respondeo, Satis est ad hoc, quod papa teneretur, & male faceret contraueniendo decreto concilij. Vel fortè diceretur, quod non potest tollere talem legem, & irritare, si concilium prohibeat, sed potest dispensare: quia manente tali lege, spectat ad eum omnis actus iurisdictionis in ecclesia, itaque si papa contra decretum concilij institueret puerum in Episcopum um, talis reuera esset episcopus, & haberet iurisdictionem.

Decimaquinta propositio, Eodem * modo si- 15
cut papa peccaret dispensans contra tale decretũ etiam peccaret petens dispensationem, aut vtens illa. Probatur primò, Quia consentit, imò eo ipso cooperatur peccato alterius: & nõ solum qui male faciunt, digni sunt morte, sed qui consentiunt facientibus, ad Roma. 1. Item ille est occasio tantorum malorum, quæ ex huiusmodi dispensationibus sequuntur, vt supra ostensum est. Item isti etiam faciunt iniuriam alijs, si eximant se à lege, alijs manentibus sub lege. Quemadmodum si rex exigeret tributum ab aliquibus ciuitatibus, & eximeret alias sine causa, non solum rex peccaret, sed etiam ciuitas illa, quòd non subiret partem oneris, Nõ tamen volo dicere, quod si papa mortaliter peccat dispensando irrationabiliter,

quod etiam dispensatus vtens dispensatione, nec etiam quod semper si papa male dispensat, semper vtens dispensatione etiã peccet: sed nolo etiã recipere vniuersaliter opinionem Panor. & aliorum in capi. non est, de voto, quod dispensatus à papa in quocunque iure positiuo, etiam sine causa est tutus in conscientia. Quæ tamen potest esse vera, si intelligatur, quòd est tutus, hoc est, quod factum per illam tenet etiam in conscientia. Non est autem vniuersaliter vera, si intelligatur, q̃ semper talis sine peccato potest illa vti, vt si dispense tur cum sacerdote, vt ducat vxorem. Et probatur quia (vt supra arguebam) papa peccaret dispẽsans secum sine causa legitima, quia in foro conscientiæ tenetur su is legibus, ergo non potest eximere aliũ plus quam seipsum quin peccet. Vnde & ipsemet Panor. confitetur, quod dispensatus ad plura beneficia sine causa non est tutus in conscientia. Et ita Ioan. Andr. tenet in ca. de multa de præben. conformiter ad S. Th. quotli. 9. q, 7. licet hoc etiam non solum videatur cõtra ius positiuũ, sed contra ius naturale, tamen contra conclusionem arguitur, Quia si papa omnino irritaret aliquod ius positiuum, etiam sine causa, & irrationabiliter faceret, non peccaret qui postea non seruaret tale ius ergo etiam si dispensat in illo, quia dispensatio est relaxatio iuris circa istum, sicut irritatio circa omnes. Antecedens patet, quia certè si pa-

pa tolleret abstinentiam carnium in feria sexta, nullus peccaret, si vescerętur carnibus illis diebus nec si tollat iura de impedimētis matrimonij. Respondeo concedendo antecedēs: quia reuera nullus manet titulus obligationis, quia nec iure diuino, nec positiuo. & nego consequentiam: & ratio est, quia manente iure in ordine ad alios, irrationabiliter facit, qui non viuit æquali iure cum alijs atque ideo non omnino caret culpa, licet sępe excusetur à mortali. Sed restat graue dubium, summus pontifex dispensat in tali statuto non obstā te tali decreto prohibente, vtrum subditi, ad quos spectat recipere, & parère tali dispēsationi, tenecē tur, verbi gratia si statuitur in cōcilio, quod nullus ante ætatem viginti annorum possit habere beneficium curatum, & in hoc nunquam dispensetur dispensat papa cum puero, non solum contra decretum cōcilij, sed etiam sine alia rationabili causa, an parochia teneatur recipere illum, & dare illi decimas. Pro examinatione dubij est notandū quod * dispensationes pontificis sunt in duplici 16
differentia. Quædam sunt omnino gratiosæ, gratiosas voco, quæ spectant solum ad gratiam id est beneficium dispensati, nec faciunt ad commodū vel incommodum aliorum, vt dispensatio in ieiunijs, & abstinentijs, & ętate ordinandorum, in impedimentis matrimonij, & similibus. & in huiusmodi non est locus dubij: quia solum spectat ad

ipsum dispensatio. Et tenet factum. Aliæ sunt dispensationes, quæ possunt spectare ad commodũ vel ad detrimentum aliorum, vt in exemplo posito, quòd aliquis puer sit parochus istorum, quòd habeat beneficiũ & decimas sine residentia, quòd recipiat fructus præbendæ nõ seruiẽs, quòd vnus habeat viginti beneficia. Ista enim sunt huiusmodi, quæ multùm spectant ad iura cõmunia, commoda, vel incõmoda aliorũ, & de huiusmodi vertitur in dubium, nec est facilis disputatio. Sed dicam, nihil omnino asserendo, sed proponendo solùm, quæ videntur probabiliora esse.

17 Decima sexta propositio, Non* spectat ad subditos determinare, aut examinare, quid possit papa, aut quid non possit, & quomodo teneãtur parêre, vel nõ. Probatur, Quia sacrilegium est disputare de potentia principis, & præcipuè Papæ. 17. quæst 4. §. cõmittitur. & sequen. Secundò, Quia hoc ipsum scilicet, determinare quæ sit potestas spiritualis alicuius, est iurisdictio, & est pars gubernationis, quæ non spectat ad subditos, saltem erga superiores. ergo hoc non conuenit illis. Tertiò, Quia profectò hoc esset in turbationem & dissolutionem Ecclesiasticæ hierarchiæ, & auhoritatis, si quilibet posset dicere, Papa non potest: & hoc modo eximeret se à mandatis papæ, & esset manifestum nutrimentum inobedientiæ, & schismatum, & hęresum. Imò hinc natæ sunt hæreses,

vt

vt ait Cypria. q̃ sacerdoti Dei, vel papæ non obeditur, sed quilibet audet dicere, quòd Papa malefacit, & q̃ non potest facere: & ideo etiã si papa erraret, melius est vt in omnibus illi pareatur, quam per hoc, quòd vnus habeat licentiam non parendi papæ in vno casu: forsan rationabili dare occasionem, vt alij non pareant etiam in iustis & inhonestis.

Decimaseptima propositio, Non* semper mãdatum papæ, aut dispensatio obligat subditos ad 18
parendum. Nec loquor hic in casu, quòd Papa aliquid præcipiat manifestè contra ius diuinum: hoc enim fortè nunquam continget, nec contigit, nec esset dubium quòd non esset tunc parendum, sed extra talem casum. Probatur primò, Papa non habet maiorem potestatem ad dispensandum, quàm ad ferendum leges: sed si ferret legem iniquã. & iniustam, vel aliâs intolerabilẽ, & valde grauem, subditi non tenerentur parere. ergo nec etiam si dispensatio sit huiusmodi. Antecedens patet, Quia, sicut Sanctus Thomas. optimè determinat. 12. quæstio. 96. articulo. 4. lex non obligat subditos in foro conscientiæ nisi sit iusta: ad hoc autem quòd sit iusta, requiruntur tria, primum potestas in ferẽte, deinde finis, scilicet propter bonum cõmune, postremò forma, vt scilicet secũdũ æqualitatẽ proportionis imponat subditis leges onerosas. Et ecõtrario sunt iniustæ,

vel

vel vbi deest authoritas, vel cum præses imponit onera subditis non pertinentia ad vtilitatem communem, sed magis pro propria commoditate, vel cupiditate, vel gloria, vel etiam aliorũ priuatorum, vel etiam ex forma, cũ inæqualiter onera dispensantur, etiam si ordinentur ab bonũ cõmune, vel etiam si faciat cõtra ius diuinum. Et ex quacunque causa lex sit iniusta, non obligat, inquit sanct. Tho. in foro conscientię, nisi fortè propter scandalum vitandum. Quia sicut August. in lib. de libero arbitrio ait, lex esse non videtur, quę iusta non fuerit. ergo si papa legem aliquam iniustam faceret ex aliqua prædictarũ causarum, non tenerentur subditi parere. ergo nec si dispensatio esset iniusta ex aliqua tali causa: quia non potest magis grauare subditos per dispensationem, quã per leges. Et quòd non solum intelligat sanctus Thomas, quando leges sunt contra ius diuinum, patet illic, quia quatuor causas ponit, vnde potest esse iniusta: & quarta est, si sit contra ius diuinum, & tamen vndecunque sit iniusta, generaliter dicit, quod non obligat. Et confirmatur. Quia lex ciuilis iniusta non obligat, ergo nec ecclesiastica. Antecedẽs patet, quia potestas principũ est à republica, quæ non dedit eis potestatẽ ad grauandũ subditos, sed ad conseruandũ. Consequentia autẽ probatur, quia certè absurdũ esset dicere, q̃ habet maiorẽ papa authoritatem ad no

cendum

cendum & grauandum subditos, quàm secularis potestas, cùm illi sit solùm data potestas ad pascẽdum. S. Th. absolutè loquitur de omni lege humana iniusta vniuersaliter quę sine distinctione: nec hoc potest esse dubium, quantum ad hoc idem sit iudicium de potestate ecclesiastica & ciuili, nec prorsus habet ad hoc maiorem authoritatẽ papa in spiritualibus, quàm rex in tẽporalibus: vtraq; enim potestas est à Deo, Rom. 13. cap. Et cõfirmatur ex illo prouerb. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Ex quo patet, quòd non habet à Deo potestatem decernẽdi nisi iusta. Secundò arguitur, Sentẽtia iniusta à quòcunque sit lata, non obligat, ergo nec lex. Antecẽdens pro nunc supponitur ex consensu omnium doctorũ, Quòd si sit iniusta secundũ se, id est, non solùm in forma procedendi. scilicet, quia non tribuit vnicuique quod suum est, siue iudex faciat ex malicia, siue ex falsa præsumptione, non obligat partes. Et certum est, quòd si papa ferret sententiam contra innocentem de pecunia vel alia re, siue faceret certa scientia, siue ex falsa præsumptione: talis sententia non obligat. Et consequentia videtur nota: quare enim potiùs obligaret lex iniusta, quàm sentẽtia, cùm lex plus noceat? Tertiò, lex iniusta episcopi non obligat, ergo nec papæ. Antecedens est notum & cõcessum ab omnibus. Et consequentia videtur nota, quia nõ habet

maiorem

maiorem authoritatem papa ad inferendum iniuriam, quam episcopus. Circa enim quæ sunt sui officij & in proprios subditos non minus potest, quàm papa. Quarto arguitur, deducendo ad manifestissima inconuenientia. Quis enim diceret, quòd si papa sine rationabili causa conderet legẽ quòd Christiani loco decimarum soluerent quintam, aut quartam partem fructuum, quòd obligarentur Christiani illa lege? Vel si arrogaret sibi sicut annatas episcopatum: ita etiam medietatem omnium fructuum ecclesiasticorum, vel alias peiores leges faceret: in his enim agitur de iactura temporali: peior autem est iactura spiritualis ergo. Nec sufficit respondere, quòd papa non facit huiusmodi: hoc enim est loqui de facto, de quo non disputatur. Sed quid iuris si faceret? Ego pro certo habeo, quod omnes leges iniustæ, etiã papæ, non obligant in foro conscientiæ. Quod si ita est, quare dispensationes iniustæ & in grauamen aliorum obligabunt? Item potestas papę est ad ædificandum, non ad dispẽsandum. Sed huiusmodi dispensationes sunt ad dissipandum, non ad ædificandum: ergo non sunt recipiendæ. Item doctores dicunt, quòd in concernentibus vniuersalem statum ecclesiæ, non potest papa disponere contra statutum concilij generalis, vt in capit. literas. de restitu. spolia. & notat Abbas in eodem titu. capitu. significasti. & Innocen. in capitulo.

quanto

quanto de consuetu.& maxime vbi ecclesia decoloraretur. ergo in tali casu subditi non tenentur parere, etiam si solum ageret contra ius positiuũ. Et omnia hæc confirmãtur, Quia papa nõ est dominus ecclesiæ, nec bonorum ei⁹, hoc enim est generaliter omnibus prælatis prohibitum, Luc.22. Reges gentium dominantur eorum: vos autem non sic. Matthæ.20.& Marc.10.&.1.Petri.5. Non dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Et Paul.1.ad Corinthios.4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi,& dispensatores mysteriorum Dei. Ergo non potest disponere pro arbitrio, sed secundum quod est expediens ecclesiæ.

Decimaoctaua propositio, Facta* tali declara- 19
tione,& decreto concilij, si, vt dictum est in.10.cõ
clusione papa dispensaret, subditi non tenentur
parere tali dispensationi. Probatur, Quia ex.3.cõ
clusione, si lex aut dispẽsatio iniusta non obligat
subditos ad parendũ, ergo licet non expectet ad
subditos hoc iudicare (vt dictũ est in.16.cõclu.) ta
mẽ postq̃ cõciliũ hoc declarasset, nõ tenerẽtur sub
diti parere. Itaq; si conciliũ determinat, q̃ dispẽsa
tio cũ puerisad episcopatũ est ꝓnicioſa ecclesię,&
prohiberet ne vnquã in hoc dispensaretur: si hoc
nõ obstãte, papa mitteret puerũ pro episcopo, nõ
tenerentur subditi recipere illum, nec obedire.

Decimanona propositio, Papa * non deberet 20
ꝯgreferre, sed potius gaudere q̃ fieret aliquod tale
decre-

decretū. Probatur hęc propositio, Si iustum est & expediēs, vt suprà probatū est, cum papa debeat procurare omne cōmodum ecclesiæ: ergo de hoc debet gaudere. Item quia in hoc nullo modo lædi tur authoritas illius, Nō enim phibetur talis dispē satio tanq̄ inferiori, nec q̄ nō liceret ei dispēsare, vel non posset: nec est propter defectum authori tatis, quam habet amplissimam, & à nullo limita bilem, sed propter materiam ipsam, quæ non re cipit dispensationē sine magno malo ecclesiæ. Si cut qui negat eum posse dispensare in voto solen ni, nec etiam in alijs votis sine rationabili causa, nihil derogat authoritati ipsius: sicut nec authori tati diuinæ, qui negat posse creari infinitum, aut posse mentiri, & similia. Item si concilium retine ret sibi authoritatem dispensandi, & negaret pa pæ posset meritò conqueri: sed nec ita est facien dum, sed absolutè, quòd à quocunque nō fiat di spensatio, Item, quia, vt dicunt iuristæ, exceptio firmat regulam in contrarium, & sic fit dum excl piūtur pauciss imi casus fit regula, quòd in omni bus alijs pareatur papæ. Item hac ratione vitant improbitates, & molestias principum, qui solent instare odiosissimè pro dispēsationibus absurdis prorsus, & irrationabilibus, quibus est difficile pa pam negare aliquid, nec principū solum, sed ho minum etiam insolentium, qui omnia se posse cō sequi sperant Romæ, & vel pertrahūt pontifices

in

in suam voluntatem, vel sunt graues, & importuni pontificibus, à quibus essent liberi per aliquod tale decretum: & deberet papa dicere, Omnia mihi licent, sed non omnia expediũt. &, Omnia possum, sed non omnia ædificant. Et (quod certè nõ est contẽnedum) tolleretur scandalum, & sermones multorum, qui malè sentiũt, & loquuntur de Romana curia, hac vna occasione huiusmodi dispensationum.

Sed restat dubium, si ita est, quòd subditi non tenentur parêre huiusmodi dispẽsationibus, qua via possit resisti mandatis Papæ, si fortè velit cogere ad parẽdum. Respõdeo, & sit 20. propositio. Non* videtur mihi quòd expediat, nec liceat resi- 21
stere mãdatis papæ per viam appellationis ad futurum concilium. Bene scio quòd Panormita. & Gerson & Ochã, defendunt, quòd licet appellare à papa ad conciliũ: sed illi (vt suprà dixi) sunt plurimum infesti authoritati summorum Pontificũ. Et sic probatur breuiter ex capit. ipsi sunt. 9. q. 3. Ipsi sunt canones, qui appellationes totius ecclesiæ ad huius sanctæ sedis examen voluerũt deferri, ab ipsa verò nunquam prorsus appellari debere sanxerunt. & eadem. q. cap. nemo. Nec valet responsio, id est à nullo alio prælato. & nunquam, id est à nulla particulari ecclesia: quia de hoc nunquam fuit quæstio. Sed quia de hac re sunt multę quæstiones, & contentiones, volo extendere pro

bationes. Certè si in aliquo casu licet appellare ad concilium, nescio quare non in omni casu, vbi Pontifex facit iniuriã, imò vbi est dubium, vtrum faciat. Et arguitur sic, Vel appellatio à summo Põtifice ad concilium est de iure diuino, vel de iure positiuo, si est de iure diuino, & ius diuinum non distinguit in causa grauiori vel leuiori, si licet in aliqua causa appellare, ergo in qualibet quantuncunque leui. Si autem est de iure positiuo, primum nullum tale ius profertur, vbi talis appellatio concedatur, nisi fortè in aliquo concilio nouo, & schismatico, vel dubio, quale fuit Basilienſe. Nec authoritas glossæ vel Panormitani hoc tenentium est alicuius momenti sine confirmatione iuris. si hoc non est de iure diuino, sed de iure positiuo, & si est aliquod tale ius, nunquam distinxit inter causam & causam: vnde nullo modo consequenter loquuntur doctores, qui concedunt quòd in causis grauissimis â papa potest appellari, non autem in alijs. Et dico non esse appellandum, etiam si teneamus, quòd cõcilium est supra papam. Quamuis enim ita sit, tamen cùm sit papa, oportet quòd vltima decisio causarum spectet ad eundem. Et confirmatur, Quia à rege non est appellatio: sed non est neganda tanta authoritas papæ in spiritualibus, quanta regi in temporalibus datur, ergo. Sed dato quòd secundùm se liceret appellare, dico

co quòd non expedit. Primò hoc probatur experientia, & exemplis, quæ in moralibus faciũt magnamprobationem. Omnes enim appellationes hactenus factæ ad concilium, malè cesserũt, & tandem deuenerunt in schisma aliquod, vel etiam hæresim. Secundò, quia hoc esset magna occasio turbationis in ecclèsia: primùm, quia si papa timeret ne facta eius deberent rescindi in concilio, nunquam vellet congregare concilium cum magna iactura profectò rerum ecclesiasticarum: & congregare sine illo, vel non licet, vel esset valde difficile. Semper enim erunt aliqui, imò maior pars, qui velint sequi partes Pontificis, & vnus princeps faueret concilio, alius pontifici. & sic nihil pacificè, nec ad vtilitatem ecclesiæ posset fieri: imo essent multo maiores turbationes, vt experientia compertum est. Et ab eo tempore, quo propter nouas opiniones doctorũ pontifices inceperunt timere cõcilia, ecclesia manet siue concilijs, & manebit cum magna calamitate & pernicie religionis.

Vicesimaprima propositio, Non*videtur permittendum cuicunque priuato sua authoritate resistere, & non parêre mandatis Pontificis, quantuncunque essent contra determinationem concilij. Probatur, Quia esset magna irreuerentia, & quasi contemptus summę authoritatis, si cuilibet hoc cõcederetur respectu papę: quod non licet in 22

ordine ad episcopum, à cuius mandato, quantuncunque iniusto, non licet propria authoritate discedere.

23 Vicesima secunda propositio, Facta *tali declaratione, & decreto cõcilij, si papa contrarium mãdaret, possent vel episcopi, vel concilium prouinciale per se resistere tali mãdato, vel etiam implorare principes, vt authoritate eorum resisterent summo Pontifici, impediendo executionem mãdatorum eius. In ista conclusione erat tota difficultas, & propter quã tota disputatio est exorta. Hæc conclusio primò tenendo, quòd concilium est supra papam, nõ indiget noua probatione: & ita tenentes illam partem, non reuocarent in dubium. sed quia, vt suprà diximus, hîc procedimus secundum vtranque opinionem, simpliciter probatur conclusio. Et primum quod mihi fecit animum tenendi hanc sententiam, fuit, quòd doctores egregij, & aliter magni defensores authoritatis pontificiæ, etiã in ordine ad concilium tenent expressè hanc sententiam. Vnde Caieta. in ipso opere, in quo tenet superioritatem papę supra cõcilium. c. 27. dicit post alia, Resistendum est ergo etiam in faciẽ papæ publicè dilaniantis ecclesiã: verbi gratia, quia nõ vult dare beneficia ecclesiastica, nisi pro pecunia, aut cõmutatione officij, & cum omni obedientia & reuerentia neganda est possessio talium beneficiorum ijs, qui emerunt.

Et

Et Sylvest. in verbo, papa. §. 4. Quid autẽ, inquit, faciendum est quando papa suis moribus ecclesiam destruit? &. 15. dicit, Quid si papa sine causa vellet abrogare ius positiuum? Respondet, peccaret quidem, nec esset permittendũ nec ei obediendum in malis, sed resistendũ per honestam reprehensionem. Vnde si vellet totũ thesaurum ecclesiæ aut patrimonium Petri dare parentibus, vel eius ecclesiam destruere, vel huiusmodi, non esset permittẽdum, sed resistendum. Et ratio est, Quia in destruendo nihil potest, & si destructione constat, potest resisti. Ex istis omnibus habetur, quòd vbi mandata, vel facta papæ essent in destructionem ecclesiæ, potest ei resisti, & impediri executio mandatorum. ergo si iam constet ex determinatione concilij. quòd huiusmodi dispensationes sint in destructionem ecclesiæ, poterunt gubernatores ipsius ecclesiæ, & principes resistere in his. Secundo probatur, Quia vim vi repellere licet iure naturali. Sed papa infert vim huiusmodi mandatis & dispẽsationibus, quia facit iniuriam, vt suprà probatum est: ergo licitũ est resistere illi. Vnde, vt dicit Caietanus, omnia ista loquimur, non quòd aliquis posset esse iudex papæ, nec authoritatem habeat in illum, sed per modum defensionis: cuilibet enim est ius ad resistẽdum iniuriæ, & impediendum, defendendúmque.

Sequitur corollarium, Quòd non solùm licet

ret non parere talibus mandatis, sed etiam facto & vi, si opus esset, resistere illis, & impedire armis executionem illorum mandatorum, & maxime intercedente publica authoritate, vt principis, & comprehendere, & punire executiones taliũ mãdatorum, semper tamen seruato moderamine inculpatæ tutelæ, non excedendo reuerentiam, nec negando aliquo pacto authoritatem illius, sed solùm allegando, quòd hoc est iniustum, & in detrimentum ecclesiæ. Et confirmatur totum hoc. Quia profectò tyrannicum est dicere, quòd summus pontifex habeat maiorem authoritatem ad gubernandum ecclesiam, in hac parte quàm rex ad gubernandam ciuitatem, & rẽpublicam temporalem: sed si rex faceret graues iniurias, posset ei resisti, non solùm verbis, & iure, sed etiam facto: ergo etiam papæ.

24 Vicesimatertia propositio, Propter iniustas dispensationes, vel alia mandata insolentia, quæ in perniciem ecclesiæ procedunt, posset conuocari, & congregari concilium generale contra voluntatem papæ, vt ei resisteret, obuiaretq; eius insolentiæ. Hoc expressè tenet Syluest. in verbo papa. §. 4. Quòd si papa suis moribus destruit ecclesiam, potest conuocari concilium contra eius voluntatem, vt per illud papa moneatur, & Deus inuocetur, & resistendo, in malis remediũ apponatur. Hoc expressè tenet Turre Crema. assertor ve-

hemen-

hementissimus Pontificię dignitatis lib.3.cap.10. vbi loquens de vtilitate conciliorum, Celebratio, inquit, cõciliorum vtilis est ad refrænandum exorbitantias quorundam Pontificum, qui pontificatum suum aut extra sanctorum Patrum regulas pro voluntate exercent, aut simoniaca prauitate dehonestant. Hac de causa congregatum legitur concilium episcoporum Italiæ Romæ, per Imperatorem contra Iohannem papam. 12. qui venator, lubricus, & incorrigibilis erat. Quod factum laudat, & approbat Turre crema. & hoc est valde vtile. Vt enim ait Hormisda papa in epistola ad episcopos per Hispaniam constitutos, difficile est, vt cuiusque cor sic prauis cogitationibus induretur, vt in se patiatur culpandus fieri, cum nouerit se iudicio subdendum concilij. Vnde etiam confirmantur quæ suprà dicta sunt. Nihil enim prodesset congregatio concilij, nisi sua authoritate posset determinare, quibus in rebus Pontifex non debet, nec possit attentare contra Patrum decreta, & sanctiones.

Vicesimaquarta propositio, In * omnibus supradictis cauendum est maximè à duobus. Primum, vt quantum fieri possit, seruetur semper illibata authoritas, obseruata reuerentia quæ debetur papæ: quia eius contemptus: vel contumelia, vel quæcunq; irreuerentia, vergit in dehonestatẽ

ecclesiæ: vnde oportet vt habeatur in summo honore etiam à summis principibus. & si semel inciperet sperni eius authoritas, tota ecclesia laboraret schismatibus, & factionibus. Quare etiam in concilio si aliquod tale decretum faciendum esset, oporteret vt quàm modestissimè loqueretur de authoritate & persona papæ, vt puta, sub hac forma. Quamuis hactenus summi Pontifices moti probabilibus apparentibus causis dispensauerint, vt aliquis plura beneficia possit obtinere, vel vt aliquis regressum habeat ad aliquod beneficium viuente adhuc legitimo possessore: tamen quia hoc vsu & experientia compertum est vergere in magnam confusionem ecclesiæ, & perniciem ecclesiarum, prohibemus omnino, ne posthac cum aliquo quacunque occasione vel merito super hoc dispẽsetur. Quod si secus factum fuerit, sacrum concilium existimaturum est summũ Pontificem contra suam dignitatem & officium, & contra sacrum concilium, atque adeò contra Christi honorem feciſſe. Per quam quidem sanctionem non intendimus summæ authoritati & dignitati quicquam derogare, nec eius potestatẽ aliquo pacto limitare: sed declaramus hoc esse necessarium ad rectam & piam administrationẽ ecclesiæ, ne posthac summorũ Pontificum in hac re, sua authoritate abutantur, sub hac forma vel alia commodiori, posset proponi decretum, ad

remedium

remedium & salutem ecclesiæ sine offensione Põtificis, secũdum quod maximè etiam caueri debet in hac re est scandalum: primum in ipso decreto faciendo, ne forte summus pontifex indignatus de hoc concilio, & repugnans ne hoc decernatur, turbet totum concilium, & impediãtur alia commoda, quæ à concilio fieri possunt, & diuidatur concilium in schisma, & factiones. Sed deinde debet valde caueri ab scandalo, si forte papa negligat huiusmodi decretum Patrum: & opporteat illi resistere. Debet enim valde animaduerti, ne hoc fiat cũ scandalo, & inde oriatur maius malum; & ne si semel detur licentia principibus resistendi, & non parendi pontifici in aliquo, ipsi accipiant in alijs, vbi minimum expediat.

REVERENDI P. F. FRANCISCI A Victoria, de Indis recenter inuẽtis relectio prior.

Locus relegendus est ex Matth. Docete oẽs gentes, baptizãtes eos in noĩe patris, & filij, & spiritus sancti. Matth. vltimo capite.

SVMMA.

1 *Dubius in rebus vt sit tutus in conscientia, quomodo debeat consulere illos, ad quos spectat hæc doctrina.*

2 *Dubius in rebus, post consultationem rei dubiæ debet sequi sententiã sapientum alias non erit tutus.*

3 *Dubius in rebus, si post consultationẽ rei dubiæ diffinitur sapiẽtib⁹ illud esse licitũ, quod alias est illicitũ vt sit tutus in cõsciẽtia, an debeat seqsententiã illorũ*

4 *Indi barbari, vtrum essent veri domini ante aduentũ Hispanorum priuatim, & publicæ. Et vtrum essent inter eos aliqui viri principes, & domini aliorum.*

5 *Error quorũdã recẽsetur, qui dicebãt, nullũ in peccato mortali existentẽ habere dominiũ in quacunque re.*

6 *Peccatũ mortale nõ impedit dñiũ ciuile, et veru dñiũ.*

7 *Dominium vtrum perdatur ratione infidelitatis.*

8 *Hæreticus, iure diuino non amittit dominum bonorũ suorum ob hæresim commissam.*

9 *Hæreticus an de iure hũo perdat dñiũ bononorũ suorũ.*

10 *Hæreticus à die commissi criminis incurrit pœnam confiscationis bonorum.*

11 *Hæreticorum bona non licet fisco occupare ante condẽnationem, quamuis de crimine constet.*

12 *Condemnatione facta etiam post mortem hæretici tro agitur bonorũ cõfiscatio ad tempus commissi criminis ad quancunque peruenerit potestatem.*

Hæreti

13 *Hæretici vèditiones, donationes, & omnis alia aliena tio bonorũ àdie cõmiſſi criminis ſint inualidæ. & c*

14 *An hæreticus ſit dominus bonorum ſuorũ in foro an ſit cõſcientiæ antequam condemnetur.*

15 *Hæreticus, licite poteſt viuere ex bonis ſuis.*

16 *Hæreticus titulo gratioſo poteſt transferre bona ſua, puta donando.*

17 *Hæretico non licet titulo oneroſo, puta vendendo, aut dando in dotem, bona ſua transferre, ſi crimen poſſet venire in iudicium.*

18 *Hæreticus in quo caſu etiam titulo oneroſo poſſet bona ſua licite alienare.*

19 *Barbari, nec propter peccata alia mortalia, nec propter peccatum infidelitatis impediuntur quin ſint veri domini tam publice quam priuatim.*

20 *Dñij vt quis ſit capax, an vſus rationis requiratur*

21 *Puer an poſſit eſſe dominus ante vſum rationis.*

22 *Amens, an poſſit eſſe dominus.*

23 *Barbari, amentiæ prætextu non impediuntur eſſe veri domini, cum non ſint amentes.*

24 *Indi barbari antequã Hiſpani ad illos veniſſent erant veri domini, & publice & priuatim.*

25 *Imperator non eſt totius orbis dñs.*

26 *Imperator licet eſſet dominus mundi non ob id poſſet occupare prouincias barbarorũ, & cõſtituere nouos dños, & veteres deponere, vel vectigalia capere*

27 *Papa nõ eſt dñs ciuilis, aut temporalis totius orbis, loquendo proprie de dominio & poteſtate ciuili.*

28 *Sum-*

28 *Summus pontifex quamuis haberet potestatem secularem in mundo, non posset eam dare principibus secularibus,*

29 *Papa habet potestatem temporalem in ordine ad spiritualia.*

30 *Papa, nullam potestatem temporalem habet in barbaros indos, neque in alios infideles.*

31 *Barbari si nolint recognoscere dominium aliquod papæ, non ob id posset eis bellum inferri, & illorum bona occupari.*

32 *Barbari, an priusquam aliquid audissent de fide Christi, peccarent peccato infidelitatis, eo quod non crederent Christo.*

33 *Ignorantia ad hoc quod alicui imputetur, & sit peccatũ, vel vincibilis, quid requiratur, Et quid de ignorantia inuincibili.*

34 *Barbari, an ad primum fidei Christianæ nuntium teneantur credere, ita quod peccent mortaliter non credentes Christi euangeliũ, solum per simplicem annũtiationem. &c.*

35 *Barbaris si simpliciter fides annuntiaretur, & proponeretur, & nollent statim recipere, hac ratione non possent Hispani illis bellum inferre, neq; iure belli contra eos agere.*

36 *Barbari rogati, & admoniti, vt audiant pacifice loquentes de religione, quomodo si nollint, non excusentur à peccato mortali.*

37 *Barbari quãdo tenerentur recipere Christi fidem sub*

mortalis

mortalis peccati pœna.

38 *Barbaris an hactenus ita proposita & annuntiata fuerit fides christiana, vt teneantur credere sub nouo peccato, non satis liquet secundum authorem.*

39 *Barbaris, & si quantuncunque fides annuntiata probabiliter & sufficienter fuerit & noluerint eam recipere, non tamen ob id licet eos bello persequi, & bonis suis spoliari.*

40 *Principes christiani, non possunt, etiam authoritate papæ, coercere Barbaros à peccatis contra legem naturæ, nec ratione illorum eos punire.*



Docete omnes gẽtes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Matthæi vltimo. In hunc locum mouetur quæstio, An liceat baptizare filios infidelium inuitis parẽtibus. Quæ quæstio tractatur à doctoribus. 4. sententiarum dist. 4. & à sancto Tho. 22. q. 10. ar. 12. & 3. par. q. 68. ar. 10. Et tota disputatio & relectio suscepta est propter barbaros istos noui orbis, quos Indos vulgo vocant, qui ante quadraginta annos venerunt in potestatem Hispanorũ, ignoti prius nostro orbi. Circa quos præsens disputatio habebit tres partes. In prima tractabitur quo iure venerint barbari in ditionem Hispanorum. In secũda, quid possint Hispanorum principes erga illos in temporalibus & ciuilibus, In tertia, quid possint

sint vel ipsi, vel ecclesia erga illos in spiritualibus, & in spectantibus ad religionẽ, vbi respõdebitur ad quæstionem propositam. Quo ad primam partem, ante omnia videtur, quod tota hæc disputatio sit inutilis & otiosa, nõ solũ inter nos, ad quos non spectat, aut si omnia recte geruntur in administratione illorum hominum disputare, aut dubitare de illo negotio, aut si quicquam forte peccatur, illud emendare: sed etiam apud eos, quorũ interest hæc considerare & administrare. Primò, quia neque principes Hispanorum, neque qui eorum consilijs præpositi sunt, tenentur de integro examinare & retractare iura, & titulos, de quibus alias deliberatum est, & decretum maximè in his quæ bona fide principes occupant, & sunt in pacifica possessione. Quia, vt Aristo. dicit. 3. Ethico. si semper quis piam consultauerit, in infinitũ res abiret, neque possent principes & aliorum consiliarij esse securi & certi in cõsciẽtia sua: & si oporteret à primordio repetere titulos suæ ditionis, nihil exploratum possent tenere. Et præterea cum principes nostri, scilicet Ferdinandus, & Isabella, qui primi occupauerunt regiones illas, fuerint Christianissimi, & imperator Carolus quintus sit princeps iustissimus, & religiosissimus: non est credendum quin habeant exploratissima & exquisitissima omnia quę expectare possunt ad securitatẽ sui status, & conscientiæ, maximè in tan

ta re: atque adeo non solum superuacaneum, sed etiam temerarium videri potest de his disputare, & hoc videtur esse quærere nodum in scyrpo, & iniquitatẽ in domo iusti. Pro solutione huius obiectionis est considerandum, quod Aristote. dicit tertio Ethicor. quòd sicut consultatio & deliberatio non est de rebus impossibilibus, aut necessarijs, ita nec consultatio moralis est de illis, de quibus certũ & notum est esse licita & honesta, neq; e contrario, de quibus certum, & euidens est esse illicita, & inhonesta. Neq; enim quisquã recte consultauerit, an temperarè, fortiter, iustè viuendum sit, vel iniustè, aut turpiter agendum, neque an adulterandum, an peierandum, an colendi parentes, & cætera huiusmodi. Certè non esset consultatio Christiano: digna: sed cum aliquid agendum proponitur de quo dubitari meritò potest, an sit rectum, vel prauum, iustum, an iniustum, de his expedit consultare, & deliberare, neque prius temere aliquid agere, quam sit inuentum & exploratum, quid liceat, aut non liceat. Talia sunt quæ in vtranque partem habent speciem boni & mali, qualia sunt multa genera commutationum & contractuum, & negotiorum. Et in his omnibus ita res se habet, quòd si quis antequã deliberauerit, & legitime illi constiterit tale factum licitũ esse, aliquid tale faceret, & fortè secundum se esset licitum: talis peccaret, neque excusaretur per ig no-

ignorantiam: cum illa, vt patet, non esset inuincibilis, postquam ille non facit quod in se est, ad examinandum quid liceat, aut nõ liceat. Ad hoc enim vt actus sit bonus, oportet si alias nõ est certum, vt fiat secundum diffinitionem & determinationem sapientis. Hæc enim est vna conditio boni actus. 2. Ethic. atque adeò si iste non consuluit sapientes in re dubia, excusari nõ potest. Imò dato quod talis actus secundũ se licitus esset, post quam dubitatur merito de illo, tenetur quilibet consultare, & arbitrio sapientum facere, etiam si forte illi errarent. Vnde si quis cõtractum, de quo inter homines dubitatur, an sit licitus necne, faceret sine consilio doctorum, sine dubio peccaret, etiam si alias cõtractus esset licitus, & ipse ita putaret, non ex authoritate sapientis, sed ex sua affectione, & sentẽtia. Et eadẽ ratione si quis in re dubia consuluit sapientes, & illi determinauerint illud non licere: si talis proprio iudicio faceret aliquod tale, peccaret, etiam si alias illud in se esset licitum. Vt si quis exempli gratia esset dubius, an hæc sit vxor sua, cõsultat, an teneatur reddere debitum, vel vtrum liceat, vel etiam exigere: respondetur à doctoribꝰ quòd nullo modo licet, ipse autem ex affectu vxoris vel propria cupiditate, nõ credit, sed putat sibi licere, certe peccaret accedẽs ad vxorem, quãuis de se licitum esset, sicut re vera est, quia talis facit contra conscientiam, quam

tenetur

tenetur habere. Tenetur enim credere in his quæ spectant ad salutem, his, quos ecclesia posuit ad docendum: & in re dubia arbitrium illorum est lex. Nam sicut in foro contentioso iudex tenetur iudicare, secundū allegata & probata: ita in foro conscientiæ quilibet tenetur iudicare, nō ex proprio sensu, sed vel per rationem probabilem, vel per authoritatem sapientium, aliās est temerariū iudicium, & exponit se periculo errandi, & hoc ipso errat. Sicut enim in veteri testamento Deute. 17. præcipiebatur, Si quid esset ambiguum inter sanguinē & sanguinē, causam & causam, leprā & non leprā, & iudiciū, ait Dñs intra portas tuas videris variare: surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicium veritatis, & facies quodcunque dixerint qui præsunt loco, sequerisque sententiam eorum, neque declinabis ad dextram neque ad sinistram. Ita, inquam, in rebus dubijs tenetur quilibet consulere illos quos ecclesia ad hoc cōstituit, quales sunt prælati, prædicatores, confessores, diuinæ & humanæ legis periti. Sunt enim in ecclesia alij oculi, alij pedes, &c. 1. ad Cori. 12. Et Ephes. 4. & ipse dedit quidem quosdam apostolos, alios euāgelistas, alios autem pastores, & doctores. Et, Super cathedrā Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi,

ſæi, omnia quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite. Matth. 23. Et facit etiam præceptum Ariſto. 1. Ethi. ex Heſiodo.

At qui ex ſe neſcit, cuiquam neque porrigit aures.
Vt bona percipiat: demens & inutilis ille eſt.

Itaq; non ſatis eſt ad ſecuritatem vitæ & cõſcientiæ, vt quis putet ſe bene agere: ſed in rebus dubijs neceſſe eſt vt aliorum, ad quos ſpectat, authoritati nitatur. Nec enim negotiatoribus ſatis eſt vt nihil faciant, quod ipſi illicitum putent, ſi aliàs ſine conſilio peritorũ illicitos contractus faciant. Vnde non puto verum quod Cardin. Caieta. dicit, quòd ſi re vera aliquid ſecundum ſe eſt licitũ, ſi veniat in dubium, quãquam prædicatores, aut confeſſores, qui aliàs habent authoritatem iudicãdi in iſtis, dicant illud eſſe illicitum, vel veniale dicunt eſſe mortale: qui ex affectu ad rem nõ credit illis, ſed format ſibi conſcientiam, quòd non eſt mortale, non peccat. Exẽplum ponit, vt quòd fœminæ vtantur fuco, & alijs ornamentis ſuperfluis, quod re vera non eſt mortale, dato quòd prædicatores & confeſſores dicerent eſſe mortale: ſi fœmina ex ſtudio ſe ornandi non credit, ſed putat vel eſſe licitum, vel non eſſe mortale, non peccat mortaliter ita ſe ornando. Hoc inquã periculoſum eſt. Nã fœmina tenetur credere peritis in his quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem. & exponit ſe periculo faciens contra illud, quod ſecũdum ſententiam

tentiam sapientũ est mortale: Et e contrario in re dubia si quis deliberauit cum sapientibus,& accepit determinationẽ,q illud est licitũ: talis est tutus in cõsciẽtia,quousq; fortasse iterũ sit admonitus, vel tali authoritate, vel huiusmodi rationibus,quibus meritò debeat moueri ad dubitandũ, vel etiam credendũ contrariũ.Hoc est notũ, quia facit quod in se est,& sic ignorantia est inuincibilis. Ex his ergo conficiuntur propositiones.

Prima,In*rebus dubijs quilibet tenetur consu 1
lere illos ad quos spectat hæc docere,aliâs non est tutus in conscientia, siue illa dubia sint de re in se licita, siue illicita.

Secunda.Si* post consultationẽ rei dubiæ dif- 2
finitũ sit à sapiẽtibus illud esse illicitũ,quilibet tenetur sequi sententiã illorum, & contrariũ faciẽs non excusatur,etiam si aliâs illud esset licitum.

Tertia econtrario,*Si post consultationem rei 3
dubiæ diffinitum sit à sapientibus illud esse licitum, qui sequitur sententiam illorum, est tutus, etiam si aliâs sit illicitum.

Ergo redeundo ad propositum negotium barbarorum,nec est de se ita euidẽter iniustum,vt nõ possit disputari de iustitia illius:nec rursus ita euidenter iustum, vt dubitari non possit de iniustitia illius: sed in vtranque partem videtur habere speciem.Nam primùm cùm videamus totũ illud negotium administrari per viros & doctos, & bo

nos, credibile est rectè & iustè omnia tractari. Deinde cùm audiamus tot hominum cædes, tot spolia hominum alioqui innoxiorum, deturbatos tot dominos possessionibus, & ditionibus suis priuatos, dubitari meritò potest iure an iniuria hæc facta sint: & sic hæc disputatio non videtur omnino superuacanea. & per hoc patet responsio ad obiectionem. Et præterea, dato quòd nullum esset dubium in tota hac quæstione, non est nouũ disputationes theologicas instituere de re certa. Nã & disputamus de incarnatione Domini, & alijs articulis fidei. Non enim semper disputationes theologicæ sunt in genere deliberatiuo. Sed plerǽque in genere demonstratiuo, id est non ad cõsultandum, sed ad docendum susceptæ.

Quòd si quis occurrat dicẽs, Licet aliquãdo fuerint aliqua dubia circa hoc negotium, fuerunt tamen iam hæc tractata & diffinita à sapiẽtibus, & sic ex cõsilio eorum iam omnia administrari, nec opus esse noua examinatione: respondetur primum, si ita est benedictus Deus, nec nostra disputatio quicquam obstat, neque ego mouere volo nouas querelas. Secũdò dico, quòd hæc determinatio non spectat ad iurisconsultos, vel saltẽ non ad solos illos. Quia cùm illi barbari, vt statim dicam, nõ essent subiecti iure humano, res illorum non sunt examinandæ per leges humanas, sed diuinas, quarum iuristæ non sunt satis periti, vt per se

se possint huiusmodi quæstiones diffinire. Nec satis scio, an vnquam ad disputationem & determinationē huius quæstionis vocati fuerint Theologi digni, qui audiri de tanta re possent. Et cum agatur de foro conscientiæ, hoc spectat ad sacerdotes, id est ad ecclesiam, diffinire. Vnde Deutero. 17. præcipitur Regi, vt accipiat exemplar legis de manu sacerdotis. Tertiò, vt summa rei sit satis examinata, & certa. nonne in tanto negotio possunt alia peculiaria dubia occurrere, quæ meritò disputari possent? Itaque nō solùm non otiosum aliquod, & inutile, sed magnum operepetiū me facturū putarē, si hāc quęstionē pro dignitate possem tractare. Redeundo ergo ad quęstionē, vt exordine procedamus, quæritur primò, vtrum* Barbari isti essent veri domini ante aductum Hispanorum, & priuatim & publice: id est vtrum essent veri domini priuatarum rerum & possessionum, & vtrum essent inter eos aliqui viri principes. & dōmini aliorum? Et posset videri quòd nō. Quia serui non habent dominium rerum: seruus enim nihil suum habere potest. Instit. per quas perso. nob. acquirere liceat. §. item vobis. &. ff. de acquirēd. hæred. l. placet. vnde quicquid acquirit dño acquirit. Instit. de his qui sunt sui, vel alien. iur. §. nā apud omnes. Sed barbari isti sunt serui. ergo probatur minor. nam vt Arist. eleganter & accuratè tradit, aliqui sunt natura serui quibus, 4

scilicet melius est seruire, quàm imperare. ij autẽ sunt, quibus ratio nõ sufficit ad regendum etiam seipsos, sed solùm ad iussa capescendum, & quorum vis magis in corpore est quàm in animo. Sed profectò si aliqui tales sunt, maximè isti barbari, qui re vera parũ distare videntur à brutis animantibus, & omnino sunt inhabiles ad regendum: & sine dubio meliùs est illis vt regantur ab alijs, quã vt se ipsos regant. Et Aristo. dicit iustum naturale esse, vt tales seruiant. ergo tales nõ possunt esse domini. Nec obstat, quòd ante aduentum Hispanorum non haberent alios dominos: nõ enim repugnat, seruum esse sine domino. vt notat glo. in l. si vsum fructum. ff. deliberali causa. Imò habetur expressè in ipsa lege, & est casus expressus in l. quod seruus. de seruo. stipulatio. de seruo, qui à domino relictus est, & à nullo occupatus, quòd potest â quocunque occupari. si ergo erant serui, potuerunt ab Hispanis occupari.

In contrariũ est, Quia illi erant in pacifica possessione rerum & publicè & priuatim: ergo omnino (nisi contrarium constet) habendi sunt pro dominis, neq; indicta causa possessione deturbãdi. Pro solutione nolo reuocare in propositum multa, quæ à doctoribus traduntur de diffinitione & distinctione dominij, quæ à me etiam latè adducta sunt in materia de restitutione, 4. dist. 15. & secunda secũdę. q. 62. Illa in quã, prætereo, ne occasione

sione illorũ omittã magis necessaria. Et ideo his prætermissis notandũ, q̃ si barbari nõ haberẽt dominiũ, nõ videtur q̃ possit prætẽdi alia causa, nisi vel quia sunt peccatores, vel quia infideles, vel quia amẽtes, vel insensati. Fuerũt ergo aliqui, qui defendebãt, q̃ titulus dominij est gratia, & per cõ sequẽs q̃ peccatores, saltẽ in mortali peccato existentes, nullum habent dominium in quacũq; re. Iste fuit error pauperum de Lugduno, siue Valdesium, & postea Iohannis Vuicleff. Cuius vnus error dãnatus in concilio Constantien. fuit, Nullus est dominus ciuilis, dum est in peccato mortali. Eadẽ fuit sentẽtia Armachani libro. 10. de quæstio. Arme. c. 4. & in dialogo. Defensorium pacis. Aduersus quẽ scripsit Vuald. to. 1. de antiq. lib. 3. c. 82. & 83. Et to. 2. c. 3. Probat Armac. quia tale dominium reprobatur à Deo. Oseæ. 8. Ipsi regnauerunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui. Et subiungitur causa, Argentum & aurum suum fecerunt sibi idola, vt interirent, &c. Et ideo, inquit, tales carent iusto dominio apud Deum. Certum est tamen omne dominium esse authoritate diuina, cùm ipse Deus sit creator omnium, neque aliquis possit habere dominium nisi cui ipse dederit. Non est autem consentaneum, vt det inobedientibus, & trangressoribus præceptorum suorum: sicut & principes humani non dant sua bona, vt villas, aut castra rebellibus,

& si dederint auferunt. Per humana verò debemus iudicare de diuinis. Rom. 1. ergo Deus non concedit dominium inobedientibus. Vnde in signum huius Deus aliquando tales proijcit à principatu, vt Saulem. 1. Reg. 15. &. 16. & de Nabuchodonosor. & Balthasar, Dani. 4. &. 5. Item Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram vt præsit piscibus maris, &c. Appa ret ergo q̃ dominium fundetur in imagine Dei, sed hæc non est in peccatore, ergo non est dominus. Item talis cõmittit crimen læsæ maiestatis, ergo meretur perdere dominium. Item August. dicit, quòd peccator non est dignus pane, quo vescitur. Item Dominus dederat primis parentibus dominiũ paradisi. & ratione peccati priuauit eos illo, Genes. 1. ergo. Verum est, quòd tam Vuicleff, quàm Armachanus non distinctè loquuntur, & videntur potiùs loqui de dominio superioritatis, quod est principum. Sed quia argumenta æqualiter procedunt de omni dominio, ideo videntur sentire de omni dominio generaliter. & ita intelligit illorum sententiã Cõrradus de cõtracti. lib. 1. q. 7. & satis clarè dicit Armachanus. Qui ergo sequeretur hanc sentẽtiam, posset dicere, quòd barbari non habebant dominium, quia semper erant in peccato mortali.

6 Sed contra hanc sententiam ponitur propositio, Peccatum* mortale non impedit dominium

ciuile,

ciuile,& verum dominium. Hæc propositio licet sit determinata in concilio Constantiæ, tamen arguit Almain. 4. distin. 15. q. 2. ex Aliaco, quia tunc existens in peccato mortali, & constitutus in extrema necessitate comedendi panem esset perplexus, quia ex vna parte tenetur comedere panem: & ex altera si non habet dominium, accipit alienum, ergo nõ potest euadere mortale. Sed hoc argumentum parum procedit, primùm quia neque Armachanus, neque VVicleff videntur loqui de dominio naturali sed ciuili. Secundo negatur consequentia, & diceretur, quod in casu necessitatis posset alienũ accipere. Tertio, Non est perplexus, quia potest pœnitere, & ideo aliter arguitur. Primò. Quia si peccator non habet dominiũ ciuile, de quo videntur loqui, ergo nec naturale, consequens est falsum, ergo. Probo consequentiã Quia etiã dominium naturale est ex dono Dei, sicut ciuile: imò plus: quia ciuile videtur esse de iure humano. ergo si propter offensam Dei homo perderet dominium ciuile, eadem ratione perderet etiam dominium naturale. Falsitas autem cõsequentis probatur. Quia non perdit dominium super proprios actus, & super propria membra, habet enim peccator ius defendẽdi propriam vitã Secũdò, scriptura sacra sæpe nominat reges illos, qui mali erant, & peccatores, vt patet de Salomone, Achab. & alijs multis: non est autem rex qui

non est dominus: ergo. Tertio conuerto argumẽ tum factum pro parte contraria, Dominium fun datur in imagine Dei: sed homo est imago Dei per naturam, scilicet per potentias rationales, ergo non perditur per peccatum mortale. Minor probatur ex Augustino. libro. 9. de trinita. & ex alijs doctoribus. Quarto, Dauid vocabat Saulem dominum suum, & regem tempore quo persequebatur eum. 1. Reg. 16. & in alijs locis: imò ipse Dauid aliquando peccauit, nec propterea perdidit regnum. Quinto Gene. 49. Nõ auferetur sceptrũ de Iuda, nec dux de femore eius donec veniat, qui mittendus est, &c. & tamen multi fuerunt mali reges. ergo. Sexto, potestas spiritualis non perditur per peccatum mortale, ergo nec ciuilis, quia multo minus videtur fundari in gratia, quam spiritualis. Antecedens autem patet, quia presbyter malus consecrat eucharistiam, & malus episcopus sacerdotes, vt certum est: licet VVicleff nec, concedit tamen Armachanus vltimo, Nullo modo est verisimile, cum sit præceptum obedire principibus, ad Roma. 13. & 1. Pe. 2. Obedite prępositis vestris, non tantum bonis, sed etiam dyscolis. & nõ capere alienum, quod voluerit Deus quod esset ita incertum, qui essent veri principes, & domini. Et in summa, hęc est manifesta hæresis: & sicut Deus solem suũ oriri facit super bonos & malos & pluit super iustos & iniustos: ita bona tẽporalia

lia dedit bonis & malis, nec disputatur eo quod dubitetur, sed vt crimine ab vno, id est à tam amē ti hæresi discamus omnes hæreticos.

Sed restat, vtrum * saltem ratione infidelitatis 7
perdatur dominium. Et videtur quod sic: quia hę retici non habent dominium, ergo nec alij infideles, quia non videntur esse melioris cōditionis. Antecedens autem patet ex, c. cum secundum. de hæret. lib. 6. vbi cauetur, quod bona hæreticorum ipso iure sint confiscata. Respondeo per propositiones. Prima. Infidelitas non est impedimētum, quominus aliquis sit verus dominus. Hæc cōclusio est S. Tho. secunda secundæ. q. 10. ar. 10. Et probatur etiam primò. Quia scripturavocat reges aliquos infideles, vt Sennacherib, & Pharaonem, & multos alios reges. Item quia grauius peccatum est odium Dei, quam infidelitas sed per odium, &c. Item Paul. ad Roma. 13. & Petrus. 1. Petr. 2. iubent præstare obedientiam principibus, qui tunc erant omnes infideles, & seruos obedire dominis, Item Tobias iubebat reddi hædum, à Gentilibus captum tanquam furtiuum. Tob. 2. quod non esset, si Gentiles non haberent dominium. Item Ioseph fecit totam terram Aegypti tributariā Pharaoni, qui erat infidelis, Gene. 47. Item ratione S. Tho. Quia infidelitas non tollit nec ius naturale, nec humanum, sed dominia sunt vel de iure naturali, vel humano. ergo nō tolluntur dñia per defe

secunda

ctum

ctum fidei. Et tandem iste est ita manifestus error sicut præcedens. Ex quo patet, quod nec à Saracenis, nec à Iudæis, vel alijs infidelibus licet capere res quas possident, per se loquendo, id est, quia infideles sunt: sed est furtum, vel rapina, non minus quam à Christianis.

Sed quia peculiaris difficultas est de hæresi, sit
8 secunda propositio. Stando * in iure diuino hæreticus non amittit dominium bonorum, hæc est omnium, & est nota. Cum enim amissio bonorũ sit pœna, & nulla sit pœna de lege diuina pro isto statu, constat stando in iure diuino nõ amitti bona propter hæresim. Itẽ patet hæc propositio ex prima. Nam si propter aliam infidelitatem non perditur dominium, ergo nec propter hæresim, cum nihil sit cautum specialiter de hæresi quan-
9 tum ad hoc in iure diuino. Sed * vtrum de iure humano? Conradus quidem de contractibus libr. 1. q. 7. cõ. 2. & 3. videtur tenere quòd hæreticus ipso facto perdit dominium bonorum suorum: ita q̃ in foro conscientiæ cadit à dominio. Ex quo infert, quod nec potest alienare, & alienatio non tenet, si fiat. Probatur ex illo. ca. cum secundum leges. vbi papa præmittit, quod propter aliqua crimina secundum leges, eo ipso suarum rerum dominiũ authores delictorũ perdunt & papa determinat q̃ idẽ sit pro crimine hæresis. & idẽ videtur tenere Ioã. Andr. in. d. c. cũ secũdũ. & videtur haberi ex

ri ex.l.4. C.de hær.vbi interdicitur hæreticis vẽdi tio,& donatio,& omnis cõtractus bonorũ suorũ.

Item leges obligant in foro conscientiæ, vt do cet S.Tho.prima secundæ.q.96.arti.4.sed pro de claratione sit tertia propositio, Hæreticus * à die 10 cõmissi criminis incurrit pœnã cõfiscationis bonorũ. Ita tenent communiter doctores & est determinatio Directo.lib.3. titulo.9. & summa Baptistana in verbo absol.§.17. & videtur diffinitũ in illo.c. cum secundum leges & in dicta. l.4. C. de hæreti.

Quarta propositio, * Nihilominus quamuis 11 constet de crimine,ante condemnationem tamẽ non licet fisco occupare bona hæreticorum.Hæc est etiam omnium,& est determinatio dicti.capi. cum secundum.Imò esset contra ius diuinum, & naturale,vt pœna mandaretur executioni antequam quis condemnetur. Sequitur ex tertia conclusione,quod* condemnatione facta etiam post 12 mortem,retroagitur confiscatio ad tempus commissi criminis ad quamcunque peruenerit potestatem.Hoc corollarium est etiam omniũ,& particulariter Panormi.in cap.fi.de hæreticis.Secundo sequitur, quod * venditiones, donationes,& 13 omnis alia alienatio bonorum à die commissi criminis sunt inualidæ. itaque facta condemnatione,omnes rescinduntur à fisco,& bona capiuntur ab eodem fisco,etiam pretio nõ restituto emptoribus

ribus. Et iam hæc est omnium & nominatim Panor. vbi supra & patet ex. l. 4. C. de hæreticis.

14 Quinta propositio, Nihilominus * hæreticus est dominus in foro conscientiæ antequam condemnetur. Hæc propositio videtur contra Conrad. & Direct. & Ioan. Andr. sed tamen est propositio Sylue. in verbo, hæresis. 1. §. 8. Et tenet illam, & disputat ad longum Adrian. quot. 6. q. 2. & idē videtur dicere Caie. in summa in verbo pœna. Et probatur primò, Quia hoc ipsum scilicet, priuari in foro cōscientiæ est pœna, ergo nullo modo debet infligi ante condemnationem: nec satis scio an ius humanum hoc posset facere. Item probatur manifestè, Quia vt patet in illo. c. cum secundum leges. eodem modo sunt cōfiscata bona ipso facto propter incestas nuptias. Item si mulier ingenua rapta nubat raptori: imò si quis de mercibus importatis nō soluat vectigalia cōsueta, ipso facto bona confiscantur. Item qui illicitas merces exportat, vt arma, ferrum, ad Saracenos: vt patēt omnia ista in. d. c. cum secundum leges &. C. de incestis nuptijs. l. cum ancillis, C. de raptu virgi. l. vna & de Iudæis. ca. ita quorundam. &. ff. de vectig. l. fi. Imò papa in d. c. cum secundum. expresse dicit, quod sicut est confiscatio in illis casibus, ita vult quod fiat propter hæresim. Sed nullus nega, quin incestuosus, & raptor, & deferens arma Saracenis, & non soluens vectigalia, quin maneat

verus

verus dominus bonorum suorum in foro conscie-
tiæ, quare ergo non etiam hæreticus? & ipse Cõr-
radus etiam eodem modo dicit de illis casibus, &
de hæretico. & grauius esset cogere hominem iã
emẽdatum ab hæresi, restituere bona fisco. Sequi
tur corollarium, quòd *hæreticus potest licitè vi- 15
uere ex bonis suis. Secundo sequitur item, quod
*titulo gratioso potest transferre bona sua, puta 16
donando. Sequitur tertio, quod *titulo oneroso 17
puta vendendo, aut dando in dotem, si crimẽ pos
set venire in iudicium, non licet transferre. Patet,
quia decipit emptorem, & ponit eum in periculo
perdendi & rem & pretium, si venditor condẽne
tur. Vltimò sequitur, quod *si reuera non esset pe 18
riculũ confiscationis, posset etiã licite titulo one
roso alienare, vt si quis esset hæreticus in Ger-
mania, catholicus posset licite emere ab illo. Gra
ue enim esset, quod non posset licite in aliqua ci-
uitate Lutheranorum si quis est catholicus, eme-
re agrum ab hæretico, nec vendere illi: quod tamẽ
necessario esset dicẽdũ, si omnino hæreticus nõest
dñs in foro cõsciẽtiæ. Ex oĩbus his sequitur cõclu
sio, q̃ *barbari nec propter peccata alia mortalia, 19
nec propter peccatũ infidelitatis impediũtur q̃
sint veri dñi, tã publice q̃ priuatim: nec hoc titulo
possũt à christianis occupari bona & terre illorũ,
vt late & elegãter deducit Cai. 22. q. 66. ar. 8. sed re
stat mõ dubiũ an ideo nõ sint dñi, qa sunt insensa

ti, vel

20 ti, vel amẽtes. Et circa hoc est dubium, an *ad hoc vt aliquis sit capax dñij, requiratur vsus rationis, & Cõrra. quidẽ li. 1. q. 6. ponit cõclusionẽ ꝙ dñiũ cõuenit creaturæ irrationali tã sensibili q̃ insensibili. Probatur, Quia dñiũ nihil aliud est q̃ ius vtẽdi re in vsum suũ. Sed bruta habent ius super herbas, & plantas. Genes. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ. Item astra habent ius illuminandi. Gene. 1. Posuit ea in firmamento cæli, vt lucerent, ac prẽessent diei, ac nocti. Et leo habet dominium super omnia animalia gressibilia, vnde & rex animãtium vocatur. Et aquila est domina intervolucres. vnde Psal. 103. Herodij domus dux est eorum. Eiusdem sententiæ est Sylvest. in verbo dominium, in principio, vbi dicit, quòd elemẽta dominantur inuicem.

Sed respondeo per propositiones. Prima. Creaturæ irrationales non possunt habere dominium

dominium est ius, vt fatetur etiam Conrad. sed creaturæ irrationales non habere ius, ergo nec dominium, probatur minor, quia non possunt pati iniuriam, ergo non habent ius. Probatur assumptum, Quia qui prohiberet lupũ, aut leonem à præda, vel bouem à pastu, non faceret ei iniuriam, nec qui claudit fenestram ne sol illuminet, facit iniuriam soli.

Et con-

Et confirmatur, Quia si bruta habent dominium, ergo qui tolleret herbam ceruo, faceret furtum, quia caperet alienum inuito domino. Item, Feræ non habent dominium sui, ergo multominus aliarum rerum. Assumptum probatur, Quia licet eas impune interficere etiam animi gratia: vnde etiam Philoso. 1. politico. ait, quòd venatio ferarum est iusta & naturalis. Item, ipsæ, feræ & omnia irrationalia, sunt sub hominis potestate, multo magis quàm serui. ergo si serui non possunt habere aliquid suum, multominus irrationalia. Et confirmatur propositio authoritate S.Tho.prima secũdę,q.1.ar.1.&.2.&.12.q.6.ar.22. &.1.cõtra Gent.c.100.sola creatura rationalis habet dominium sui actus, quia vt ipse etiam dicit prima parte.q.82.ar.1.ad.3.per hoc aliquis est dominus suorum actuum, quia potest hoc vel illud eligere. Vnde etiam,vt ibidem dicit,appetitus circa vltimum finem non sumus domini.si ergo bruta non habent dominium suorum actuum, ergo nec aliarum rerũ. Et licet disputatio videatur de nomine, certè hoc est valde impropriè loqui, & præter cõmunem modum loquendi tribuere dominiũ irrationalibus. Nõ enim dicimus aliquem esse dominũ,nisi eius,quod situm est in sua facultate. Nam Ita loquimur, Non est in mea facultate,non est in mea potestate,quando non sum dominus.Bruta autem cùm non moueant se, sed po

tiùs moueantur, vt. S. Tho. ait prima secundæ, vbi supra: eadem ratione nec habent dominium. Nec valet quod Syluest. dicit. quòd dominium aliquã do non dicit ius, sed solam potentiam. & hoc modò ignis habet dominium in aquam: si enim hoc satis est ad dominium, ergo latro habet dominiũ ad interficiendum hominem, quia habet potentiam ad hoc. & fur habet potentiam ad capiendũ pecuniam. Quòd autem dicit astra dominari, & leonem esse regem, certũ est hoc dictum esse metaphoricè, & per translationem.

21 Sed* potest videri dubiũ de puero ante vsum rationis an possit esse dominus. Quia videtur nihil differre ab irrationalibus: & Apostolus ad Galat. 4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo. Sed seruus non est dominus, ergo, &c. De hoc sit secunda Propositio, Pueri ante vsum rationis possunt esse domini. Hoc patet; Quia possunt pati iniuriam, ergo habent ius rerum. ergo & dominiũ, quod nihil aliud est, quàm ius. Item bona pupillorum non sunt in bonis tutorum: & habent dominos, & non alios, ergo pupillos. Item, pueri sunt hæredes. Sed hæres est qui succedit in ius defuncti, & qui est dominus hæreditatis. l. cum hæres. ff. de diuer. & tempora. præscrip. & inst. de hæred. qualita. & differẽtia. §. fin. Item diximus, ꝙ fundamentum dominij est imago Dei, quæ adhuc est in pueris. & Apostolus eo-

dem

dem loco Galat. 4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium. Nec est idem de creatura irrationali, quia puer non est propter alium, sed propter se, sicut est brutum.

Sed* de amentibus quid? Dico de perpetuò a- 22
mentibus est nec habent, nec est spes habituros vsum rationis: sitque tertia propositio.

Videtur adhuc quòd possint esse domini, quia possunt pati iniuriam: ergo habent ius. sed hoc remitto ad iurisconsultos, vtrum possint habere dominiũ ciuile, & quicquid sit de hoc, sit quarta propositio, Nec* ex hac parte impediuntur barbari 23
ne sint veri domini. Probatur, Quia secũdum rei veritatem non sunt amentes, sed habent pro suo modo vsum rationis. Patet, Quia habẽt ordinem aliquem in suis rebus, postquam habẽt ciuitates, quæ ordine constant, & habent matrimonia distincta, magistratus, dominos, leges, opificia, commutationes, quę omnia requirunt vsum rationis: item religionis speciem: item non erant in rebus, quæ alijs sunt euidentes, quod est indicium vsus rationis. Item Deus & natura non deficiunt in necessarijs pro magna parte speciei: præcipuum autem in homine est ratio, & frustra est potentia, quæ non reducitur ad actum. Item fuissent sine culpa sua tot millibus annorum extra statum salutis, cùm essent nati in peccato, &

non haberent baptiſmum, nec vſum rationis ad quærendum neceſſaria ad ſalutem, vnde quòd videantur tam inſenſati & hebetes, puto maxima ex parte venire ex mala & barbara educatione, cùm etiam apud nos videamus multos ruſticorũ parum differentes à brutis animãtibus. Reſtat ergo ex omnibus dictis, q̃ ſine dubio barbari erant & publicè & priuatim ita veri domini, ſicut Chriſtiani: nec hoc titulo potuerunt ſpoliari aut principes, aut priuati rebus ſuis, q̃ non eſſent veri domini. Et graue eſſet negare illis, qui nihil iniuriæ vnquam fecerunt, quod concedimus Saracenis, & Iudæis perpetuis hoſtibus religionis Chriſtianæ: quos non negamus habere vera dominia rerum ſuarum, ſi aliàs non occupauerũt terras Chriſtianorum.

Supereſt reſpondere ad argumenta in contrarium, vbi arguebatur, quòd iſti videntur ſerui à natura, quia parum valent ratione ad regendum etiam ſeipſos. Ad hoc reſpondeo, quòd certe Ariſtoteles non intellexit, quòd tales, qui parum valent ingenio, ſint natura alieni iuris, & nõ habeãt dominiũ, & ſui & aliarum rerum: hæc enim eſt ſeruitus ciuilis & legitima, qua nullus eſt ſeruus à natura. nec vult Philoſophus ſi qui ſunt natura parum mente validi, quòd liceat occupare bona & patrimonia illorum, & illos redigere in ſeruitutẽ, & venales facere: ſed vult docere, quòd à natura

eſt

est in illis necessitas, propterquã indigent ab alijs regi & gubernari: & bonum est illis subdi alijs, sicut filij indigent subijci parentibus ante adultam ætatem, & vxor viro, Et quòd hæc sit intẽtio philosophi, patet: quia eodem modo dicit, quòd natura sunt aliqui domini, scilicet qui valent intellectu. Certum est autem, quòd non intelligit, quòd tales possent sibi arripere imperiũ in alios illo titulo, ꝙ sint sapientiores, sed quia natura habent facultatem vt possint imperare & regere. Et sic, dato quòd isti barbari sint ita inepti & hebetes, vt dicitur: non ideo negandũm est habere verum dominium, nec sunt in numero seruorum ciuilium habendi. Verum est, quòd ex hac ratione & titulo posset oriri aliquod ius ad subijciendum eos, vt infrà dicemus.

Restat nunc cõclusio certa, Quòd* antequam 24
Hispani ad illos veniissent, illi erant veri domini, & publicè & priuatim. Supposito ergo quòd erãt veri domini, superest videre quo titulo potuerint Hispani venire in possessionem illorum vel illius regionis: & primò referã titulos qui possint prætendi, sed qui nõ sint idonei nec legitimi. Secũdò ponam alios titulos legitimos, quibus potuerint barbari venire in ditionem Hispanorum. Sunt autem septem tituli, qui possunt prætendi, sed non idonei, septẽ autem alij vel octo iusti & legitimi.

Primus ergo titulus posset esse, quòd Impera-

tor est dominus mundi:& sic dato, quòd tempore præterito fuisset aliquid vitij, iam esset purgatum in Cęsare imperatore Christianissimo. Nam dato ꝙ ita sit,quòd sint veri domini, possent habere superiores dominos, sicut inferiores principes habent regem, & aliqui reges habent imperatorem, quare in eandem rem possunt plures habere dominium: vnde est illa distinctio iuristarũ trita, Dominium,altum,bassum, directum, vtile, merum,mixtum. Dubitatur ergo, vtrũ isti haberent dominum superiorem.Et quia non potest esse dubium,nisi dè Imperatore, aut de papa, ideo de istis dicemus. Et videtur primò quòd Imperatot si totius orbis dominus, & per consequens etiam barbarorum. Primùm ex communi appellatione, quam tribuunt Imperatori, Diuo Maximiliano, aut Carolo semper Augusto, orbis domino. Item, Exijt edictum à Cæsare augusto, vt describeretur vniuersus orbis,Luc. 2. Sed non debent esse peioris conditionis Imperatores Christiani.ergo. Item, Dominus videtur iudicasse Cęsarem,esse verum dominum Iudæorum. Reddite inquit,quæ sunt Cæsaris,Cæsari,&c.Luc.20.non videtur autem quòd ius posset habere, nisi quia Imperator.ergo.De hoc Bart. in extrauagant.ad reprimen.quæ est Henri. 7. tenet expresè, quòd imperator de iure est totius orbis dñs. Et idem tenet glo.in.c.per venerabi.qui filij sint legit.Et idé

ad

ad longũ glo. in. c. venerabil. de electio, & probãt primò. 8. q. 1. in apib⁹, vbi Hieronymus dicit, q̃ in apibus vnus est rex, & in mũdo vnus Imperator. Itẽ. ff. ad l. Rhodi. l. deprecatio. vbi Imperator Antoninus dicit, Ego quidem mundi dñs. Et in. l. bene à Zenone. C. de quadru. præscriptione omnia principis esse intelliguntur. Et posset etiam probari: quia Adam primò, & postea Noe videntur fuisse domini orbis, Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, vt præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, vniuersæq; terræ, &c. & infrà, Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subijcite eam, &c. Et idẽ in sententia dictum est Noe Gene. 8. Sed illi habuerunt successores, ergo. Item quia non est credendum, quin Deus instituerit in orbe optimum genus gubernationis. Psal. 103. Omnia in sapientia fecisti. Sed illud est Monarchia, vt S. Tho. egregiè dicit de regi. princi. lib. 1. c. 2. & videtur sentire Arist. 3. Politi. ergo videtur quòd ex institutione diuina debeat esse vnus Imperator in orbe. Item ea quæ sunt præter naturã, debent imitari naturalia: sed in naturalibus est semper vnus rector, vt in corpore cor, in anima vna ratio. ergo ita debet esse in orbe vnus rector, sicut vnus Deus.

Sed hęc opinio est sine aliquo fundamento. Et ideo sit prima conclusio. Imperator* nõ est domi- 25
nus totius orbis. Probatur, Quia dominium non

potest esse nisi vel iure naturali, vel diuino, vel humano. Sed nullo tali est dominus orbis, ergo. Minor probatur, primum de iure naturali, quia vt bene dicit S. Tho 1. p. q. 92. articu. 1. ad secundum, & q. 96. artic. 4. In iure naturali homines liberi sunt, excepto dominio paterno, & maritali. De iure enim naturali pater habet dominiū supra filios, & maritus in vxorem. Ergo nullus est qui iure naturali habeat imperiū orbis. Et, sicut etiam dicit S. Tho. secunda secundæ. q. 10. articu. 10. dominiū & prelatio introducta sunt iure humano, ergo nō sunt de iure naturali: nec esset maior ratio quare hoc dominiū conueniret Germanis magis quàm Gallis. Et Aristo. 1. Politi. dicit quod duplex est potestas. vna familiaris, vt patris ad filios, & viri ad vxorē, & hæc est naturalis. Alia est ciuilis, quæ licet à natura quidē habeat ortum, & ideo potest dici de iure naturæ, vt. S. Tho. de regimi. prin. c. 1. lib. 1. est enim homo animal ciuile: non tamen natura: sed lege cōstituta est. De iure autem diuino ante aduentum Christi redemptoris nō legimus fuisse imperatores dominos mūdi, quamuis glos. illa Bar. in extrauagan. ad reprimend. adducat de Nabuchodonosor, Dani. 9. de quo dicitur, Tu rex regum es, Deus cæli, regnum, fortitudinem, gloriam, & imperium dedit tibi, & omnia in quibus habitarent filij hominū. Sed certum est, quod nec Nabuchodonosor accepit imperium specialiter

à Deo,

à Deo, sed eo modo quo alij principes. vt Paulus dicit. Rom. 13. Omnis potestas à domino Deo est. & Prouerb. 8. Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Nec etiam habuit imperium iure in totum orbem, vt putat. Barto. Nam Iudæi non erant ei subiecti iure. Item ex hoc ipso patet, quòd nullus erat de iure diuino dominus totius mundi, quia gens Iudæorum erat libera ab omni alienigena, imò erat prohibitum in lege, vt haberēt dominum alienigenam Deu. 17. Non poteris alterius gentis hominē regem facere. Et quā uis. S. Tho. de regi. princi. lib. 3. c. 4. &. 5. videatur dicere, quòd imperium Romanorum fuit à Deo traditum propter iustitiam illorū & amorem patriæ, & propter optimas leges, quas habebāt, hoc non est intelligēdum, quòd ex traditione, aut ex institutione diuina, haberent imperiū, vt August. etiam dicit. 18. de ciuit. Dei, sed quòd prouidentia diuina factum est, vt cōsequerentur imperium orbis: sed alio iure scilicet vel iusti belli, vel alia ratione, non eo modo quo habuit Saul & Dauid regnum à Deo. Et hoc facilè intelliget quis, si consideret, qua ratione, & successione imperia & dominia in orbe peruenerint vsque ad nos. vt enim omittamus omnia, quæ præcesserunt diluuium, certè post Noe orbis fuit diuisus in diuersas prouincias & regna siue hoc fuerit ex ipsius, Noe ordinatione, qui superuixit diluuio. 350. annos, Ge-

nes. 9. qui in diuersas regiones misit colonias, vt patet apud Berosum Babylonicum: siue, quod verisimilius est, ex consensu mutuo gentium, diuersæ familiæ occupauerunt diuersas prouincias, vt Gen. 13. Abraham dixit ad Lot, Ecce vniuersa terra coram te est, si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo: si tu dextrã elegeris, ego ad sinistram pergam, Vnde Genes. 10. traditur, quòd per pronepotes Noe diuisæ sunt nationes, & regiones, siue in aliquibus regionibus primò inceperint esse domini per tyrannidem, sicut videtur fuisse Nẽrod, de quo Genes. 10. habetur quòd primus incepit esse potens in terra: siue cõuenientibus in vnum aliquibus in vnam rempublicam ex consensu communi sibi constituerunt principem. Certum est enim vel his, vel alijs non disimilibus modis dominia, & imperia incœpisse in mũdo, ac postea, vel iure hæreditario, vel iure belli, vel aliquo alio titulo deriuata esse vsque ad nostram ætatem, saltem vsque ad aduẽtum Saluatoris, Ex quo patet, nullum ante aduentum Christi habuisse iure diuino orbis imperium, neque illo titulo hodie posse imperatorem sibi arrogare orbis dominium, & per consequens nec barbarorum. Sed post aduentum Domini posset quis prętendere. quòd extra ditione Christi esset vnus imperator in orbe, quia Christus etiam secundum humanitatẽ fuit orbis dñs, iuxta illud Matthæ. 28. Data est mihi omnis

potestas,

potestas,&c. quod secundum August. & Hieronymum intelligitur secundum humanitatem. Et Omnia subiecit sub pedibus eius, vt introducit Apostolus. 1. Corin. in fin. ergo sicut reliquit in terra vnum vicarium in spiritualibus, ita reliquit etiam in temporalibus,& hic est imperator. Et, S. Tho. de regi. prin. lib. 3. c. 13. dicit, quòd Christus à natiuitate sua erat verus mundi dominus, & monarcha, cuius vices gerebat Augustus, licet nõ intelligens. Et clarum est, quòd nõ gerebat vices in spiritualibus, sed in temporalibus. Cùm ergo regnum Christi si fuit temporale, fuit in toto orbe, ergo etiam Augustus erat Dominus orbis,& eadem ratione successores eius. Sed neque hoc dici vllo modo potest. Primum, quia hoc ipsum est dubium, an Christus secũdum humanitatem fuerit Dominus temporalis orbis. Et probabilius est quòd non, & ipse Dominus videtur asseruisse in illo loco, Regnum meum non est de hoc mundo. Vnde & Sanctus Thomas illic dicit, quòd dominium Christi directè ordinatur ad salutem animæ, & ad spiritualia bona, licet à temporalibus non excludatur eo modo, quoad spiritualia ordinatur. Vnde patet, quòd non est sententia S. Thom. quòd regnum eius esset eiusdem rationis cum regno ciuili & temporali, sed ita est, quòd ad finem redemptionis habebat omnimodam potestatem, etiam in temporalibus: sed secluso 6

illo

illo fine, nullam habebat. Et præterea, dato quòd fuisset Dominus temporalis, hoc est diuinare dicere quòd reliquit illam potestatem imperatori, cum de hoc nulla mentio facta sit in tota scriptura. Et quod, S. Tho. dicit, quòd Augustus gerebat vices Christi, primùm hoc dixit ibi. In tertia autẽ parte, vbi loquitur ex professo de potestate Christi, nullam mentionem fecit de hac temporali potestate Christi. Secundò S. Tho. intelligit, q̃ gerebat vices Christi quatenus temporalis potestas est subiecta & ministra spiritualis potestatis. Imò hoc modo reges sunt ministri episcoporum, sicut & ars fabrilis est subiecta equestri, & militari: sed tamen miles, aut dux non est faber, sed habet imperare fabro in armis fabricandis. Et. S. Tho. in illo loco Iohan. 18. expresè dicit regnum Christi non esse temporale, nec tale quale Pilatus intelligebat, sed regnum spirituale, quod ipse Dominus declarat eodem loco, Tu dicis quia rex sum ego. ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati. Et sic patet, quòd est merum cõmentum dicere, quòd ex traditione Christi sit vnus imperator & Dominus mundi. Quod etiam apertè confirmatur, Quia si hoc esset ex iure diuino, quomodo imperiũ fuit diuisum in Orientale & Occidentale? primo inter filios magni Constantini, & postea ab Stephano papa, qui imperium Occidentale trãstulit ad Germanos,

Germanos, vt habetur in.d.cap.per venerabilem. Est enim ineptum, & ineruditum, quod glo. illic dicit, quòd Græci postea non fuerunt imperatores. Nunquam enim imperatores Germani hoc titulo prætenderunt se esse Græciæ dominos. Et Iohannes Palæologus Imperator Constantinopōlitanus, in concilio Florentino habitus est pro legitimo imperatore. Et præterea patrimonium ecclesiæ (vt fatentur ipsi Iuristæ, etiam Bartolus) nō est subiectum imperatori. q̄ si omnia essent subiecta imperatori iure diuino, ex nulla donatione imperatorum, nec alio titulo potuissent eximi ab imperatore, sicut nec papa potest quenquam eximere à potestate papę. Itē nec regnum Hispaniç est subiectum imperatori, nec Francorum, vt etiā habetur in.d.c.per venerabilem. licet glo. ex capite suo addat, quòd hoc non est de iure, sed de facto. Item doctores cōcedunt quòd ciuitates, quæ aliquando fuerunt subiectæ imperio, potuerunt per consuetudinem eximi ab imperio: quod non esset, si subiectio hæc esset de iure diuino. De iure autem humano constat, quòd imperator non est dominus orbis. Quia vel esset sola authoritate legis: & nulla talis est, & si esset, nihil operaretur, quia lex præsupponit iurisdictionem. si ergo ante legem non habebat imperator iurisdictionem in orbe, lex non potuit obligare nō subditos, nec hoc habuit imperator, aut per legitimam successionem,

sionem, aut donationem, aut permutationē, aut emptionem, aut iusto bello, aut electione, aut aliquo alio legali titulo, vt constat. Ergo nunquam imperator fuit dominus totius mundi. Secunda
26 conclusio, Dato* quòd imperator esset dominus mundi, non ideo posset occupare prouincias barbarorum, & constituere nouos dominos, & veteres deponere, vel vectigalia capere. Probatur, Quia etiam qui imperatori tribuunt dominium orbis, non dicunt eum esse dominum per proprietatem, sed solùm per iurisdictionē: quod ius non se extendit ad hoc, vt cōuertat prouincias in suos vsus, aut donet pro suo arbitrio oppida, aut etiam prædia. Ex dictis ergo patet, quòd hoc titulo non possunt Hispani occupare illas prouincias.

Secundus titulus, qui prætenditur, & quidem uehementer asseritur ad iustam possessionem illarum prouinciarum, est ex parte summi Pontificis. Dicunt enim quòd summus Pontifex est totius orbis monarcha etiam temporalis, & per cōsequēs, quòd potuit constituere Hispaniarum reges principes illorum barbarorum illarūq; regionum: & ita factum est. Circa hoc, opinio est quorundam iurisconsultorum, quòd papa habet plenam iurisdictionem in temporalibus in toto orbe terrarum, adijcientes etiam, quòd omniū principum secularium potestas à papa in eos deriuata sit. Ita tenet Hostien. in. c. q̄ super his. de vo. &

archie-

archiepiſ. 3. parte, titulo. 22. c. 5. §. 8. & Aug. Anch. ita tenet Sylueſt. qui multo etiam largius, & benigniùs hanc poteſtatem tribuit papæ, in verbo, infidelitas. §. 7. & in verbo, papa. §. 7. 10. 11. &. 14. & in verbo, legitimus. §. 4. mirabilia dicit in illis locis circa hoc: vt puta, quòd poteſtas imperatoris & omnium aliorum principum eſt ſubdelegata reſpectu papæ, & quòd eſt deriuata à Deo mediante papa, & quòd tota illorum poteſtas dependet papa, & quòd Conſtantinus donauit terras papæ in recognitionem dominij temporalis. Et econtrario papa donauit Conſtantino imperiũ in vſum & ſtipendium. Imò quòd Conſtantinus nihil donauit, ſed reddidit quod erat ſubtractum: & quòd ſi papa non exercet iuriſdictionem in temporalibus extra patrimonium eccleſiæ, non eſt propter defectum authoritatis, ſed ad vitandum ſcandalum Iudæorum, & ad nutriendam pacem, & multa alia his vaniora, & abſurdiora, ibi dicit. Tota probatio iſtorum eſt, Quia, Domini eſt terra, & plenitudo eius: &, Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. & papa eſt vicarius Dei & Chriſti. & ad Epheſe. 2. Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem, &c. Et huius opinionis etiam videtur eſſe Barto. in illa extrauagã. ad reprimendam & videtur fauere. S. Tho. in fine ſecundi ſententiarum, cuius vltima verba ſunt in ſolutione

ad

ad quartum argumentum, quod est vltimum totius libri, quòd papa renet vtriusq; potestatis apicem, scilicet secularis & spiritualis. & eiusdē opinionis est Herueus de potestate ecclesiæ. Hoc ergo fundamento iacto, dicunt authores huius sententiæ. Primò, quòd papa liberè potuit constituere principes barbarorum reges Hispaniæ, tanquā supremus dominus temporalis. Secundò dicunt, quòd dato hoc non posset, saltem si barbari nolunt recognoscere dominium temporale papę in eos hac ratione potest eis inferre bellum, & imponere principes, Vtrunque autem factum est: nam primò summus Pontifex concessit illas prouincias Regibus Hispaniæ. Secundò etiam barbaris propositum fuit, & significatū, quòd papa est vicarius Dei, & habet vices eius in terris: & ideo, ꝙ recognoscant eum superiorem, quod si illi recusauerint, iam iusto titulo dicitur eis bellum inferendum & occupatæ prouinciæ illorum, &c. Et hoc secundum nominatim dicit Hostiē. vbi suprā, & summa Ange.

27 Sed quia de dominio temporali papæ prolixè disputaui in relectione de potestate ecclesiastica, ideo hic breuiter per propositiones respondebo. Prima, Papa* non est dominus ciuilis, aut temporalis totius orbis, loquendo propriè de dominio & potestate ciuili. Hęc conclusio est Turre crem. lib. 2. cap. 113. & Iohannis Andr. & Hugo. 69. dist. cum

cum ad verum. Et fatetur doctiſsimus Innocen. in.d.c.per venerabilem. ſe nõ habere poteſtatem temporalem in regno Franciæ. Et videtur expreſ ſa ſententia Bernardi in ſecundo libro de cõſi. ad Eugeni. Et oppoſita ſententia videtur eſſe contra præceptum Domini, qui Matth.20.& Luc.22.ait, Scitis quia principes gentium dominantur eorũ, &c. non ita erit inter vos. Item cõtra præceptum Apoſtoli, Nõ dominantes in clerum, ſed forma facti gregis. Et ſi Chriſtus dominus non habuit dominium temporale, vt ſuprà tãquam probabilius diſputatum eſt, etiam ex ſententia. S. Tho. multo minus papa habet, qui eſt vicarius: & iſti tribuũt ſummo Pontifici quod ipſe nunquam agnouit: imò cõtrariũ fatetur in multis locis, vt in relectione illa dictũ eſt, & ſatis probatũ, ſicut ſuprà de Imperatore: quia nõ poteſt ei conuenire dominium niſi iure naturali, aut diuino, aut humano. Naturali, aut humano, certum eſt quòd non. De diuino nullum profertur. ergo fruſtra aſſeritur, & voluntariè. Et ꝙ Dominus dixit Petro, Paſce oues meas, ſatis oſtendit eſſe poteſtatem in ſpiritualibus, & non temporalibus. Et præterea oſtenditur papam non eſſe dominũ in toto orbe. Nam ipſe dominus dixit Iohan. 10. quòd in fine ſeculi fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Vnde ſatis conſtat in præſentia non omnes eſſe oues vnius ouilis. Item dato ꝙ Chriſtus haberet hãc poteſtatem, conſtat

non esse commissam papæ. Patet, quia nõ minus papa est vicarius Christi in spiritualib⁹, quàm in temporalibus, sed papa nõ habet iurisdictionem spiritualem super infideles, vt etiam fatentur aduersarij, & videtur expressa sententia Apostoli. 1. Cor. 5. Quid ad me de his, qui foris sunt, iudicare? ergo nec etiam in temporalibus. Et certè argumẽtum nullum est, Christus habuit potestatẽ temporalem in toto orbe. ergo & papa habet. nam Christus sine dubio habuit potestatem spiritualem in toto orbe, nõ minus supra fideles, quàm supra infideles: & potuit ferre leges obligantes totum orbem, sicut fecit de baptismo, & articulis fidei: & tamen papa nõ habet illam potestatem supra infideles, nec posset eos excõmunicare, nec prohibere connubia in gradibus iure diuino permissis. ergo. Item quia etiam secundum doctores Christus potestatem excellentiæ non cõmisit etiam Apostolis, ergo etiam nihil valet consequentia, Christus habuit potestatẽ temporalem in orbe, ergo & papa.

28 Secunda propositio. Dato * q̃ summus Pontifex haberet talem potestatem secularem in toto orbe, nõ posset eam dare principibus secularibus. Hoc patet, quia esset annexa papatui, nec potest eam papa separare ab officio summi Pontificis, nec potest priuare successorẽ illa potestate, quia non potest esse sequens summus Põtifex minor

præ-

præcessore suo: & si vnus Pontifex dedisset hanc potestatẽ, vel nulla esset talis collatio, vel sequens Pontifex posset auferre.

Tertia propositio, Papa* habet potestatẽ temporalem in ordine ad spiritualia, id est quantum necesse est ad administrationem rerum spiritualium. Hęc etiam est Turre crema. vbi supra. c. 114. & est omnium doctorum. Et probatur, quia ars, ad quam pertinet finis superior, est imperatiua & præceptiua artium ad quas spectant fines inferiores vt habetur. 1. Ethico. Sed finis potestatis spiritualis est vltima fœlicitas, finis autẽ potestatis ciuilis est felicitas politica. ergo potestas temporalis est subiecta spirituali. Et hac ratione vtitur Innocen. in. c. solitæ. de maiori. & obediẽ. Et confirmatur, quia cui commissa est cura alicuius officij, intelligũtur cõcessa omnia sine quibus officium rectè expediri non potest. de officio delega. c. 1. Cùm ergo ex cõmissione Christi papa sit pastor spiritualis, & hoc officium impediri possit per potestatẽ ciuilẽ, cùm Deus & natura nõ deficiant in necessarijs: nõ est dubitandũ quin fuerit ei relicta potestas in tẽporalibus quantũ necesse est ad gubernationẽ spiritualium. Et hac ratione potest papa infringere leges ciuiles, quę sunt nutritiuę peccatorum, sicut infregit leges de præscriptione malę fidei, vt patet de prę scrip. c. fin. Et hac etiã ratione discordãtibus principib⁹ de iure alicuius prin- 29

cipatus,& in bella ruentibus,potest esse iudex,& cognoscere de iure partium, & sententiam ferre, quam tenentur recipere principes,ne scilicet eueniãt tot mala spiritualia,quot ex bello inter principes Christianorum necesse est oriri.Et licet hoc vel non faciat papa,vel non sæpe faciat, hoc non est quia non potest, vt dicit dominus Durãd. sed quia timet scandalum,ne principes putẽt hoc facere per ambitionem, vel veritus rebellionẽ principũ à sede apostolica. Et hac ipsa ratione potest aliquando reges deponere,& etiam nouos constituere, sicut aliquando factum est. Et certè nullus legitimè Christianus deberet negare hãc potestatem papæ.Et ita tenet Palud. & Durand.de potestate eccle.& Henri.Gand. quotlibet.6.articu.23. & ad hunc sensum intelligenda sunt iura quæ dicunt papam habere vtrunque gladium, quæ multa sunt, & doctores antiquiores hoc dicunt sicut etiam S.Tho.in.1.Sententia.vt citatum est. Imò non dubito quin episcopi habeant hoc modo authoritatem temporalem in suo episcopatu eadẽ ratione,qua papa in orbe. Vnde malè dicunt, & malè faciũt,vel principes,vel magistratus, qui cõtendunt impedire episcopos ne coerceant seculares à peccatis per pœnas pecuniarias, aut exiliũ, aut alias pœnas temporales.hoc enim non est supra potestatem eorum,modò non faciant ex auaritia,& ad quæstum,sed ad necessitatem, & commodum

modum rerum ſpiritualium. Et ex hoc loco iterũ ſumitur argumentum pro prima concluſione: ſi enim papa eſſet dominus orbis, etiam epiſcopus eſſet dominus temporalis in ſuo epiſcopatu, quia etiam in ſuo epiſcopatu eſt vicarius Chriſti: quod tamen aduerſarij negant.

Quarta concluſio, Papa* nullam poteſtatem temporalem habet in barbaros iſtos, neq; in alios infideles. Hæc patet ex. 1. & 3. Nam non habet poteſtatem temporalẽ niſi in ordine ad ſpiritualia, ſed non habet poteſtatem ſpiritualem in illos, vt patet. 1. Corin, 5. ergo nec temporalem. Sequitur corollarium, quòd* etiam ſi barbari nolint recognoſcere dominium aliquod papæ, non ideo poteſt eis bellum inferri, & bona illorum occupari. Patet, quia nullum tale dominium habet. Et confirmatur hoc manifeſtè. Nam (vt infrà dicetur, & aduerſarij fatentur) dato ꝙ barbari nolint recipere Chriſtum pro domino, non tamen poſſunt bello peti, aut aliquo malo affici: abſurdiſsimum eſt autem quod ipſi dicunt, ꝙ cùm poſsint impune non recipere Chriſtum, teneantur recipere vicariũ eius, aliâs poſsint bello cogi, & ſpoliari omnibus bonis, imo & ſupplicio affici. Et confirmatur iterum, quia cauſa ſecundum iſtos. quare etiam ſi nolint recipere Chriſtum, aut fidem eius, nõ poſſunt cogi, eſt, quia non poteſt eis euidenter probari per rationes naturales: ſed multo minus poteſt

30

31

probari dominium papæ. ergo etiam nõ possunt cogi ad recognoscendum hoc dominium. Et Syl ueſt. quamuis latisimè loquatur de potestate papæ, tamen in verbo, infidelis. septimo expresè tenet contra Hostien. quòd infideles non possunt bello cogi ad recognoscendum hoc dominium, nec hoc titulo possunt spoliari bonis suis. Et ita tenet Innocentius in d.c. quod super his. de voto. Et non est dubium quin. S. Tho. sit huius sententiæ, secunda secundę. q. 66, arti. 8. ad secundum. & Caieta. illic expresè, vbi dicit S. Thom. quòd infideles non possunt spoliari suis bonis, nisi qui sunt subditi principibus temporalibus, propter causas legum legitimas, propter quas etiam alij subditi possunt priuari. Imò nec Saraceni inter Christianos vnquam isto titulo fuerunt spoliati suis bonis, aut aliquo incommodo affecti. Nam si iste titulus est sufficiens ad inferendum eis bellum, hoc tantundem est, ac si quis dicat, quòd ratione infidelitatis possunt spoliari. Certum est enim quòd nullus infideliũ recognoscit hoc dominium. nullus autem doctor, nec etiam inter aduersarios est, qui hoc concedat, scilicet quòd solo titulo infidelitatis possunt spoliari. ergo omnino est sophisticum, quod isti doctores dicunt, quòd si infideles recognoscũt dominium Roma. pontificis, nõ possunt bello infestari, bene autem si non recognoscunt. Nullus enim recognoscit

Ex quo patet, quòd nec iste titulus est idoneus cõtra barbaros, vel quia papa dederit prouincias illas tanquam dominus absolutè, vel quia non recognoscunt dominium papæ, habent christiani causam iusti belli cõtra illos. Et hanc sententiam tenet Caietanus latè secunda secundæ. quæst. 66. articulo. 8. ad secundum. Nec authoritas canonistarum in contrariũ multum debet mouere: quia (vt suprà dictum est) hæc tractanda sunt ex iure diuino, & plures & maiores contrarium tenẽt, inter quos etiam est Iohan. Andr. nec habent pro se aliquem textum. nec etiam grauis authoritas Archiep. Floren. hoc loco recipienda est, secutus est enim Augu. Ancho. sicut aliàs solet sequi Canonistas. Ex dictis patet, q̃ Hispani cũ primum nauigauerunt ad terras barbarorum, nullum ius secum afferebant occupandi prouincias illorum.

Et ideo alius titulus est, qui potest prætendi iure inuentionis, nec alius titulus à principio prætẽdebatur: & hoc solo titulo primo nauigauit Columbus Ianuen. Et videtur quòd hic titulus sit idoneus, quia illa, quæ sunt deserta, fiunt iure gentium & naturali occupantis. Institut. de rerum diuisio. §, feræ bestiæ. ergo cùm Hispani fuerint primi, qui inuenerint, & occupauerint illas prouincias, sequitur q̃ iure possident, sicut si solitudinem inhabitatam hactenus inuenissent. Sed de isto titulo qui tertius est, non oportet multa

verba facere: quia vt supra probatum est, barbari erant veri domini, & publicè & priuatim. Ius autem gentium est vt quod in nullius bonis est, occupanti concedatur: vt habetur expresse in. d. §. feræ bestiæ. Vnde cùm illa bona non carerent domino, non cadunt sub illo titulo. Et sic licet iste titulus cum alio aliquid facere possit (vt infrà dicetur) tamẽ per se nihil iuuat ad possessionem illorum, non plusquam si illi inuenissent nos.

Et ideo quartus titulus prætenditur, quia scilicet nolunt recipere fidem Christi, cùm tamẽ proponatur eis, & sub obtestationibus admoneantur vt recipiant. & videtur ꝙ iste titulus sit legitimus, ad occupandas terras barbarorũ. Primo, quia barbari tenẽtur recipere fidem Christi: quia, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Nullus autem cõdẽnatur nisi pro mortali. Et Actor. 4. Nõ est aliud nomẽ datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, cùm ergo papa sit minister Christi, saltem in spiritualibus, videtur ꝙ saltẽ authoritate papę possent cogi ad recipiẽdam fidem Christi: & si requisiti nolint recipere, iure belli possit agi contra eos. Imo videtur, ꝙ etiam principes sua authoritate hoc possint, quia sunt ministri Dei. Roma. 13. Et vindices in iram eis qui malè agunt. isti autem pessimè agunt, nõ recipientes fidem Christi. ergo possunt cogi à principibus. Secũdo, quia si

si Galli nollent obedire regi suo, posset rex Hispaniæ cogere illos vt obedirent. ergo si nolunt obedire Deo, qui est verus & supremus dominus, possunt principes Christiani cogere illos barbaros, vt obediant. non enim videtur q̃ debeat esse peioris conditionis causa Dei, quàm hominum. Et confirmatur, Quia sicut arguit Scotus. 4. distin. 4. q. 9. de pueris infidelium baptizandis, potius debet aliquis cogi ad obediendum domino superiori, quàm inferiori. Si ergo cogi possent barbari vt obedirent principibus suis, ergo multo magis vt obediant Christo, & Deo. Tertio, quia si blasphemarent publicè Christum, possent bello cogi, vt desisterent ab huiusmodi blasphemijs, vt doctores concedũt, & verum est. Possemus enim bello persequi, si vterentur crucifixo ad irrisionem, vel quocunque modo abuterentur ad ignominiam rebus Christianis, vt fingẽtes ad illusionem sacramenta ecclesiæ, vel aliquod simile. Quod etiã patet. Nam si facerent iniuriã Regi Christiano, etiã defuncto, possemus vindicare iniuriam. multo ergo magis si faciant iniuriam Christo, qui est rex & dominus Christianorum. Nec de hoc est dubitandum, quia si Christus viueret inter mortales, & pagani facerent ei iniuriam, non est dubium quin possemus bello persequi iniuriam: ergo etiã nunc. Sed maius peccatum est infidelitas, quam blasphemia, quia vt S. Tho. dicit, & probat secun-

da secūdæ.q.10.art. 3. infidelitas est grauissimū in ter peccata quæ contingūt in peruersitate morū, quia opponitur directe fidei & blasphemia nō opponitur directè fidei, sed confessioni fidei. Infidelitas etiam tollit principium cōuersionis in Deū, scilicet fidem, non autem blasphemia. si ergo pro blasphemia in Christum possunt Christiani bello persequi infideles: ergo pro ipsa infidelitate. Et confirmatur, Quòd blasphemia non sit ita magnum peccatum, sicut infidelitas. Quia pro infidelitate est pœna capitalis Christiano per leges ciuiles, non autem pro blasphemia.

32 Pro responsione sit prima propositio, Barbari priusquam aliquid audissent de fide Christi, nō peccabant peccato infidelitatis, eo q̄ non crederent in Christum. Hæc propositio est ad literam S. Tho. secunda secundæ.q. 10. articu.1. vbi dicit, quòd apud eos, qui nihil audierunt. de Christo, infidelitas nō habet rationem peccati, sed magis pœnæ, quia talis ignorantia diuinorū, ex peccato primi parentis secuta est. Qui autem (inquit) sic sunt infideles, damnātur quidem propter alia peccata, sed non propter peccatum infidelitatis. Vnde Dominus dicit Iohan.15. Si non veniſſem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Quod exponens Augustinus dicit, quòd loquitur de illo peccato, quo non crediderunt in Christum. Idem videtur dicere Sanctus Thom.

secunda

secunda secundæ. quæstio. 10. articu. 6. & quæsti. 34. articulo. 2. ad secundum. Hæc propositio est contra multos doctores, & primò contra Altisio. 3. parte. in. q. Vtrum fidei possit subesse falsum. Vbi dicit, quòd non potest aliquis habere ignorantiam inuincibilem, non solum Christi, sed cuiuscunque articuli fidei: quia si faciat quod in se est, Dominus illuminabit, siue per doctorẽ intrinsecum, siue extrinsecũ: & sic semper est peccatũ mortale credere aliquid cõtrarium articulis fidei. Ponit exemplum de vetula, cui episcopus prædicaret aliquid contra fidei articulum. Et generaliter dicit, quòd ignorantia iuris diuini neminem excusat. Eadem fuit opinio Guillelmi Parisiẽ. qui eodem modo argumentatur. Vel enim talis facit quod in se est; & illuminabitur: si nõ facit, non excusatur. Et in eadem sententia videtur fuisse Gerson. de spirituali vita animæ, lect. 4. Concors (inquit) est sententia doctorũ, quòd in his, quæ sunt iuris diuini, non cadit ignorãtia inuincibilis, quũ facienti quod in se est, Deus semper assistat paratus illustrare mentẽ, quantum oportebit ad salutem, & erroris euitationẽ. Et Hugo de sancto Victore lib. 2. parte. 9. cap. 5. dicit neminem excusari per ignorãtiam à præcepto baptismi suscipiendi: quia nisi sua culpa obstiterit, audire & scire poterit, vt exemplum est de Cornelio. Actuum. 10. Hanc sentẽtiam & opinionem limitat Adrian. in quod-

quodlibetis.q.4.Ea,inquit,quæ sunt iuris diuini, sunt in duplici differentia. Quædam sunt,ad quorum scientiam Deus non obligat omnes vniuersaliter,vt sunt apices iuris diuini, & difficultates circa illud,& circa scripturã sacram, & præcepta: & circa hæc bene potest cadere ignorantia inuincibilis, etiam si quis faciat totum quod in se est. Alia sunt,ad quorum scientiam Deus generaliter obligat omnes,vt articuli fidei,præcepta vniuersalia legis: & de his est verum, quod doctores dicunt,quòd non potest quis excusari per ignorantiam.Si enim quis faciat quod in se est, illuminabitur à Deo per doctorem interiorem,vel exteriorem.Sed nihilominus cõclusio posita videtur expressè de intentione S. Tho. Et probatur, Tales, qui nunquam audierunt quicquam quantumcũque sint aliâs peccatores,ignorant inuincibiliter: ergo talis ignorantia non est peccatum. Antecedens patet ex illo ad Roma.10. Quomodo credẽt nisi audiant: quomodo autem audient sine prædicante? ergo si non est eis prædicata fides, ignorant inuincibiliter, quia non possunt scire. Neq; Paulus condẽnat infideles, quia nõ faciunt quod in se est,vt illuminentur à Deo: sed quia cùm audissent, non crediderunt. Nunquid (inquit) non audierũt?Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum. Ex hoc condẽnat illos, quia in omnẽ terram fuit prædicatũ Euangelium,aliàs nõ condemna-

demnaturus quantumcunq; haberent alia pecca ta. Vnde etiam decipitur Adrianus in alio pũcto circa materiam de ignorantia. Dicit enim in eodem quotlib. quòd etiam in materia morũ si quis adhibet omnem industriam, & diligentiam ad sciendum ea quæ oportet, non satis est ad excusationem ignorantiæ, nisi per contritionem peccatorum disponat se ad hoc vt illuminetur à Deo: vt si quis dubitat de aliquo contractu, & quærit à viris doctis, & aliâs laborat ad sciendum veritatẽ, & putat esse licitũ: si fortè non est licitus, & exercet, nõ excusatur si fortè aliâs est in peccato, quia non facit totum quod in se est ad vincendũ ignorantiam, & licet stet, quòd etiam si disponat se ad gratiam, non illuminetur: tamen non excusatur, nisi tollat hoc impedimentum, scilicet peccatum. Vnde si de eodem casu & contractatu Petrus & Iohannes dubitant, & faciunt æqualem diligentiam humanam, & vterq; putat esse licitum: Petrus autem est in gratia, Iohannes in peccato: Petrus habet ignorantiam inuincibilem, Iohannes vincibilem: & si vterq; exerceat contractum, Petrus excusatur, Iohannes non excusatur. Fallitur inquam in hoc, sicut à me disputatum est latè prima secundæ, in materia de ignorantia. Mirabile enim esset dicere, quòd in nulla materia iuris diuini posset habere ignorantiam inuincibilem in fidelis, imò quicunq; est in peccato mortali. Imò se

quitur

quitur, q̃ ille Petrus, qui erat in gratia, & ignorabat inuincibiliter aliquid circa vsuram, aut simoniã, solùm per hoc q̃ caderet in mortale, illa ignorantia fieret vincibilis. quod absurdum est.

33 Vnde dico, quòd *ad hoc, quòd ignorantia imputetur, & sit peccatum vel vincibilis, requiritur negligentia circa illam materiam, puta, quia noluit audire, vel auditum non credidit: & econtrario ad ignorãtiam inuincibilem satis est, quòd fecerit humanam diligentiam ad sciendum, etiam si aliàs sit in mortali. Vnde quantum ad hoc idem est iudicium de existenti in peccato, & de existẽti in gratia nunc & statim post aduentum Christi, vel post passionem eius. Nec posset Adrianus negare, quin paulo post passionem Domini Iudæi, qui erant in India, vel Hispania, ignorarent inuincibiliter passionem Domini, quantumcunque essent in mortali, imò expressè hoc ipse cõcedit in. 1. q. ad quartum, in materia de obseruantia legalium. Et certum est, quòd Iudæi absentes à Iudæa, siue essent in peccato, siue non, habebant ignorantiam inuincibilem de baptismo aut de fide Christi. Sicut ergo tunc poterat cadere ignorantia inuincibilis de hoc, sita & nunc apud eos, apud quos non est facta annuntiatio de baptismo. Sed in hoc decipiuntur isti doctores, quia putant, q̃ si ponamus ignorantiam inuincibilem de baptismo, aut fide Christi, q̃ statim consequitur,

q̃

quòd posit aliquis saluari sine baptismo, aut fide Christi. quod tamen non sequitur. Barbari enim ad quos non peruenit annuntiatio fidei, aut religionis Christianæ, damnabuntur propter peccata mortalia, aut idololatriã, sed non propter peccatum infidelitatis, vt dicit S. Tho. 22. vbi supra, q̃ si facerent quod in se est, bene viuendo secundum legem naturæ, ita est, q̃ Dominus prouideret, & illuminaret illos circa nomen Christi: non ideo tamen sequitur, q̃ si male viuant, imputetur eis ad peccatum ignorantia, aut infidelitas circa baptismum, & fidem Christianam.

Secunda propositio, Barbari * non ad primum 34
nuntium fidei Christianæ tenẽtur credere ipsum ita q̃ peccent mortaliter, non credentes solùm per hoc, q̃ simpliciter annuntiatur eis, & proponitur, q̃ vera religio est Christiana, & q̃ Christus est saluator & redemptor mundi, sine miraculis, aut quacunque alia probatione, aut suasione. Probatur hæc cõclusio ex prima. Si enim ante quam aliquid audissent de religione Christiana, excusabantur, non obligantur de nouo per huiusmodi simplicem propositionem, & annuntiationem, cùm talis annuntiatio nullum sit argumentũ aut motiuum ad credendum. Imò, vt Caieta. ait secũda secundæ, quæstio. 1. articu. 4. temere & imprudenter quis crederet aliquid, maximè in his, quæ spectant ad salutem, nisi cognoscat à viro fide digno

gno illud asseri. quod barbari non cognoscunt, cum ignorent qui, aut quales sint, qui eis nouam religionem proponunt. Et confirmatur, quia vt ait S. Tho. secunda secundæ. q. 1. arti. 4. ad secundum argumen. & artic. 5. ad primum, ea quæ sunt fidei, sunt visa, & euidentia sub ratione credibilis. non enim fidelis crederet nisi videret ea esse credenda, vel propter euidentiam signorum, vel propter aliquod huiusmodi. ergo vbi neq; huiusmodi signa, neq; aliquod aliud ad persuadendũ concurrit, non tenentur barbari credere. Et confirmatur, quia si simul Saraceni eodem modo proponerent barbaris sectam suam simpliciter, sicut Christiani, non tenerentur eis credere, vt certum est. ergo nec Christianis sine aliquo motiuo, & suasione proponentibus, quia non possunt, nec tenentur diuinare vtra sit verior religio, nisi appareant ꝓbabiliora motiua pro altera parte. hoc enim esset citò credere, quod est leuis corde, vt dicit Eccle siasticus. c. 19. Et confirmatur per illud Iohan. 15. Si signa non fecissem, &c. peccatum non haberẽt. ergo vbi nulla fiunt signa, neq; motiua, nullũ erit
55 peccatum. Ex qua propositione sequitur, * quod si solùm illo modo proponatur fides barbaris, & non recipiant, non hac ratione possunt Hispani inferre illis bellum, neq; iure belli contra eos agere. Patet, quia sunt innocentes quantum ad hoc, nec fecerunt aliquam iniuriam Hispanis. Et confirmatur

firmatur hoc corollarium, quia vt S. Tho. tradit secunda secundæ. q. 40. arti. 1. ad bellum iustum requiritur causa iusta, vt scilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Vnde Augustinus dicit lib. 83. q. Iusta bella solent diffiniri, qui vlciscuntur iniurias, si gens, vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit quod à suis improbe factũ est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est. Si ergo nulla præcesserit à barbaris iniuria, nulla est causa iusti belli. Et hæc est sententia communis omnium doctorum, non solum theologorum, sed etiam iurisconsultorum, vt Hostiensis, Innocentij, & aliorũ. Et ponit eam diserte Caieta. secunda secundæ. q. 66. arti. 8. nec scio aliquem doctorem qui oppositum sentiat. Vnde hic non esset legitimus titulus ad occupandas prouincias barbarorum, & spoliãdos priores dominos.

Tertia propositio, Si * barbari rogati & admoniti, vt audiant pacificè loquentes de religione, nollent audire, non excusarentur à peccato mortali. Probatur, Quia, vt supponimus, illi habẽt graues errores, de quibus non habent rationes verisimiles, aut probabiles. ergo si quis admoneat eos, vt audiãt, ac deliberent de rebus spectantibus ad religionẽ, tenẽtur saltẽ audire, & cõsultare. Itẽ necessariũ est eis ad salutem credere in Christum, & baptizari. Marci vltimo, qui crediderit, &c. Sed 36

non possunt credere, nisi audiant. ad Rom. 10. ergo tenentur audire, aliàs essent extra statum salutis, sine culpa sua, si non tenentur audire.

37 Quarta propositio, Si* fides Christiana proponatur barbaris probabiliter, id est cum argumentis probabilibus, & rationabilibus, & cum vita honesta, & secundum legem naturæ studiosa, quæ magnum est argumentum ad confirmandam veritatem: & hoc non semel, & perfunctoriè, sed diligenter, & studiosè, barbari tenentur recipere fidem Christi sub pœna peccati mortalis. Probatur ex. 3. conclusione, Quia si tenētur audire, ergo & acquiescere auditis si sunt rationabilia: & patet manifestè ex illo Marci vltimo, Euntes in mūdū vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturę. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Et per illud Actorum. 4. Non est aliud nomē datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.

38 Quinta propositio,* Non satis liquet mihi, an fides Christiana fuerit barbaris, hactenus ita proposita, & annuntiata, vt teneantur credere sub nouo peccato. Hoc dico, quia (vt patet ex secunda propositione) non tenentur credere, nisi proponatur eis fides cum probabili persuasione. Sed miracula, & signa nulla audio, nec exēpla vitæ adeò religiosa: imo contrà, multa scādala, & scęua facinora, & multas impietates. Vnde non videtur ꝙ religio

gio Christiana satis cõmodè, & piè sit illis prædicata, vt illi teneantur acquiescere: quanquã videntur multi religiosi, & alij ecclesiastici viri, & vita, & exemplis, & diligenti prædicatione sufficiẽter operam & industriam adhibuisse in hoc negotio, nisi ab alijs, quibus alia cura est, impediti essent.

Sexta propositio, * Quantuncunque fides annuntiata sit barbaris probabiliter & sufficienter, & noluerint eam recipere: non tamen hac ratione licet eos bello persequi, & spoliare bonis suis. Hæc conclusio est expressa S. Tho. secunda secundæ. q. 10. artic. 8. vbi dicit, q infideles, qui nunquã susceperunt fidem, sicut Gentiles, & Iudæi, nullo modo sunt compellendi ad fidem. Et est conclusio communis doctorum etiam in iure canonico & ciuili. Et probatur, Quia credere est voluntatis timor autem multùm minuit de volũtario. 3. Ethico. & ex timore seruili dũtaxat accedere ad mysteria, & sacramenta Christi, sacrilegum est. Item probatur ex cap. de Iudæis. 45. distin. De Iudæis autẽ præcepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendũ vim inferre cui enim vult, Deus miseretur, & quem vult, indurat. Nõ est dubiũ quin sententia concilij Toletani sit, vt non agatur cum Iudæis minis & terroribus ad recipiẽdam fidem. Et idem dicit expressè Grego. in. c. qui sincera. eadem distin. Qui sincera (inquit) intentione extraneos à Christiana religione, ad fidem cupiũt perfectam

39

fectam perducere, blandimentis debent, nõ aſperitatibus ſtudere: nam quicunque aliter agunt, & eos ſub hoc velamine à conſueta ſui ritus voluerint cultura remouere, ſuas illic magis quàm Dei cauſas probantur attendere. Item probatur propoſitio ex vſu & conſuetudine eccleſiæ. Nunquã enim imperatores Chriſtiani, qui ſanctiſsimos, & ſapientiſsimos pontifices à conſilio habebãt, bellum intulerunt infidelibus, eo quòd nollent recipere Chriſtianam religionem. Item bellum, nullũ argumentum eſt pro veritate fidei Chriſtianæ, ergo per bellum barbari non poſſunt moueri ad credendum, ſed ad fingendum ſe credere, & recipere fidem Chriſtianam, quod immane, & ſacrilegum eſt. Et quanuis Scot. in. 4. diſt. 4. q. vltima, dicat. q religioſe fieret, ſi infideles cogerẽtur à principib⁹ minis & terroribus ad fidem: hoc tamẽ non videtur intelligere, niſi de infidelibus, qui aliâs ſunt ſubditi principum Chriſtianorum, de quibus poſtea dicetur. barbari autem nõ ſunt tales: vnde puto q nec Scotus hoc aſſereret de barbaris iſtis. Patet itaq;, q neq; iſte titulus idoneus eſt, & legitimus ad occupandas prouincias barbarorum.

Alius titulus prætenditur ſeriò, & eſt titulus quintus, ſcilicet peccata ipſorũ barbarorũ. Dicũt enim q licet non poſsint bello infeſtari ratione infidelitatis ſuæ, aut quia nõ recipiũt fidem Chriſtianam, poſſunt tamen bello peti, propter alia

pecca

peccata mortalia, quæ multa habent & ipsa grauissima, vt aiunt. Circa peccata autem mortalia distingunt. Dicunt enim, quòd sunt aliqua peccata, quæ non sunt contra legem naturæ, sed solũ contra legem diuinam positiuam: & pro his barbari non possunt infestari bello. Alia autem sunt contra naturam, vt esus carnis humanæ, concubitus indifferens, cum matre, sororibus, & cum masculis: & pro his possunt infestari bello, & cogi, vt ab his desistant. Et ratio vtriusque est, quia circa alia peccata, quæ sunt cõtra legem positiuam, nõ potest eis ostendi euidenter, quòd malè faciant: circa alia autem quæ sunt contra legẽ naturæ, potest eis ostendi, quòd offendunt Deum: & per cõsequens possunt coerceri ne offendant eum amplius. Præterea possunt cogi vt seruent legẽ, quã ipsi profitentur, ea autem est lex naturæ. ergo. Hęc est opinio. Archiepisc. Floren. 3. parte, titu. 22. cap. 5. §. 8. post August. de Anch. idem Sylvest. in verb. papa. §. septimo: & est opinio. Innocẽ. in. c. quòd super his. de voto. vbi expressè dicit, Credo ꝙ si gentiles, qui non habent nisi legem naturæ, contra legem naturæ faciant, poterunt per papã puniri. Et arguitur ex Genes. 19. vbi Sodomitę puniti sunt à Deo. Cùm autem Dei iudicia sint nobis exemplaria, non video quare papa, qui est vicarius Christi, hoc non possit. Hæc Innocen. Et eadem ratione poterunt authoritate papæ puni-

ri à principibus Christianis. Sed pono conclusio-
40 nẽ, Principes* Christiani, etiã autoritate papę nõ
possunt coercere barbaros à peccatis contra legẽ
naturæ. nec ratione illorum eos punire. Probatur
primo. Quia isti prę supponunt falsum, videlicet
q̃ papa habeat iurisdictionẽ in illos, vt supra di-
ctũ est. secundo, quia vel intelligũt vniuersaliter
pro peccatis contra legẽ naturæ, vt pro furto, for
nicatione, adulterio, vel peculiariter pro peccatis
contra naturã, de quibus. S. Tho. secũda secundæ.
q. 154. art. 11. & 12. quomodo peccatũ contra natu
ram dicitur non solũ quia est contra legẽ naturæ,
sed contra ordinẽ naturalem, quod. 2. ad Corin. 2.
vocatur immũditia, secũdũ glo. vt cõcubitus pue
rilis, & bestialis, vel fœminę ad fœminam: de quo
ad Rom. 1. Si secũdo modo solùm, cõtra arguitur.
Quia homicidiũ est ita graue, vel grauius pecca-
tũ, & ita manifestũ, q̃ si pro illis licet, ergo & pro
homicidio. Itẽ blasphemia est ita graue peccatũ,
& ita manifestum ergo. Si primo modo, id est ge
neraliter pro omni peccato cõtra legẽ naturæ: cõ
tra, pro fornicatione non licet. ergo nec pro alijs
peccatis quæ sunt contra legẽ naturæ. Antecedẽs
patet. 1. ad Cor. 5. Scripsi vobis in epistola, ne com
misceamini fornicarijs. Et præterea, si quis frater
nominatur inter vos fornicator, aut idolis seruiẽs
&c. & infra, Quid enim mihi de his, quę foris sunt
iudicare? vbi S. Tho. dicit, Prælati acceperũt pote

statem

testatē super eos tantùm, qui fidei se subdiderūt. Vbi apertè patet, q̄ Paulus dicit non spectare ad eum iudiciū de infidelibus, & fornicarijs idololatris. Itē nec omnia peccata cōtra legē naturæ possunt euidenter ostēdi, saltem omnibus. Item hoc tantūdem est dicere, ac si quis dicat, q̄ propter infidelitatē liceat barbaros debellare: omnes enim sunt idololatræ. Item non licet papæ inferre bellū Christianis, quia sunt fornicarij, aut fures, imo quia cynedi: nec ideo potest publicare terras eorum, & dare alijs principibus, hoc enim modo cū in omni prouincia sint multi peccatores, quotidie possent mutari regna. Et cōfirmatur grauiora enim peccata sunt hęc apud christianos, qui sciūt illa esse peccata quā apud barbaros, qui ignorant esse peccata. Itē mirū est q̄ papa nō possit ferre leges infidelib⁹, & possit exercere iudicia, & inferre pœnas. Itē arguitur, & certè videtur conuincere, quia vel barbari tenētur ferre pœnas illatas pro illis peccatis, vel nō. Si nō tenentur, ergo nec papa potest inferre. si tenētur, ergo tenētur recognoscere papā tanquam dūm, & legislatorem. ergo si nō recognoscant, iam propter hoc solùm potest eis inferri bellum: quod etiam illi negant, vt supra dictum est. Et profectò mirum est quòd possint impune negare authoritatem, & iurisdictionem papæ: & tamen teneantur subire iudicium eius. Item non possunt acceptare iudicium papæ, qui

nõ sunt Christiani. nullo enim alio iure papa potest eos cõdemnare aut punire, nisi quia vicarius Christi. Sed isti fatentur, tam Innocentius, quam August. de Ancho. quàm etiam Archiepi. & Sylvest. quòd non possunt puniri, quia non recipiũt Christum. ergo nec quia non recipiunt iudicium papæ. hoc enim præsupponit illud. Et confirmatur, q nec iste titulus, nec præcedens sit sufficiẽs. Quia etiam in veteri Testamento, vbi tamen armis res gerebantur, nunquam populus Israel occupauit terras infidelium: vel quia essent infideles, & idololatræ, vel quia haberent alia peccata contra naturam, qui multa habebant, quia erant idololatræ, & alia peccata contra naturam habebant, vt quia sacrificabãt filios suos, & filias suas dæmonijs: sed vel ex speciali dono Dei, vel quia transitum impediebant, vel eos offenderãt. Item quid isti vocant, profiteri legem naturæ? si est cognoscere, non totam cognoscunt: si est velle seruare legem naturæ, contra, etiam volunt seruare totam legem diuinam. si enim scirent legem Christianam esse diuinã, vellent seruare. ergo non magis profitentur legem naturæ, quàm Christianã. Item profectò maiores probationes habemus ad probandum legem Christi esse à Deo, & esse veram quàm ad probãdum quòd fornicatio est mala, vel querenda alia, etiam lege naturali prohibita. Ergo si possunt cogi ad obseruandum legem

naturæ, quia potest probari: ergo etiam ad obser uationem legis euangelicæ.

Restat alius & sextus titulus, qui potest prætẽdi, vel prætenditur, scilicet per electionem voluntariã. Hispani enim cùm ad barbaros perueniunt, significant eis, quẽadmodum rex Hispaniæ mittit eos pro cõmodis eorum, & admonent eos, vt illum pro domino, & rege recipiant, & acceptent. & illi retulerunt placere sibi. & nihil tam naturale est. quàm voluntatẽm domini volentis rem suã in alium transferri ratam haberi. Instit. de rerũ diuisione. §. per traditionem. Sed ego pono conclusionem. Nec iste titulus est idoneus. Patet primò, Quia deberet abesse metus, & ignorãtia, quæ vitiant omnem electionem. Sed hæc maximè interuenit in illis electionibus, & acceptationibus. nesciũt enim barbari quid faciunt, imò forte nec intelligunt quid petunt Hispani. Item hoc petũt circunstantes armati ab imbelli turba, & meticulosa. Item cùm illi (vt suprà dictum est) haberent veros dominos, & principes, non potest populus sine alia rationabili causa accersere nouos dominos: quod est in detrimentum priorum. Item nec econtrario ipsi domini possunt nouum principẽ creare sine assensu populi. Cum ergo in nullo dictorum electionibus & acceptationibus non concurrant omnia requisita ad legitimam electionem, omnino ille titulus non est idoneus, nec legiti-

mus ad occupãdas & obtinẽdas illas prouincias.

Septimus titulus est qui possit prætendi, scilicet ex speciali dono Dei. dicunt enim nescio qui, quòd Dominus in suo peculiari iudicio condemnauit istos barbaros omnes ad perditionem, propter abominationes suas, & tradidit in manus Hispanorum, sicut olim Cananæos in manus Iudæorum. Sed de hoc nolo multùm disputare, quia periculosè crederetur alicui prophetiam asserenti contra communem legem, & contra regulas Scripturæ, nisi miraculis cõfirmaretur doctrina sua: quæ tamen nulla proferuntur ab huiusmodi prophetis. Item dato quòd ita esset, quòd Dominus perditionem barbarorum facere constituisset, non tamen ideo cõsequitur, quòd ille, qui eos perderet, esset sine culpa, sicut nec erant sine culpa reges Babyloniæ, qui contra Hierusalem ducebant exercitum, & filios Israel ducebant in captiuitatem: licet re vera totum fuerit ex peculiari prouidentia Dei: sicut sæpe illis erat prædictum. Nec Ieroboam rectè auertit populum Israel à Roboam, quamuis hoc factum fuisset consilio Domini, sicut etiam Dominus per Prophetam comminatus fuerat: & vtinam secluso peccato infidelitatis, non sint maiora peccata in moribus apud aliquos Christianos, quàm sunt inter illos barbaros. Scriptum quoque est. 1. Iohã. 4. Nolite credere omni spiritui, sed probate spiritus,

vtrum ex Deo sint. & vt ait Sanctus Thom. prima secundæ, quæstio. 68. Dona dantur à Spiritu sancto ad perficiendum virtutes. Vnde vbi fides, aut authoritas, aut prouidentia ostendit quid agendum sit, non est recurrendum ad dona. Hæc de falsis & non idoneis titulis occupandi prouincias barbarorum sufficiant. Sed notandum, quòd ego nihil vidi scriptum de hac quæstione, nec vnquam interfui disputationi, aut cõsilio de hac materia: vnde fieri posset, vt alij fortasse fundent titulum, & iustitiam huius negotiationis, & principatus in aliquo prædictorum, non sine ratione aliqua. Sed ego hactenus non possum aliud intelligere, nisi quod dictum est: vnde si non essent alij tituli quàm isti, profectò malè consultum esset saluti principum, vel potiùs eorum, ad quos spectat hæc detegere. nã principes sequũtur aliorum consilium: quia per se hæc examinare non possunt. Quid prodest, inquit dominus, homini si vniuersum mundum lucretur, seipsum verò perdat, & detrimentum sui faciat?

Matthæ. 16. & Marc. 8.
& Lucæ. 9.

DE

DE TITULIS, QVIBVS barbari potuerint venire in ditionem Hispanorum.

SVMMA.

1 *Barbari quomodo potuerunt venire in ditionem Hispanorum ratione naturalis societatis, & cõmunitatis.*

2 *Hispani habent ius peregrinandi ad Indorum barbarorum prouincias, & illic degendi, sint eorum tamen nocumento aliquo, nec possunt ab illis prohiberi.*

3 *Hispanis licet apud Indos barbaros negotiari, sine patriæ tamen incõmodo, importando merces, quibus illi carent, &c, & efferendo inde aurum, & argentũ, vel alia quibus abundant. nec illorum Principes possunt impedimento esse quominus subditi exerceant cõmercia inter Hispanos, &c.*

4 *Barbaris, non licet prohibere Hispanos à communicatione & participatione illorũ, quæ apud eos sunt communia tam ciuibus, quàm hospitibus.*

5 *Liberi, si apud Indos nascantur ex parentibus Hispanis illic domicilium habentibus & velint esse ciues, non possunt arceri, vel à ciuitate, vel à ecclesiastico aliorum ciuium.*

6 *Barbari si vellent prohibere Hispanos à commercio cũ ipsis, &c. quid esse agendum.*

7 *Hispani si omnibus modestissimè tentatis, non possunt conse-*

consequi securitatem cum barbaris seu Indis, nisi ciuitates ocupando, & subijciendo illos, an hoc facere licitè possint, s. ciuitates occuparc, & ipsos subijcere.

8 Hispani, quando, & in quo casu possent sæuire in barbaros tanquam in perfidos hostes, & in illos omnia belli iura prosequi, eos spoliare, imô & in captiuitatem redigere, quin etiam & dominos priores deponere, & nouos constituere.

9 An barbari causa religionis Christianæ propagandæ potuerint in Hispanorũ ditionẽ venire. Et q̃ Christiani habent ius prædicandi, & annuntiandi Euangelium in prouincijs barbarorum.

10 Papa, potuit negotium conuersionis Indorum barbarorum solis Hispanis demandare, & omnibus alijs nõ solùm prædicationem, sed etiam cõmerciũ interdicere, si ita expediret ad Christianæ religionis ꝓpagationẽ.

11 Barbari, non sunt debellandi, neque suis bonis priuandi si permittant Hispanos liberè, & sine impedimento Euangeliũ prædicare, siue illi fidẽ recipiant, siue non.

12 Barbari, siue eorum domini, siue ipsa multitudo, impedientes Euangelij promulgationem, quomodo ab Hispanis (absque scãdalo tamen) possint cocrceri. Et quid dicendum de his, qui prædicationem admittunt, conuersos, vel examen aut interficientes, aut punientes, ad Christianos conuersos aut alios deterrentes impediunt.

13 Barbari, quomodo potuerunt in Hispanorum ditionem venire, eo quòd cum essent conuersi, & Christiani effecti, eorum principes vi, aut metu volentes eos ab idolola-

lolatria reuocare, ab Hispanis fuerint protecti, & sub eorum tutelam recepti.

14 *Barbari, in Hispanorum venire potuerunt ditionem: quia cum bona pars eorum esset ad Christum conuersa Papa, illis petentibus, aut non petentibus, potuit ex rationabili causa dare illis Christianum principem, vt est Hispanorum rex, alijs dominis infidelibus repulsis.*

15 *An barbari in ditionem Hispanorũ venire potuerint propter tyrãnidem suorũ domonorũ vel propter leges tyrannicas in iniuriam innocentium.*

16 *Barbari indi, potuerunt in Hispanorum ditionem venisse per veram, & voluntariam electionem.*

17 *Barbari, societatis, & amicitiæ titulo potuerunt venire in ditionem Hispanorum.*

18 *An Hispani potuissent barbaros redigere sub ditionem, suam si certò constaret eos esse amentes.*

NVNC dicam de legitimis titulis, & idoneis, quibus barbari venire potuerunt in ditionem Hispanorum. Et circa hoc sit prima cõclusio, Hispani * habent ius peregrinãdi in illas prouincias, & illic degendi, sine aliquo tamen nocumento barbarorũ, nec possunt ab illis prohiberi. Probatur, 1. no ex iure gentium, quod vel est ius naturale, vel deriuatur ex iure naturali. Insti. de iure naturali, genti. quod naturalis ratio inter omnes gentes cõstituit vocatur ius gẽtium. Apud omnes enim nationes habe-

habetur inhumanũ sine aliqua speciali causa hospites & peregrinos malè accipere: econtrario autem humanũ, & officiosum, habere benè erga hospites: quod non esset, si peregrini malè facerent, accedentes ad alienas nationes. Secundò, A principio orbis (cũ omnia essent cõmunia) licebat vni cuiq; in quãcunq; regionem vellet, intendere, & peregrinari. Non autẽ videtur hoc demptum per rerũ diuisionem. nunquam enim fuit intentio gẽtium per illam diuisionem tollere hominum inuicem cõmunicationem: & certè temporibus Noe fuisset inhumanũ. Tertio, Omnia licent, quę non sunt prohibita, aut aliâs sunt in iniuriã aut detrimentum aliorum. Sed (vt supponimus) talis peregrinatio Hispanorum est sine iniuria aut damno barbarorũ: ergo est licita. Quartò non liceret Gallis prohibere Hispanos à peregrinatione Galliæ, vel etiã habitatione, aut ècõtrariò, si nullo modo cederet in damnũ illorũ, nec facerent iniuriã. ergo nec barbaris. Itẽ quintò, Exiliũ est pœna etiã inter capitales. ergo nõ licet relegare hospites sine culpa. Itẽ, sextò. Hæc est vna pars belli, prohibere aliquos tanquam hostes à ciuitate, vel prouincia, vel expellere iam existentes. Cum ergo barbari non habeant iustum bellum contra Hispanos, Supposito quòd sint innoxij ergo non licet illis prohibere Hispanos à patria sua. Item septimò facit illud Poëtæ.

Quod

Quod genus hoc hominum, quæue hunc tam barbara morem.

Permittit patria, hoſpitio prohibemur arenæ? Item octauo, Omne animal diligit ſibi ſimile. Eccleſiaſt. 17. ergo videtur q̃ amicitia inter homines ſit de iure naturali: & q̃ contra naturam eſt vitare cõſortium hominum innoxiorum. Item nonò facit illud Matth. 25. Hoſpes eram, & nõ collegiſtis me. Vnde cùm ex iure naturali videatur eſſe recipere hoſpites, illud Chriſti iudicium ſtatuetur cũ omnibus. Decimò, iure naturali communia ſunt omnium, & aqua profluens, & mare: item flumina, & portus, atq; naues iure gentium vndecũq; licet applicare. Inſtitu. de rerum diuiſione, & eadem ratione videtur publicè. ergo neminem licet ab illis prohibere. ex quo ſequitur, quòd barbari iniuriam facerent Hiſpanis, ſi prohiberent illos à ſuis regionibus. Item vndecimò, ipſi admittunt omnes alios barbaros vndecunq;. ergo facerẽt iniuriam non admittentes Hiſpanos. Item duodecimò, Quia ſi Hiſpanis nõ liceret peregrinari apud illos, vel hoc eſſet iure naturali, aut diuino, aut humano: naturali & diuino certè licet. ſi autem lex humana eſſet, quæ prohiberet ſine aliqua cauſa à iure naturali, & diuino, eſſet inhumana, nec eſſet rationabilis, & per cõſequens nõ haberet vim legis. Decimo tertiò, Vel Hiſpani ſunt ſubditi illorum, vel non. Si non ſunt ſubditi, ergo nõ poſſunt

sunt prohibere. Si sunt subditi, ergo debent eos bene tractare, Itẽ decimoquartò, Hispani sunt proximi barbarorum, vt patet ex Euangelio Luc. 10. de Samaritano. Sed tenentur diligere proximos, Matth. 22. sicut se ipsos. ergo non licet prohibere illos à patria sua sine causa. Augusti. de doctrina christiana, Cum dicitur, Diliges proximum tuũ, manifestum est omnẽ hominem proximum esse.

3 Secunda propositio, Licet Hispanis negotiari apud illos, sine patriæ tamen damno, puta importantes illuc merces, quibus illi carent: & adducentes illinc vel aurum, vel argentum, vel alia, quibus illi abundant. nec principes illorum possunt impedire subditos suos ne exerceant commercia cum Hispanis, nec econtrario principes Hispanorum possunt cõmercia cũ illis prohibere. Probatur ex prima. Primò, quia etiã hoc videtur ius gentium, vt sine detrimẽto ciuium peregrini cõmercia exerceant. Itẽ secundò eodem modo probatur, Cùm hoc liceat iure diuino, ergo lex quæ hoc prohiberet sine dubio, non esset rationabilis. Item tertio, Principes tenẽtur diligere Hispanos iure naturali. ergo non licet eis si potest fieri sine detrimento illorum, prohibere illos à commodis suis sine causa. Quartò, Quia videntur facere contra illud prouerbium, Non facies alteri, quod tibi fieri non vis. Et in summa certum est, quòd non plus possunt barbari prohibere Hispanos à com-

mercio suo, quàm Christiani possunt prohibere alios Christianos. Clarum est autem, quòd si Hispani prohiberent Gallos à cõmercio Hispaniarum, non propter bonum Hispaniæ, sed ne Galli participent aliquam vtilitatem, lex esset iniqua, & contra charitatem. si autem hoc lege caueri iustè non potest, nec etiam facto fieri quia lex non est iniqua, nisi propter executionẽ legis. & vt dicitur. ff. de iusti. & iure, velut vim inter homines omnes cognationem quãdam, natura constituit) vnde contra ius naturale est, vt homo hominem sine aliqua causa auersetur. Non enim homini homo lupus est, vt ait Ouidius, sed homo.

4 Tertia propositio, Si* quæ sunt apud barbaros cõmunia tam ciuibus quàm hospitibus, non licet barbaris prohibere Hispanos à communicatione & participatione illorum. Exempli gratia, Si licet alijs peregrinis vel effodere aurum in agro cõmuni vel ex fluminibus, vel piscari margaritas in mari, vel in flumine: non possunt barbari prohibere Hispanos, sed eo modo duntaxat, quo alijs, licet ipsis hæc & huiusmodi facere dummodo ciues, & naturales incolæ non grauentur. Hæc probatur ex prima, & secunda. Nam si licet Hispanis peregrinari & negotiari apud eos, ergo licet eis vti legibus & commodis omnium peregrinorum. Secundò, Quia quæ in nullius bonis sunt, iure gentium sunt occupantis. Insti. de rerum diui. §. ferè bestiæ.

bestię. ergo si aurũ in agro, vel margaritæ in mari, aut aliud quodcũq; in fluminib⁹ nõ est appropria tũ, iure gentiũ erit occupãtis, sicut & pisces in ma ri. Et quidẽ multa videntur procedere ex iure gẽ-tiũ, quod quia deriuatur sufficienter ex iure natu rali, manifestã vim habet ad dãdum ius & obligã dũ. Et dato ꝙ nõ semper deriuetur ex iure natura li, satis videtur esse cõsensus maioris partis totius orbis, maximè pro bono cõmuni omniũ. Si enim post prima tẽpora creati orbis, aut reparati post diluuiũ, maior pars hominum cõstituerit, vt legà ti vbique essent inuiolabiles, vt mare esset cõmu-ne, vt bello capti essent serui, & hoc ita expediret vt hospites non exigerentut: certè hoc haberet vim, etiam alijs repugnantibus.

Quarta propositio, Imo *si ex aliquo Hispano nascantur ibi liberi, & velint esse ciues, non vide-tur quòd possint prohiberi, vel à ciuitate vel â cõ-modis aliorum ciuium. dico ex parentibus habẽ-tibus illic domicilium. Probatur, Quia hoc vide-tur esse de iure gentium, vt ciuis dicatur, & sit, qui natus est in ciuitate. ff. de appe. l. ciues. Et confir-matur, Quia cum homo sit animal ciuile, talis na-tus in vna ciuitate. non est ciuis alterius ciuita-tis. Si ergo non esset ciuis illius non esset ciuis ali-cuius ciuitatis, per quod impediretur à iure na-turali, & gentium: imò si qui vellent accipere do-micilium in aliqua ciuitate illorum, vt accipiẽdo

vxorem, vel alia ratione, qua alij peregrini solent fieri ciues: non videtur quòd possint prohiberi plusquam alij: & per consequens gaudere priuilegijs ciuium sicut alij, modò etiam subeant onera aliorum. Etiam facit, quòd hospitalitas cõmen datur. 1. Pe. 4. Hospitales inuicem. &. 1. ad Timo. 3 de episcopo, Oportet episcopũ hospitalem esse, vnde è contrario nolle accipere hospites, & peregrinos, est de se malum.

Quinta propositio, Si barbari velint prohibere Hispanos in supra dictis â iure gentium, putà vel commercio, vel alijs, quæ dicta sunt, Hispani primò debent ratione, & suasionibus tollere scandalum, & ostendere omni ratione se non venire ad nocendum illis, sed pacifice velle hospitari, & peregrinari sine aliquo incommodo illorum: & nõ solùm verbis, sed etiam ratione ostendere, iuxta illud, Omnia sapientes prius verbis experiri decet. Quòd si reddita ratione barbari nolunt acquiescere, sed velint vi agere, Hispani possunt se defendere, & omnia agere ad securitatem suam conuenientia: quia vim vi repellere licet, nec solùm hoc, sed si aliter tuti esse non possunt, artes, & munitiones ædificare: & si acceperint iniuriam, illam authoritate principis bello prosequi, & alia belli iura agere. Probatur, Quia causa belli iusti est ad propulsandam & vindicãdam iniuriam, vt supra dictum est ex. S. Thom. secunda secundæ. q. 40.

sed

sed barbari prohibẽtes à iure gentium Hispanos, faciunt eis iniuriam: ergo si necesse sit ad obtinendum ius suum bellum gerere, possunt hoc licitè facere. Sed est notãdum, quòd cùm barbari isti sint natura meticulosi, & aliâs stolidi, & stulti, quantuncunque Hispani velint eos, demere â timore & reddere eos securos de pacifica conuersatione: possunt adhuc meritò timere, videntes homines cultu extraneos, & armatos, & multo potẽtiores se. Et ideo si cõmoti hoc timore cõcurrunt ad exigendos, vel occidendos Hispanos, liceret quidem Hispanis se defendere, & seruato moderamine inculpatæ tutelæ, nec alia belli iura liceret exercere in illos, putâ vel parta victoria, & securitate, occidere illos, vel spoliare, vel occupare ciuitates eorum, quia in illo casu sunt innocentes, & meritò timent, vt supponimus. Et ideò debent Hispani se tueri: sed quantum fieri poterit cum minimo detrimento illorum, quia est bellum dũtaxat defensiuum. Nec est inconueniens, cùm ex vna parte sit ius, & ex altera ignorantia inuincibilis, ꝙ sit bellum iustum ex vtraque parte. Vt sicut Galli tenent Burgũdiam cum probabili ignorantia, credentes pertinere ad eos, Imperator autem noster habet ius certum ad illam prouinciam, potest bello repetere, & illi illam defendere: sic potest contingere cum barbaris, & hoc multùm est considerãdum. Alia enim sunt iura belli aduersus ho-

mines verè noxios,& iniurios,&alia aduersus innocentes,& ignorantes. Sicut etiam aliter vitandum est scandalum Pharisæorum, aliter pusillorum,& infirmorum.

7 Sexta propositio,Si* omnibus tentatis,Hispani non possunt consequi securitatem cum barbaris,nisi occupando ciuitates, & subijciendo illos, licite possunt hoc etiam facere.Probatur. Quia finis belli est pax,& securitas: vt dicit Augu.ad Bonifaciũ.postquã autem(vt dictũ est) licet Hispanis bellũ susciperc,vel etiam si necesse sit, inferre, ergo licet omnia facere necessaria ad finẽ belli,sci licet ad obtinendam securitatem & pacem.

8 Septima conclusio,Imò* si postquam Hispani omni diligentia,& re, & verbo ostendissent, non stare per eos quin barbari pacificè,& sine damno suarum rerum agant,nihilominus barbari perseuerarent in malitia sua, & contenderent ad perditionem Hispanorũ:iam tunc non tanquam cum innocentibus, sed tãquam cum perfidis hostibus agere possent, & omnia belli iura in illos prosequi, & spoliare illos, & in captiuitatem redigere, & dominos priores deponere,& nouos constituere,moderatè tamen pro qualitate rei & iniuriarũ. Hæc conclusio satis patet,quia,si licet eis bellum indicere,ergo etiã iura belli persequi. Et cõfirmatur, Quia non debent esse melioris conditionis, quia sunt infideles.Sed hæc omnia licerent aduersus

sus Christianos, si semel esset iustum bellum: ergo etiam licent aduersus illos. Item hoc est generale ius gentium, vt omnia capta in bello fiant victoris, vt habetur in. l. si quid in bello. &. l. hostes. ff. de captiuis. &. cap. ius gẽtium. 1. distin. & expressiùs Institu. de rerum diuisio. §. Item quę ab hosti bus. vbi dicitur, quòd iure gentium, quæ ab hosti bus accepimus, statim nostra fiunt, adeò vt etiam homines in nostram seruitutẽ deducantur. Item, quia (vt doctores dicunt in materia de bello) prin ceps, qui habet iustum bellum, fit ipso iure index hostium, & potest eos iuridicè punire, & condem nare pro qualitate iniuriarum. Et confirmantur omnia suprà dicta. Quia legati iure gẽtium sunt inuiolabiles. & Hispani sunt legati Christianorũ: ergo barbari tenentur eos audire saltem benigni-ter, & non repellere. Iste ergo est primus titulus quo Hispani potuerunt occupare prouincias, & principatum barbarorum, modò fiat sine dolo, & fraude, & non quærant fictas causas belli. Si enim barbari permitterent Hispanos pacificè negotia ri apud illos, nullam possent Hispani ex hac par-te prætendere iustam causam occupandi bona il lorum, non plusquam Christianorum.

Alius titulus potest* esse, scilicet causa religio- 9
nis Christianæ propagãdæ: pro quo sit prima cõ clusio, Christiani habent ius prædicandi, & an-nũtiandi Euangelium in prouincijs barbarorum.

Hæc conclusio nota est ex illo, Prædicate Euangelium omni creaturæ, &c. Item, Verbum Domini non est alligatum. 2. Thim. 2. Secundò patet ex prædictis, Quia si habent ius peregrinandi, & negotiandi apud illos, ergo possunt docere veritatẽ volentes audire, maximè de spectantibus ad salutem, & fœlicitatem multò magis, quàm de spectãtibus ad aliquam humanam disciplinam. Tertiò, Quia aliàs illi essent extra statutũ salutis, si non liceret Christianis ire ad eos ad annũtiandum Euãgelium. Quartò, Quia correctio fraterna est de iure naturali, sicut & dilectio. cùm ergo omnes illi sint non solùm in peccatis, sed extra statutum salutis: ergo ad Christianos spectat corrigere & dirigere eos, imò videtur quòd teneantur ad hoc. Quinto & vltimo, Quia sunt proximi, vt supra dictum est, sed vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Ecclesiasti. 17. ergo spectat ad Christianos instituere illos ignorantes, de diuinis rebus.

10 Secunda conclusio, Licet* hoc sit commune & liceat omnibus, tamẽ papa potuit hoc negotium mandare Hispanis, & interdicere omnibus alijs. Probatur, Quia licet, vt supra dictũ est, papa non sit dominus temporalis, tamen habet potestatem in tẽporalibus in ordine ad spiritualia. ergo cùm spectet ad papam specialiter curare promotionẽ Euangelij in totum orbem, si ad prædicationem Euangelij in illis prouincijs commodiùs possent

principes

principes Hispani dare operam, potest eis committere, & interdicere omnibus alijs: & non solũ interdicere prædicationem, sed etiam cõmerciũ, si hoc ita expediret ad religionis Christianæ propagationem, quia potest ordinare temporalia, sicut expedit spiritualibus. Si ergo hoc ita expedit, ergo spectat ad authoritatem & potestatem summi pontificis: sed omnino videtur ita expedire, eo quòd si indiscriminatim ex alijs prouincijs Christianorum concurrerent ad illas prouincias, possent se inuicem facilè impedire, & excitare seditiones: vnde & tranquillitas impediretur, & turbaretur negotium fidei, & cõuersio barbarorum. Præterea cùm principes Hispani suis auspicijs, & sumptibus primi omnium eam nauigationẽ susceperint, & tam feliciter nouũ orbem inuenerint: iustum est, vt ea peregrinatio alijs interdicatur, & ipsi solùm fruantur inuentis. Sicut etiam pro pace conseruanda inter principes, & religione amplificanda, potuit papa prouincias Saracenorum inter principes Christianos ita distribuere, ne alius in alterius partes trãseat: sic etiam posset pro cõmodo religionis principes creare, & maximè vbi antea nulli fuissent principes Christiani.

Tertia cõclusio, Si* barbari permittant Hispanos liberè & sine impedimento, prædicare Euangelium, siue illi recipiant fidem, siue non: non licet hac ratione intentare illis bellum, nec aliàs oc- 11

cupare terras illorum. Hæc probata est superiùs, vbi cõfutauimus quartum titulũ: & per se patet, quia nunquã est bellum iustum, vbi nulla præcessit iniuria: vt dicit S. Tho. secunda secundæ. quæstio. 40. articu. 1.

12 Quarta cõclusio, * Si barbari, siue ipsi domini, siue etiã multitudo impediant Hispanos quominus liberè annũtient Euangelium, Hispani reddita prius ratione ad tollendum scandalũ, possunt illis inuitis prædicare, & dare operã ad conuersionem gentis illius: & si sit opus propter hoc, bellũ susc ipere, vel inferre, quousq; parent opportunitatem & securitatem prędicandi Euangelium. Et idẽ est iudiciũ, si etiam permittentes prædicationem, impediãt conuersionẽ, occidentes, vel aliter puniẽtes conuersos ad Christum, vel minis aliter alios deterrentes. Hæc patet, Quia faciunt in hoc barbari iniuriã Hispanis, vt patet ex dictis. habẽt ergo iustã belli causam. Secundò etiam, Quia impediretur cõmodum ipsorum barbarorum, quod deincipes corũ non possunt impedire iustè. Ergo in fauorem illorũ qui opprimuntur, & patiuntur iniuriam, possunt Hispani mouere bellum, maximè cùm res sit tanti momenti. Ex qua etiã conclusione patet, quòd etiam hac ratione, si aliter negotium religionis procurari non potest, licet Hispanis occupare terras, & prouincias illorum, & nouos dominos creare, & antiquos deponere, & prosequi

sequi iure belli, quæ in alijs bellis iustis licitè fieri possent, seruato semper modo, & ratione, ne vltra procedatur, quã opus sit: & vt potiùs de proprio iure remittatur, quàm aliud quod non licet, inuadendo, & semper omnia dirigendo magis ad cõmodum barbarorum, quàm ad proprium quęstũ. Sed considerandũ valde est quod Paul. dicit. 1. ad Cor. 6. Omnia mihi licent sed non omnia expediunt. Hæc enim omnia quæ dicta sunt, intelligũtur per se loquendo. Fieri enim potest, vt per hæc bella, cædes, & spolia, potiùs impediretur conuersio barbarorum, quàm quæreretur, & propagaretur. Et ideo hoc in primis cauendũ est, ne offendi culũ ponatur euãgelio. Si enim ponatur, cessandũ esset ab hac ratione euãgelizãdi, & alia quærenda esset. Sed nos ostẽdimus q̃ per se hęc licẽt. Ego nõ dubito quin opus fuerit vi & armis vt possent Hispani illic perseuerare: sed timeo ne vltra res progressa sit, quàm ius fasq̃ue permittebant. Iste ergo potuit esse secundus titulus legitimus, quo barbari potuerunt cadere in ditionẽ Hispanorum. Sed semper habendum est præ oculis quod statim dictum est, ne hoc quod per se licitum est, reddatur malum per accidẽs: quia bonũ est ex integra causa, malum autem per circunstantiam, ex Aristo. 3. Ethico. & Dionysio. 4. c. de diuinis nominibus.

Alius titulus potuit* esse, qui deriuatur ex isto, 13
& est, Si qui ex barbaris cõuersi sunt ad Christũ,

&

& principes eorum, vi aut metu, volunt eos reuocare ad idololatriam, Hispani hac ratione etiam, possunt, si aliàs fieri non potest, mouere bellum, & cogere barbaros vt desistant ab illa iniuria, & contra pertinaces iura belli prosequi, & per cõsequẽs aliquando dominos deponere, sicut in alijs bellis iustis. & iste potest poni tertius titulus, & non solùm titulus religionis, sed amicitiæ & societatis humanæ. Ex hoc enim quòd aliqui barbari sint conuersi ad religionem Christianam, sunt facti amici & socij Christianorum: & debemus operari bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei, ad Galat. 6.

14 Alius titulus potest esse * Si bona pars barbarorum conuersi essent ad Christum siue iure, siue iniuria, id est, dato quòd minis, aut terroribus, vel aliâs non seruatis seruandis, dũ modo verè essent Christiani, papa ex rationabili causa posset, vel ipsis petentibus, vel etiam non petentibus, dare illis principẽ Christianum, & auferre alios dominos infideles. Probatur, Quia si ita expediret ad cõseruationem religionis Christianæ, quia timetur ne sub dominis infidelibus apostatæ fiant, id est deficiant à fide, vel illa occasione grauentur à suis dñis: infauorẽ fidei papa potest mutare dños. Et confirmatur, Quia (vt doctores dicunt) & expresse. S. Tho. secũda secundæ. q. 10. arti. 10. ecclesia posset omnes seruos Christianos, qui seruiunt infideli-

infidelibus, liberare, etiam si aliâs essent legitimi captiui. & hoc expresse dicit Innocenti. in. d. c. super his. de vot. Ergo magis poterit liberare alios subditos Christianos, qui non sunt tam astricti, sicut serui. Et confirmatur, Quia tantum, vel plus, tenetur vxor viro, sicut subditus domino cùm illud vinculum sit iuris diuini, hoc autem non: sed in fauorem fidei liberatur vxor fidelis à viro infideli, si maritus ei molestus est pro religione, vt patet ex Apostolo. 1. ad Cor. 7. &c. quanto. de diuortijs. Imò ita nunc consuetum est, vt ipso facto, q̃ alter coniugum conuertitur ad fidem, sit liber ab alio coniugum infideli. ergo etiam ecclesia in fauorem fidei, & ad vitandum periculum, potest liberare omnes Christianos ab obedientia, & subiectione dominorum infidelium, secluso scandalo. Et ponitur iste quartus titulus legitimus.

Alius titulus posset* esse propter tyrannidem, vel ipsorum dominorum apud barbaros, vel etiã propter leges tyrannicas in iniuriam innocentũ, puta quia sacrificãt homines innocentes, vel aliâs occidunt indemnatos ad vescendum carnibus eorum. Dico etiam, quòd sine authoritate Pontificis possunt Hispani prohibere barbaros ab omni nefaria consuetudine, & ritu, quia possunt defendere innocentes à morte iniusta. Hoc probatur, Quia vnicuiq; mandauit Deus de proximo suo: & illi omnes sunt proximi: ergo quilibet potest defen-

defendere illos à tali tyrannide,& oppreſsione,& hoc maximè ſpectat ad principes. Item probatur Prouerbio.24.Erue eos, qui ducũtur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes. Nec hoc ſolùm intelligitur cùm actu ducũtur ad mortẽ,ſed etiam poſſunt cogere barbaros, vt ceſſent à tali ritu: & ſi nolũt, hac ratione poſſunt eis bellum inferre, & iura belli in eos perſequi. & ſi aliter tolli nõ poteſt ſacrilegus ritus,poſſunt mutare dominos, & nouum principatum inducere. Et quantum ad hoc habet verum illa opinio Innocen.& Archiepiſco. quòd pro peccatis contra naturam poſſunt puniri. Nec obſtat, quòd omnes barbari conſentiant in huiuſmodi leges, & ſacrificia,nec volunt ſe ſuper hoc vindicari ab Hiſpanis.in his enim nõ ita ſunt ſui iuris, vt poſsint ſeipſos,vel filios ſuos tradere ad mortẽ.& iſte poſſet eſſe quintus titulus legitimus.

16 Alius titulus poſſet eſſe* per veram & voluntariam electionem,putà ſi barbari ipſi intelligentes prudentem adminiſtrationem, & humanitatem Hiſpanorum, vltrò vellẽt accipere in principem regẽ Hiſpaniæ tam domini, quàm alij: hoc enim fieri poſſet, & eſſet legitimus titulus etiam de lege naturali.Quælibet enim reſpublica poteſt ſibi conſtituere dominum, nec ad hoc eſſet neceſſarius conſenſus omnium,ſed videtur ſufficere conſenſus maioris partis. Quia ſicut aliâs diſputauimus

mus in his, quæ spectant ad bonum reipublicæ, illa quæ constituuntur à maiori parte, tenent, etiam alijs contradicentibus: aliâs nihil posset geri pro vtilitate reipublicæ, cùm difficile sit, vt omnes conueniant in vnam sententiam. Vnde si in aliqua ciuitate, aut prouincia, maior pars esset Christianorum, & illi in fauorem fidei, & pro bono communi vellent habere principem Christianum, credo quòd possent eligere, alijs inuitis, etiam relinquendo alios dominos infideles: & dico quòd possent eligere principem, non solùm sibi, sed toti reipublicæ sicut & Galli pro bono suæ reipublicæ mutauerunt principes, & ablato regno à Childerico, tradiderunt Pipino, Caroli magni patri: quam mutationem Zacharias pōtifex comprobauit. & hic potest poni. sextus titulus.

Alius titulus posset esse causa* sociorū & amicorum. Cùm enim ipsi barbari inter se gerant aliquando legitima bella, & pars, quæ iniuriā passa est, habēt ius bellum inferēdi, potest accersere Hispanos in auxilium, & pręmia victorię illis cōmunicare. vt ferūtur fecisse Talcathedani cōtra Mexicanos, qui cum Hispanis cōposuerūt, vt eos iuuarent ad debellandos Mexicanos: haberent autem quicquid iure belli ad eos spectare poterat. Quòd enim hæc sit causa iusta belli pro socijs & amicis, nō est dubiū, vt etiā declarat Caiet. secūda 17

secundæ

secundæ.q.40. arti.1. Quia æquè potest respublica aduocare extraneos ad vindicãdum inimicos contra extraneos malefactores. Et confirmatur, Quia profectò hac maximè ratione Romani dilatauerunt imperium suum, dum scilicet socijs atq; amicis auxilia præstabant, & ea occasione iusta bella suscipicientes, iure belli in possessionem nouarum prouinciarum veniebant. & tamen imperium Romanum approbatur tãquam legitimum à beato Aug. lib. 3. de ciuita. Dei, & à S. Tho. opusculo. 21. & Syluester Constantinum magnũ pro imperatore habuit, & Ambrosius Theodosium. Non videtur autẽ quo alio iuridico titulo venerint Romani in possessionem orbis, nisi iure belli, cuius maximæ occasiones fuerunt defensio, & vindicatio sociorum. Sicut & Abraham ad vindicandum regem Salem, & alios reges qui cum eo fœdus percusserant, dimicauit contra quatuor reges illius regionis. Genes. 14. à quibus ipse nullam iniuriam accepit. Et iste videtur septimus & vltimus titulus, quo potuerũt, aut possent venire barbari eorumq; prouincię in possessionem & dominium Hispanorum.

18 Alius titulus posset * non quidem asseri, sed reuocari in disputationem, & videri aliquibus legitimus. De quo ego nihil affirmare, sed nec omnino condemnare ipsum audeo: & est talis, Barbari enim isti, licet vt suprà dictum est, non omnino

sint

sint amentes, tamen parum distant ab amẽtibus: & ita videtur, q̃ non sint idonei ad constituẽdam vel administrãdam legitimam rempublicam etiã intra terminos humanos, & ciuiles. Vnde nec habent leges conuenientes, neque magistratus, imò nec sunt satis idonei ad gubernandam rem familiarem: vnde etiam carent & literis, & artibus, nõ solùm liberalibus, sed etiam mechanicis, & agricultura diligenti, & opificibus, & multis alijs rebus commodis, imò necessarijs ad vsus humanos. Posset ergo quis dicere, quòd pro vtilitate eorum possent principes Hispani accipere administrationem illorũ, & constituere illis per oppida prę-fectos: & gubernatores: imò etiã illis dare nouos dominos, dummodo cõstaret hoc illis expedire. Hoc inquam posset suaderi, quia si omnes erant amentes, non dubium est quin hoc esset non solũ licitum, sed conuenientissimum: imò tenerentur ad hoc principes, sicut, si omnino essent infantes. Sed videtur quantum ad hoc eadem ratio de illis, & de amentibus, quia nihil, aut paulo plus valent ad gubernandũ se ipsos, quàm amẽtes: imò quàm ipse feræ & bestiæ, nec mitiori cibo quã feræ, nec penè meliori vtuntur: ergo eodem modo possent tradi ad gubernationem sapientiorum. Et confirmatur hoc apparenter. Nam si fortuna aliqua omnes adulti perirent apud illos, & manerent pueri, & adolescentes habẽtes quidem aliqualẽ vsum

rationis, sed intra annos pueritię, & pubertatis: vi
detur profectò, ꝙ possent principes recipere cu-
ram illorum, & gubernare illos quandiu essent in
tali statu. ꝙ si hoc admittitur, videtur certè nō ne-
gandum, quin idem fieri posset circa parētes bar-
baros suppositā hebetudine, quam de illis referūt
qui apud eos fuerunt, quæ multo inquiunt, ma-
ior est, quām apud alias nationes sit in pueris &
amentibus. Et certè hoc posset fundari in præce-
pto charitatis, cùm illi sint proximi nostri, & te-
neamur bona illorum curare. & hoc (vt dixi) sit si
ne assertione propositum, & etiam cum illa limi-
tatione, vt fieret propter bona, & vtilitatem eorū,
& non tantùm ad quæstum Hispanorum. In hoc
enim est totum periculum animarum, & salutis:
& ad hoc posset etiam prodesse illud, quod supra
dictum est, quòd aliqui sunt natura serui: nam ta-
les videntur omnes isti barbari, & sic possent ex
parte gubernari vt serui. Sed ex tota disputatio-
ne videtur sequi, quòd si cessarent omnes isti titu
li, ita quòd barbari nullam rationem iusti belli da
rent, nec vellent habere Hispanos principes, &c.
quòd cessaret tota illa peregrinatio, & cōmerciū
cum magna iactura Hispanorum, & etiam pro-
uentus principum magnum detrimentū accipe-
rent, quod non esset ferendum. Respondetur pri-
mò, Cōmercium non oporteret vt cessaret, quia
vt iam declaratum est, multa sunt apud barbaros,
quibus

quibus ipsi abundant,& per cõmutationem possent Hispani aduehere. Item multa etiã,sunt quę ipsi pro desertis habent, vel sunt cõmunia omnibus volentibus occupare:& Lusitani magnum cõmercium habent cum similibus gẽtibus, quas nõ subiecerunt,& cum magno commodo. Secundo, Fortasse regij reditus non minores essent. nã ęquè iustè posset imponi vectigal super aurum & argẽtum quod à barbaris reportaretur,vel ad quintam partem, vel etiam ad maiorem pro rei qualitate:& merito,cùm nauigatio fuerit à principe inuenta, & sua authoritate essent tuti negotiatores. Tertiò patet, q iam postquam ibi facta est conuersio multorum barbarorum, nec expediret,nec liceret principi omnino dimittere administrationem illarum prouinciarum.

REVERENDI patris fratris Francisci à Victoria, De Indis, siue de iure belli Hispanorum in barbaros, Relectio posterior.

SVMMA.

1 *Christianis licet militare, & bella gerere.*

2 *Bellum gerendi, aut indicendi penes quem sit authoritas.*

3 *Bellum defensiuum, quilibet possit suscipere, & gerere etiam priuatus.*

4 *Inuasus à latrone, aut inimico, an possit repercutere in uasorem, si possit fugiendo euadere.*

5 *Respublica quælibet, habet authoritatem indicendi & inferendi bellum.*

6 *Princeps, eandem authoritatem habet ad indicẽdum & inferendum bellum, sicut respublica.*

7 *Respublica quid est & quis propriè dicatur princeps.*

8 *Respublicæ, aut principes plures, si habeant vnum communem dominum, aut principem, an possint per se inferre bellum sine authoritate superioris principis.*

9 *Reguli, siue Principes, qui nõ præsunt reipub. perfectæ, sed sunt partes alterius reipub. non possunt bellum inferre, aut gerere. Et quid dicendum de ciuitatibus.*

10 *Belli iusti quæ possit esse ratio, & causa. Et quòd iusti belli causa non sit diuersitas religionis, probatur.*

11 *Imperij amplificatio, non est iusta causa belli.*

12 *Principis gloria propria, aut aliud commodum, non est belli iusta causa.*

13 *Iniuria accepta, est vnica & sola causa iusta ad inferendum bellum.*

14 *Iniuria quælibet, & quantauis, non sufficit ad bellum inferendum.*

15 *Bello iusto existente, licet omnia facere quæ ad defensionem boni publici sunt necessaria.*

16 *Bello iusto licet recuperare omnes res perditas, & illarum partem.*

17 *Bello iusto licet occupare ex bonis hostium impensam belli, & omnia damna ab hostibus iniustè illata.*

18 *Princeps iusti belli recuperatis rebus ab hostibus, quid vlterius possit facere.*

19 *Principi iusti belli, licet parta victoria, recuperatis rebus, ac pace etiam & securitate habita, vindicare iniuriam ab hostibus acceptam, & animaduertere in hostes, & punire illos pro iniurijs illatis.*

20 *Bellum vt dicatur iustum, non semper est satis principem credere se habere iustam causam.*

21 *Belli iustitia summopere, & magna cum diligentia examinanda est.*

22 *Subditi, an teneantur examinare causam belli. Et quo modo si subdito constet de iniustitia belli, non liceat ei militare, etiam si Princeps imperet.*

23 *Subditi si habeant conscientiam de iniustitia belli, nõ licet illis sequi bellum, siue errent, siue non.*

24 *Senatores, reguli, & vniuersaliter omnes qui admittũtur, vel vocati, vel etiã vltro veniẽtes ad consiliũ publicũ, vel regis tenẽtur iniusti belli causam examinare.*

25 *Belli causas examinare qui non teneantur, sed possint fide adhibita maioribus, licitè militare.*

26 *Subditos militantes quando non excusaret ignorantia de iniustitia belli.*

27 *Belli iustitia si sit dubia, quid faciendum. Et quomodo si Princeps vnus sit in legitima possessione, manẽte dubio non possit alius bello, & armis repetere.*

28 *Ciuitas, aut prouincia, de qua dubitatur, an habeat legitimum possessorem, maximè si est deserta morte legitimi domini, &c. quid in tali casu sit agendum.*

29 *Dubitans de iure suo, etiam si pacifice possideat, quomodo examinare teneatur diligenter causam, si fortè possit certum scire vel pro se, vel pro alio.*

30 *Examinata causa, quandiu rationabiliter perseuerat dubium, legitimus possessor non tenetur cedere possessioni, sed potest licitè retinere.*

31 *Subditis non solũ licet in bello defensiuo in re dubia sequi principẽ suum in bellũ, sed etiam in bello offensiuo.*

32 *Bellũ an possit ex vtraque parte esse iustũ. Et quomodo secluſa ignorantia hoc non possit contingere.*

33 *Princeps, siue subditus, qui ex ignorantia secutus est bellum iniustum, si postea constiterit ei de iniustitia belli, an teneatur restituere.*

Innocen

34 *Innocentes interficere in bello, an liceat.*

35 *Innocentes interficere, nunquam per se & ex intentione licet.*

Interficere an liceat infantes & fœminas in bello contra Turcas. Et quid dicendum de agricolis apud Christianos, togatis, peregrinis, hospitibus, & clericis.

37 *Interficere innocentes per accidens, etiam scienter, aliquando licet, & aliquando non.*

38 *Innocentes, à quibus in futurum imminet periculum, an liceat interficere.*

39 *Spoliare an liceat innocentes inter hostes. Et quibus rebus sint spoliandi.*

40 *Bellum si satis commode geri potest non spoliando agricolas, aut alios innocentes: videtur non licere eos spoliare. Et quid dicendum de peregrinis, & hospitibus qui sunt apud hostes.*

41 *Hostes si nolint restituere res iniuria ablatas, & non possit, qui est læsus, aliunde recuperare, quomodo possit undecunque satisfactionem capere, siue à nocentibus, siue ab innocentibus.*

42 *Innocentes, & pueri licet non sint interficiendi, an saltem liceat ducere eos in captiuitatem, & seruitutem.*

43 *Obsides, qui vel tempore induciarum, vel peracto bello ab hostibus recipiuntur, vtrum interfici possint, si hostes fidem frangerent, & conuentis non starent.*

44 *Interficere an liceat omnes in bello nocentes.*

45 *Interficere licet indifferenter omnes, qui in actuali cõflictu prælij, vel in oppugnatione aut defensione ciuita-*

tis contra pugnant, & quandiu res est in periculo.

46 Interficere licet nocētes, parta victoria, & rebus iam extra periculum positis.

47 Interficere non semper licet omnes nocentes solùm ad vindicandum iniuriam.

48 Interficere aliquando & licet & expedit omnes nocentes, & hoc maximè in bello contra infideles. Et quid in bello contra Christianos.

49 Captiuos, aut deditos an liceat interficere, supposito, quòd etiam fuerunt nocentes.

50 Capta in bello iusto, vtrum fiant capientium, & occupantium. Et quomodo capta iniusto bello vsque ad sufficientem satisfactionem rerum ablatarum per iniuriam, & etiam impensarum fiant occupantium.

51 Mobilia omnia quomodo iure gentium fiant occupantis, etiam si excedant compensationem damnorum.

52 Militibus, an liceat ciuitatem permittere in prædā. Et quomodo non sit illicitum, sed & necessarium.

53 Militibus, non licet prædas agere, aut incendia facere sine authoritate, aliàs tenerentur ad restitutionem.

54 Occupare licet, & tenere agrum, arces, & oppida hostium quantum necessarium fuerit ad damnorum illatorum compensationem.

55 Occupare licet ab hostibus, & tenere arcem aliquam aut ciuitatem proparanda securitate, & vitando periculo, aut pro defensione, & vt tollatur ab hostibus occasio nocendi, & c.

56 Hostes mulctare parte agri, licet ratione iniuriæ illatæ,

ta,& nomine pœnæ,hoc est ad vindictam. Et quomodo hac etiam ratione potest arx, aut oppidum cũ moderamine occupari.

57 *Tributa an liceat victis hostibus imponere.*

58 *Principes hostium an liceat deponere,& nouos ponere & constituere, vel sibi principatum restituere. Et quomodo non passim, & ex quacunque causa belli iusti hoc liceat facere.*

59 *Principes hostium quando legitimè possent deponi, ostenditur.*

60 *Canones seu regulæ belligerandi describuntur.*

QVIA possessio, & occupatio prouinciarum illarum barbarorum, quos Indos vocant, videtur tandem maximè iure belli posse defendi: ideo postquam in priori relectiõe de titulis disputaui, quos Hispani possunt prætendere ad illas prouincias, siue iustis, siue iniustis: visum est de iure belli breuem disputationem habere, vt relectio superior absolutior videatur. Sed quia temporis angustia pressi non poterimus hic tractare omnia, quæ in hac materia tractari possent & disputari, nõ licuit extendere calamum pro amplitudine, & dignitate argumenti, & materiæ, sed quãtum breuitas tẽporis patiebatur. Itaq; solùm notabo propositiones precipuas in hac materia cum probationibus

breuissimis, abstinens me à multis dubijs, quæ in hac disputatione conferri possent. Tractabo autẽ quatuor quæstiones. Prima, An omnino Christianis sit licitũ bella gerere. Secũda, Apud quẽ sit authoritas, aut gerendi, aut indicendi bellũ. Tertia, Quæ possint, & debeãt esse causæ iusti belli. Quarta, Quid in bello iusto, & quantũ liceat in hostes.

Quantum ad primum, posset videri, quòd omnino bella sint interdicta Christianis. Prohibitum enim videtur eis se defendere, iuxta illud, Nõ vos defendentes, charissimi, sed date locum iræ. Rom. 12. & Dominus in Euangelio, Si quis te percusserit in dexteram maxillam, præbe illi & alteram. Et ego dico vobis non resistere malo. Matth. 5. & Matth. 26. Omnes qui acceperint gladiũ, gladio peribunt. Neq; satis videtur respondere, q̃ omnia hæc non sunt in præcepto, sed in cõsilio. Satis enim magnũ incõueniens esset, si bella omnia, quæ à Christianis suscipiuntur, sunt contra consilium Domini. In contrarium est sententia omniũ doctorum, & vsus receptus in ecclesia.

Pro quæstionis explicatione notandum, q̃ licet inter catholicos satis conueniat de hac re, Lutherus tamen, qui nihil incõtaminatum reliquit, negat Christianis etiã aduersus Turcas licere arma sumere: innixus tum locis Scripturę suprà positis, tum etiam, q̃ si Turcæ ait inuadant christianitatẽ, illa est voluntas Dei, cui resistere non licet.

In

In qua tamen re nõ ita potuit imponere Germanis hominibus ad arma natis, sicut in alijs suis dogmatibus. Et Tertullianus non adeò videtur abhorrere ab hac sententia, qui libro de corona militis, disputat, an in totũ Christianis militia conueniat. Et tandẽ profectò in hanc sententiã declinare videtur, vt Christiano militare interdictum putet. Cui, inquit, nec litigare quidem licet. Sed relictis extraneis opinionibus, sit responsio ad quæstionem vnica cõclusione, Licet* Christianis militare, & bella gerere. Hæc conclusio est August. in multis locis. Nam contra Faustum, & lib. 83. quæstionum, & de verbis Domini, & secũdo libro cõtra Manichę. & in sermone de puero Cẽturionis, & in epistola ad Bonifaciũ diserte eam astruit. Et probatur cõclusio, vt probat August. ex verbis Iohã. Baptistæ Luc. 3. ad milites, Neminem cõcutiatis, nemini iniuriam feceritis. Quòd si Christiana disciplina (inquit Augusti.) omnino bella culparet, hoc potiùs consiliũ salutis petentibus in Euãgelio daretur, vt abijcerent arma, seque militiæ omnino subtraherent. Dictum est autem eis, Neminem concutiatis, contenti estote stipẽdijs vestris. Secundò probatur ratione. S. Thom. secunda secũdæ. q. 40. articu. 1. Licet stringere gladium, & armis vti aduersus interiores malefactores, & seditiosos ciues, secũdũ illud Rom. 13. Non sine causa gladium portat, minister enim Dei est vindex in

iram

iram ei, qui malè agit: ergo etiam licet vti gladio, & armis aduersus hostes exteriores. Vnde principibus dictum est in Psal. Eripite pauperē, & egenum de manu peccatoris liberate. Tertiò, In lege naturæ hoc licuit, vt patet de Abraham, qui pugnauit contra quatuor Reges. Genes. 14. Item in lege scripta, vt patet de Dauid, & Machabæ. Sed lex euangelica nihil interdicit, quod iure naturali licitum sit, vt S. Thom. elegāter tradit. 12. q. 107. arti. vltimo. vnde & dicitur lex libertatis Iaco. 1. & 2. ergo quod licebat in lege naturæ, & scripta, non minus licet in lege euāgelica. Et quia de bello defensiuo reuocari in dubium non potest, quia vim vi repellere licet. ff. de iustitia, & iure. l. Vim vi. Quartò probatur etiam de bello offensiuo, id est in quo non solùm defenduntur, aut etiam repetuntur res, sed vbi petitur vindicta pro iniuria accepta. Probatur inquam authoritate Augusti. lib. 83. q. & habetur. c. dominus. 23. q. 2. Iusta bella solēt diffiniri, quę vlciscuntur iniurias, si gens vel ciuitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexit, quod à suis improbe factum est, vel reddere quod per iniuriam ablatum est. Probatur etiam. Quintò de bello offensiuo: quia bellum etiam defensiuum geri cōmodè non potest, nisi etiam vindicetur in hostes, qui iniuriā fecerunt, aut conati sunt facere. fierēt enim hostes audaciores ad iterū inuadendū nisi timore pœnæ deterreantur ab iniuria.

Proba

Probatur sextò, Quia finis belli est pax, & securitas reipub. vt August. inquit de verb. Domini, & ad Bonifa. sed non potest esse securitas in republica nisi hostes coerceãtur metu belli ab iniuria: esset enim omnino iniqua conditio belli, si hostibus inuadentibus iniustè rempublicam, solùm liceret reipu. auertere hostes nec possent vlteriꝰ ꝓsequi. Probatur septimò ex fine, & bono totius orbis. Prorsus enim orbis cõsistere in felici statu nõ posset, imò esset rerum omnium pessima conditio, si tyrãni quidem, & latrones, & raptores possent impune iniurias facere, & opprimere bonos, & innocentes, nec liceret vicissim innocentibus animaduertere in nocentes. Probatur octauò, & vltimò, Quia in moralibus potissimum argumentum est ab authoritate & exemplis sanctorum, & bonorum virorum, sed fuerũt multi tales, qui nõ solùm bello defensiuo tutati sunt patriam, resque suas, sed etiam bello offensiuo prosecuti sunt iniurias ab hostibus acceptas, vel attentatas, vt patet de Ionatha, & Simone. 1. Macha. 9. qui vindicaueruut mortem Iohãnis fratris sui contra filios Iãbri. Et in ecclesia Christiana patet de Constantino Magno, Theodosio maiore, & alijs clarissimis & Christianissimis imperatoribus, qui multa bella vtriusque generis gesserunt, cùm haberent in consilijs sanctissimos, & doctissimos episcopos.

Secunda quæstio, Apud* quem sit authoritas 2

gerendi

gerendi aut indicendi bellum. Pro qua sit prima
3 propositio, Bellum * defensiuum quilibet potest
susc ipere & gerere, etiam priuatus. Hæc patet, Nã
vim vi repellere licet. ff. vbi supra. vnde hoc bellũ
quilibet potest gerere sine authoritate cuiuscũq;
alterius, non solùm pro defensione personæ, sed
etiam rerum, & bonorum. Sed circa istam conclu
4 sionem dubitatur primò, An * inuasus â latrone,
aut inimico, possit repercutere inuasorem, si pos-
sit fugiendo euadere? Et Archiepiscopus quidem
respondet, quòd non. quia iam non est defensio
cũ moderamine inculpatæ tutelæ: quilibet enim
tenetur se defendere quantum poterit cum mini
mo detrimento inuasoris. Si ergo resistẽdo opor
tet aut occidere, aut grauiter vulnerare inuasorẽ,
potest autem se liberare fugiendo: videtur quòd
teneatur. Sed Panormita. cap. olim. de resti. spo-
liat. distinguit. si enim inuasus magnum dedecus
subiret fugiendo, non tenetur fugere, sed potest
repercutiendo, iniuriam repellere: si verò non fa-
ceret iacturam famæ, aut honoris, vt monachus,
aut rusticus inuasus à nobili, & forti viro, tenetur
potiùs fugere. Barto. autem in. l. r. ff. de pœnis, &
in. l. furem. ff. de sicarijs, indistincte tenet, q licet
se defendere, nec tenetur fugere: quia fuga est in-
iuria. l. item apud Labeonem. ff. de iniurijs. si autẽ
pro rerum defensione licitum est armis resistere,
vt in. d. c. olim. & in. c. dilecto. de sentẽ. excõmu.

libro

lib.6.multo magis pro arcenda iniuria corporali, quæ maior est quàm rerum iactura. l. in seruorũ. ff. de pœn. Et hæc opinio potest probabiliter & satis tutò teneri, maximè cùm iura ciuilia hoc cõcedant, vt in dicta.l. furem. authoritate autem legis nemo peccat: quia leges dant ius in foro conscientiæ. Vnde etiam si iure naturali non liceret occidere pro defensione rerum, videtur q̃ iure ciuili factum sit licitum: & hoc re vera secluso scandalo, videtur licere non solùm laico, sed etiam clerico, & religioso viro.

Secũda propositio, Quælibet* respublica habet authoritatẽ indicẽdi, & inferẽdi bellũ. Pro probatione est notandũ q̃ differẽtia est quantũ ad hoc inter priuatã personã, & rempublicã: quia priuata persona habet quidẽ ius defendẽdi se, & sua, vt dictũ est: sed nõ habet ius vindicandi iniuriã, imò nec repetẽdi ex interuallo tẽporis res ablatas. Sed defẽsio oportet vt fiat in prẽsenti periculo, quod iuriscõsulti dicunt incontinẽti. Vnde trãsacta necessitate defensionis, cessat licẽtia belli. Credo tamẽ, q̃ per iniuriã percussus possit statim repercutere, etiã si inuasor nõ deberet vltra progredi. Sed ad vitandã ignominiã, & dedecus posset qui colaphũ (exempli gratia) accepit, gladio statim repercutere, nõ ad sumẽdam vindictã, sed (vt dictũ est) ad vitandam infamiã, & ignominiam. Sed respublica habet authoritatem non solùm defensionis,

sed

sed etiam vindicandi se,& suos,& persequẽdi iniurias. quod probatur, quia vt Aristo. tradit tertio Polit.Resp.debet esse sibi sufficiens: sed non posset sufficienter conseruare bonum publicum, & statum reip. si non posit vindicare iniuriam, & animaduertere in hostes.fierent enim(vt supra dictum est) mali promptiores,& audaciores ad iniuriam inferẽdam, si possent impune hoc facere: & ideo necessarium est ad commodam rerũ mortalium administrationem, vt hæc authoritas concedatur reipublicæ.

6 Tertia propositio. Eandem* authoritatem habet quantum ad hoc princeps, sicut respublica. Hæc est sententia August. expresse contra Faustum.Ordo, inquit, naturalis paci accõmodatus, hoc poscit, vt suscipiendi belli authoritas, atque consilium penes principes sit. Et ratione probatur, Quia princeps non est nisi ex electione reip. ergo gerit vicem,& authoritatem illius: imò iam vbi sunt legitimi principes in republica, tota authoritas residet penes principes,neq; sine illis aliquid publicè aut bello, aut pace geri potest. Sed

7 tota difficultas est quid* est respublica, & quis proprie dicitur princeps? Adhoc breuiter respondetur, q̃ respub. propriè vocatur perfecta cõmunitas:sed hoc ipsum est dubium quæ sit perfecta communitas. Pro quo notandum, q̃ perfectum idem est quod totum.dicitur enim imperfectum,

cui

cui aliquid deest,& econtrariò perfectum,cui nihil deest.Est ergo perfecta respublica, aut cõmunitas,quæ est per se totum,id est quæ non est alterius reip.pars,sed quæ habet proprias leges, proprium cõsiliũ,& proprios magistratus, quale est regnũ Castellæ,& Aragoniæ,& principatus Venetorũ,& alij similes. Nec enim obstat quin sint plures principatus, & respub. perfectæ sub vno principe. Talis ergo respub.aut princeps illius,habet authoritatem indicendi bellũ, & solùm talis. Sed ex hoc ipso dubitari meritò potest, an* si plures huiusmodi respublicæ,aut principes habeant vnum cõmunem dominum, aut principẽ, an possint per se inferre bellum sine authoritate superioris principis? Et respondeo, ꝙ sine dubio possunt,vt Reges, qui sunt subiecti Imperatori, possunt inuicẽ belligerare, non expectata authoritate imperatoris: quia(vt dictum est) respub. debet sibi esse sufficiens,nec sufficeret sibi sine tali facultate.Ex quibus sequitur,& patet,ꝙ* alij reguli,siue principes,qui non præsunt reip. perfectæ, sed sunt partes alterius reip. non possunt bellum inferre,aut gerere,quẽadmodum dux Albanus,aut comes Beneuentanus: sunt enim partes regni Castellæ,& per consequens non habent perfectas respub.Sed cùm hæc sint magna ex parte, aut iure gentium,aut humano, consuetudo potest dare facultatem & authoritatem belli gerendi. Vnde si

8

9

qua ciuitas, aut alius princeps obtinuit antiqua consuetudine ius gerendi per se bellum, nõ est ei neganda hæc authoritas, etiam si aliâs nõ esset respublica perfecta. Item etiam necessitas hanc licentiam & authoritatẽ concedere posset. Si enim in eodem regno vna ciuitas aliam oppugnaret, vel aliquis ex ducibus alium ducem, & rex negligeret, aut non auderet vindicare iniurias illatas, posset ciuitas, aut dux, qui passus est iniuriam, nõ solùm se defendere, sed etiam bellum inferre, & animaduertere in hostes, & malefactores etiã occidere: quia aliâs neque defendere quidem cõmodè se posset. Non enim hostes abstinerent se ab iniuria. si illi qui patiuntur iniuriam, contẽti essent solùm se defendere. Qua ratione etiam cõceditur priuato homini vt possit inuadere inimicum, si aliter non patet ei via se defendendi ab iniuria, & hæc satis de ista quæstione.

10 Tertia quęstio est, Quæ* possit esse ratio, & causa iusti belli quæ quæstio magis necessaria est ad hanc causam, & disputationẽ barbarorũ. Pro qua sit prima propositio, Causa iusti belli non est diuersitas religionis. Hæc probata fuit prolixè in priori relectione. vbi impugnauimus quartũ titulũ qui prætendi potest ad possessionẽ barbarorũ: quia scilicet nolunt recipere fidem Christianam. & est sententia. S. Thom. secunda secundæ. q. 66. articu. 8. & communis sentẽtia doctorum: neque scio

scio aliquem qui contrarium sentiat.

Secũda propositio, Nõ* est iusta causa belli amplificatio imperij. Hęc notior est, quã vt probatione indigeat, aliàs esset æquè iusta causa ex vtraq; parte belligerantiũ, & sic essent omnes innocentes. Ex quo iterũ sequitur q̃ nõ liceret occidere illos: & implicat contradictionem, q̃ esset iustum bellum, & q̃ non liceat occidere illos.

Tertia propositio.* Nõ est iusta causa belli, aut 12
gloria propria, aut aliud cõmodũ principis. Hæc etiã nota est. Nam princeps debet & bellũ & pacẽ ordinare ad bonũ cõmune reipub. nec publicos reditus pro propria gloria aut cõmodo erogare, & multo minus ciues suos periculis exponere. Hoc enim interest inter regem legitimum, & tyrannum, quòd tyrãnus ordinat regimen ad proprium quæstum, & commodum: rex autem ad bonum publicum, vt tradit Aristote. 4. Politico. 10. Item habet authoritatem à repub. ergo debet vti illa ad bonum reipub. Item leges debent esse nullo priuato cõmodo, sed pro cõmuni vtilitate ciuium conscriptæ, vt habetur distin. 4. cap. erit autẽ lex ex Isidoro. ergo etiã leges belli debẽt esse pro cõmuni vtilitate, & nõ propria principis. Itẽ hoc differunt liberi à seruis, vt Arist tradit primo Polit. c. 3. & .4. q̃ dñi vtũtur seruis ad propriã vtilitatẽ, non seruorũ: liberi autem non sunt propter alios, sed propter se. Vnde q̃ principes abutantur

ciuibus, cogēdo eos militare, & pecuniam in bellum conferre, non pro publico bono, sed pro priuato suo commodo, est ciues seruos facere.

13 Quarta propositio, Vnica* est & sola causa iusta inferendi bellum, iniuria accepta. Hæc probatur primo authoritate Augu. lib. 83. quæstio. Iusta bella solent diffiniri, &c. vt suprà. & est determinatio. S. Tho. secunda secūdæ q. 40. articul. 1. & omnium doctorum. Item. bellum offensiuum est ad vindicandum iniuriam, & animaduertendum in hostes, vt dictū est. sed vindicta esse nō potest, vbi non præcesit culpa & iniuria. ergo. Item nō maiorem authoritatē habet princeps supra extraneos, quàm supra suos. sed in suos non potest gladium stringere, nisi fecerint iniuriam: ergo neque in extraneos. Et cōfirmatur ex eo, quod suprà allatum est ex Paulo, Rom. 13. de principe, Nō sine causa gladium portat. minister enim Dei est vindex in irā ei qui malè agit. Ex quo cōstat, q aduersus eos, qui nobis non nocēt, non licet ita gladio vti, cum occidere innocentes prohibitum sit iure naturali. Omitto nunc si fortè Deus specialiter aliud præciperet, ipse enim est dominus vitæ, & mortis, & posset pro suo iure aliter disponere.

14 Quinta propositio*, Non quælibet & quanta vis iniuria sufficit ad bellū inferendū. Hæc probatur, Quia nec etiam in populares & naturales licet pro quacunque culpa pœnas atroces exequi, vt mor-

vt mortẽ, aut exiliũ aut cõfiscationẽ bonorũ. Cũ ergo quæ in bello geruntur, omnia sint grauia, & atrocia, vt cedes, incendia, vastationes: non licet pro leuibus iniurijs bello persequi authores iniuriarum, quia iuxta mẽsuram delicti debet esse plagarum modus. Deuteronom. 25.

Quarta quæstio est de iure belli, quid scilicet, & quantum liceat in bello iusto. de qua sit prima propositio, In* bello licet omnia facere, quæ ne 15
cessaria sunt ad defensionem boni publici. Hæc nota est, cùm ille sit finis belli, rempubli. defendere, & conseruare. Item hoc licet priuato in defensione sui, vt probatum est. ergo multo magis licet reipubl. & principi.

Secunda propositio, Licet* recuperare omnes 16
res perditas, & illarum precium. Hæc etiam est notior quãvt indigeat probatione. Ad hoc enim vel infertur, vel suscipitur bellum.

Tertia propositio, Licet* occupare ex bonis 17
hostiũ impensam belli & omnia dãna ab hostibus iniustè illata. Hæc patet, Quia ad omnia illa tenẽtur hostes qui fecerũt iniuriam: ergo princeps potest omnia illa repetere, & bello exigere. Item vt prius. Quia cùm non patet alia via, licet priuato occupare omne debitũ à debitore. Itẽ si quis esset legitimus iudex vtriusque partis gerẽtis bellum, deberet condẽnare iniustos aggressores, & authores iniuriæ, nõ solùm ad restituendas res ablatas,

sed etiam ad resarciendum impensam belli, & omnia damna. Sed princeps, qui gerit iustum bellum, habet se in causa belli tanquam iudex, vt statim dicemus. ergo etiam ille potest omnia illa ab hostibus exigere.

18 Quarta propositio, Non* solùm hæc licent, sed vlterius etiam progredi potest princeps iusti belli, quantum scilicet necesse est ad parandam pacem, & securitatem ab hostibus, puta diruere arcẽ hostium, & in hostico etiam munitionem erigere, si hoc necesse sit ad vitãdum periculum ab hostibus. Probatur, Quia, vt suprà dictum est, finis belli est pax, & securitas. ergo gerẽti bellum iustũ licent omnia, quæ necessaria sunt ad consequendam pacem & securitatem. Item tranquillitas, & pax computantur inter bona humana. vnde nec summa etiam bona faciunt statum felicem sine securitate: ergo si hostes eripiunt, & turbãt tranquillitatẽ reipub. licet vindicare ab illis per media cõuenientia. Item contra hostes intraneos, hoc est contra malos ciues. licet hæc omnia facere. ergo etiam contra hostes extraneos. Antecedẽs patet. si quis enim in republi. fecit iniuriã ciui, magistratus nõ solùm cogit authorẽ iniuriæ satisfacere læso, sed etiã si timetur ab illo, cogitur dare fideiussores, aut recedere à ciuitate, ita vt vitetur periculum ab illo. Ex quibus patet, quòd parta victoria, & recuperatis rebus, licet ab hostibus exigere obsides,

fides, naues, arma, & alia quæ sine fraude & dolo necessaria sunt ad retinendum hostes in officio, & vitandum ab illis periculum.

Quinta propositio, Nec * tantùm hoc licet, 19
sed etiam parta victoria, & recuperatis rebus, & pace etiam & securitate habita, licet vindicare in iuriam ab hostibus acceptam, & animaduertere in hostes, & punire illos pro iniurijs illatis. Pro cuius probatione notandum, quòd principes nõ solùm habent authoritatem in suos, sed etiam in extraneos ad coercendum illos, vt abstineant se ab iniurijs, & hoc iure gentium, & orbis totius authoritate. Imò videtur quòd iure naturali, quia aliter orbis stare non posset nisi esset pœnes aliquos vis & authoritas deterrendi improbos, & coercendi, ne bonis & innocentibus noceant. Ea autem quæ necessaria sunt ad gubernationẽ & conseruationem orbis, sunt de iure naturali, nec alia ratione probari potest, quòd respublica iure naturali habeat authoritatem afficiendi supplicio, & pœnis ciues suos, qui reipublicæ sunt pernicioſi. Quòd si respublica hoc potest in suos, haud dubium quin orbis possit in quoscunque pernicioſos, & nequaquam homines: & hoc nõ nisi per principes. ergo pro certo principes possunt punire hostes qui iniuriam fecerunt reipu. & omnino postquam bellum ritè & iustè susceptum est, hostes obnoxij sunt principi tanquam

iudici proprio. Et confirmatur hæc, Quia re vera nec pax, nec tranquillitas, quæ est finis belli, aliter haberi potest, nisi hostes malis, & damnis afficiantur, quibus deterreãtur, ne iterum aliquid tale cõmittant. Quæ omnia etiam probantur & cõfirmantur authoritate & exemplis bonorum. Vt enim suprà citatum est Machabæi gesserunt bella non solùm ad recipiẽdas res amissas, sed ad vindicandum iniurias. Quod idem fecerunt Christiani simi principes, & religiosissimi imperatores. Et præterea nõ tollitur ignominia & dedecus rei pub. profligatis tantùm hostibus, sed etiam seueritate pœnæ afflictis & castigatis. Princeps autẽ nõ solùm res alias, sed honorem, & authoritatem reipublicæ defendere tenetur, & cõseruare.

Ex omnibus suprà dictis oriũtur multa dubia. Et primùm quidem dubium circa iustitiam belli, vtrum ad bellum iustum sufficiat quòd princeps credat se habere iustam causam. Ad hoc sit prima
20 propositio, * Non semper hoc satis est. Probatur primò, Quia in alijs minoribus causis non sufficit nec principi nec priuatis, q̃ credant se iustè agere, vt notum est. possunt enim errare vincibiliter & affectatè: & ad actum bonum non sufficit sententia cuiusque, sed oportet vt fiat secũdum iudiciũ sapientis, vt patet. 2. Eticho. Item aliâs sequeretur, quòd plurimum essent bella iusta ex vtraq; parte. Communiter enim non contingit, q̃ prin-

cipes

cipes gerant bellum mala fide, sed credentes se iustam causam sequi: & sic omnes bellantes essent innocentes, & per consequens liceret non interficere in bello. Item aliàs etiam Turcæ & Saraceni gererent iusta bella aduersus Christianos. putant enim se obsequium præstare Deo.

Secunda propositio, Oportet* ad bellum iustũ 21
magna diligentia examinare iustitiam & causas belli, & audire etiã rationes aduersariorum, si velint ex æquo & bono disceptare. Omnia enim sapienti (vt ait comicus) verbis prius experiri oportet, quàm armis, & oportet consulere probos, & sapiẽtes viros, & qui cum libertate, & sine ira, aut odio, & cupiditate loquantur. Haud enim facilè verum cernitur (vt ait Crispus) vbi illa officiunt. Hæc manifesta est. Nam cùm in rebus moralibus difficile sit verum & iustum attingere, si negligenter ista tractentur, facilè errabitur, nec talis error excusabit authores, maximè in re tanta, & vbi agitur de periculo & calamitate multorum, qui tandem sunt proximi, & quos diligere tenemur, sicut nos ipsos.

Secũdum dubium, An* subditi teneantur exa- 22
minare causam belli, vel an possint militare nulla diligentia circa hoc adhibita, quemadmodum lictores exequi possunt decretũ prætoris sine alia examinatione. De hoc dubio sit prima propositio, Si subdito constat de iniustitia belli, non licet

militare, etiam ad imperium principis. Hæc patet, Quia non licet interficere innocentem quacunque authoritate. Sed hostes sunt innocentes in eo casu, ergo non licet interficere illos. Itē princeps peccat inferendo bellum in eo casu, sed non solùm qui malè agunt. sed qui consentiunt faciētibus, digni sunt morte. ad Roma. 1. ergo milites etiam mala fide pugnantes nō excusantur. Item non licet interficere ciues innocentes mandato principis. ergo nec extraneos. Ex quo sequitur
23 corollarium, Quòd* etiam si subditi habeant conscientiam de iniustitia belli, non licet sequi bellū, siue errent, siue non. Patet, Quia omne quod non est ex fide, peccatum est. ad Rom. 14.

24 Secūda propositio, Senatores* & reguli, & vniuersaliter qui admittūtur, vel vocati, vel etiam vltro venientes ad consilium publicum, vel principis, debent & tenentur examinare causam iusti belli. Patet, Quia quicunque potest impedire periculum & dāna proximorum, tenetur, maximè vbi agitur de periculo mortis, & maiorum malorum, quale est in bello. Sed tales possunt consilio suo & authoritate causas belli examinantes auertere bellum, si fortè iniustum est. ergo tenentur. Item si negligentia istorum bellum iniustum gereretur, isti videntur consentire: imputatur enim alicui quòd potest & debet impedire, si non impedit. Item quia solus rex non sufficit ad examinandas

nandas causas belli: & verisimile est quòd potest errare, imò quòd errabit magno cum malo, & pernicie multorũ. ergo non ex sola sententia regis, imò nec ex sentẽtia paucorum, sed multorum, & sapientum. & proborum debet geri bellum.

Tertia propositio, Alij* minores qui nõ admittuntur nec audiuntur apud principem aut in cõsilio publico, non tenentur examinare causas belli, sed possunt credẽtes maioribus licitè militare. Probatur primò, Quia nec fieri potest, nec expediret reddere rationem negotiorum publicorum omnibus de plebe. Item quia homines inferioris ordinis, etiam si intelligerent iniustitiã belli, prohibere non possent, & sententia eorum non audiretur. ergo frustra examinarent causas belli. Item quia eiusmodi hominibus, nisi contrariũ cõstiterit, sufficiès argumentũ debet esse pro iustitia belli, q̃ publico consilio & authoritate geratur. ergo non est opus illis vlteriori examinatione. 25

Quarta propositio, Nihilominus* possent esse talia argumẽta & indicia de iniustitia belli, quòd ignorantia non excusaret etiam huiusmodi subditos militantes. Patet, Quia posset esse talis ignorantia affectata, & prauo studio aduersus hostes concepta. Item aliàs infideles excusarentur, sequẽtes principes suos in bello cõtra Christianos, & non liceret illos interficere: quia certum est, quòd credunt se habere iustam causam belli. 26

Item

Item excusarentur milites, qui crucifixerũt Christum ex ignorantia, sequentes edictum Pilati. Itẽ etiam excusaretur populus Iudæorum, qui persuasus à maioribus, clamabat, Tolle, tolle, crucifige eum.

25 Tertium dubium, Quid* faciendum, cum iustitia belli dubia est, hoc est cum in vtranq; partem sunt rationes apparẽtes & probabiles. Prima propositio, quo ad ipsos principes. Videtur, quòd si vnus est in legitima possessione, manente dubio, non possit alius bello, & armis repetere. Vt, exempli gratia, si rex Francorum est in legitima possessione Burgundiæ, si etiam est dubiũ an habeat ius ad illam necne, non videtur quòd Imperator possit armis repetere: & econtrario nec Rex Francorum Neapolim, aut Mediolanũ, si dubium est cuius iuris sint. Probatur, Quia in dubijs melior est conditio possidentis: ergo non licet spoliare pos-
26 sessorem in re dubia. Item si res ageretur coram iudice legitimo, nunquã in re dubia spoliaret iudex possessorẽ. ergo dato quòd ille princeps, qui prætendit ius, sit iudex in illa causa. non potest licitè spoliare possessorem manẽte dubio de iure. Item in rebus & causis priuatorum nunquam in causa dubia licet spoliare possessorem legitimum: ergo nec in causis principum. leges enim sunt principum. si ergo secundum leges humanas non licet in causa dubia spoliare legitimũ possessorem, ergo

go meritò potest obijci principibus, Patere legẽ, quã ipse tuleris. Quod enim quisque iuris in alios statuit, ipse eodem iure vti debet. Item aliâs esset bellũ iustũ ex vtraq; parte, & bellũ nunquam cõponi posset. Si enim in causa dubia licet vni armis repetere, ergo alteri defendere: & postquam vnus recuperasset, posset iterum alius repoſcere. & sic nũquam esset finis bellorum cum pernicie & calamitate populorum.

Secunda propositio, Si* ciuitas, aut prouincia, 28
de qua dubitatur, non habet legitimum possessotẽ, vt si deserta est morte legitimi domini, & dubitatur an hæres sit rex Hispaniæ, aut rex Gallorũ, nec potest certum sciri: iure videtur, ꝙ si vnus velit componere, & diuidere, vel cõpensare pro parte, quòd alter tenetur recipere conditionem, etiã si sit potentior, & possit armis totum occupare: nec haberet iustam causam belli. Probatur, Quia alius nõ facit iniuriã in pari causa, petendo ęqualem partẽ. Item in priuatis causis, etiam in re dubia, non liceret totum occupare. Item eodem modo bellum esset iustum ex vtraque parte. Item iustus iudex neutri totũ addiceret, & attribueret.

Tertia propositio, Qui* dubitat de iure suo etiã 29
si pacificè possideat, tenetur examinare causam diligenter, & audire pacificè rationes alterius partis, si fortè possit certum scire vel pro se, vel pro alio. Hæc probatur, Quia iam non bona fide possidet

fidet qui dubitat,& negligit scire veritatem. Item in causa matrimoniali, si quis etiã legitimus possessor incipit dubitare, vtrum hæc mulier sit sua, vel alterius: certum est quòd tenetur rem examinare. ergo eadem ratione in alijs causis. Item principes sunt iudices in proprijs causis, quia non habent superiores. sed certum est, si quis cõtra legitimum possessorem opponit aliquid, ꝙ iudex tenetur examinare causam. ergo etiam principes in re dubia tenentur examinare causam.

30 Quarta propositio, Examinata* causa quãdiu rationabiliter perseuerat dubium, legitimus possessor non tenetur cedere possessioni, sed potest licitè retinere. Patet primò, Quia iudex non posset eum expoliare: ergo nec ipse tenetur cedere, nec in toto, nec in parte. Item in causa matrimoniali in re dubia non tenetur cedere. vt in. c. inquisitioni. de sententia excõmunica. & in. c. Dominus de secũdis nup. ergo nec in alijs causis. Et Adrianus expresse. q. 2. quodlibet. secundo tenet, quòd dubitans, licitè potest retinere possessionẽ: hoc quo ad ipsos principes in re dubia. Sed quo ad subditos in dubio belli iusti, Adrianus quidem quotlibeto secundo, ad primum argumentum principale dicit, quòd subditus dubitans de iustitia belli, id est vtrum causa, quę allegatur, sit sufficiens, vel simpliciter an subsit causa sufficiens ad indicendum bellum: nõ potest licitè etiam ad imperium superioris

superioris militare in talli bello. Probat, Quia exponit se periculo peccati mortalis. Itē quia quod nō est ex fide peccatū est, quod secūdum doctores & veritatem, non solùm intelligitur contra cō scientiam certam, aut contra opinatiuam, sed etiā contra dubiam. Idem videtur tenere Siluest. verbo bellum. 1. §. 9.

Sed sit quinta propositio, Primò non* est dubium, quin in bello defensiuo liceat subditis in re dubia sequi principem suum in bello, imò quòd teneātur sequi. Sed etiam de bello offensiuo. probatur. Primò, quia princeps, vt dictum est, nec potest semper, nec debet reddere subditis rationes belli: & si subditi nō possint militare nisi postquā scirēt iustitiam belli, respublica periclitaretur vehementer, & pateret iniuriæ hostium. Item in dubijs tutior sequenda est pars. sed si subditi in casu dubij non sequātur principem suum in bello, exponunt se periculo prodendi hostibus rempublicam: quod multo grauius est, quàm pugnare cōtra hostes cum dubio. ergo debent potius pugnare. Item manifestè probatur, Quia lictor tenetur exequi sententiam iudicis etiam si dubitet an sit iusta. contrarium enim esset valde periculosum. Item hoc argumentum videtur defendere Augustin. contra Manichæ. Iustus si forte etiā sub rege homine sacrilego militet, rectè potest eo iubente bellare: si, quod sibi iubetur, vel non esse contra 31

Dei

Dei præceptum, certum est. vel vtrum sit, certum non est. 23. q. 1. quod culpatur. Ecce Augustinum dissentientem expressè si non est certum, id est si dubium est an sit contra Dei præceptum, quòd licitum est subdito bellare. Nec Adrianus se expedire potest ab illa Augustini authoritate, quamuis se in omnem partem vertat sine dubio enim conclusio nostra est determinatio Augustini. Nec valet dicere, quòd talis debet tollere dubium, & formare sibi conscientiam, quòd bellum sit iustum: nam stat quòd moraliter loquendo non possit, sicut in alijs dubijs. Adrianus autē videtur errasse in hoc, q̄ putauit, si dubito an hoc bellum sit iustū principi vel vtrū sit causa iusta huius belli, quòd statim consequatur, q̄ dubitem vtrum liceat mihi ire ad hoc bellum, nec ne. Fateor enim quòd nullo modo licet facere contra dubium cōscientiæ, & si dubito, an liceat mihi facere hoc, necne, pecco si faciā. sed nō sequitur, dubito an sit iusta causa huius belli, ergo dubito an liceat mihi bellare vel militare in hoc bello. Imò oppositum sequitur. Si enim dubito an bellum sit iustum, sequitur q̄ licet mihi ad imperiū principis mei bellare. sicut non sequitur, lictor dubitat an sentētia iudicis iusta sit, ergo dubitat an liceat ei exequi sententiam, imò scit q̄ tenetur exequi: & idem est de hoc dubio: ego dubito an hæc sit vxor mea, ergo teneor ei reddere debitum.

Quartum

Quartum dubium est,* An possit esse bellum 32
iustum ex vtraque parte. Respõdetur. Prima pro
positio, Secluſa ignorantia manifestum est, quòd
non potest contingere. Quia si constat de iure &
iustitia vtriusq; partis, non licet in cõtrarium bel
lare, nec offendendo, nec defendendo, Secunda,
Posita ignorantia probabili facti, aut iuris potest
esse ex ea parte qua vera iustitia est, bellum iustũ
per se, ex altera autem parte bellum iustum, id est
excusatum à peccato bona fide. Quia ignorantia
inuincibilis excusat à toto. Item saltem ex parte
subditorum sæpe potest contingere. Dato enim
quòd princeps, qui gerit bellum iniustũ, sciat in-
iustitiam belli, tamen (vt dictum est) subditi bona
fide: possunt sequi principem suum: & sic ex vtra
que parte subditi licitè pugnant.

Sed ex hoc sequitur quintum dubium, Vtrum 33
*qui ex ignorãtia sequutus est bellum iniustum,
si postea constiterit ei de iniustitia belli, teneatur
restituere, siue loquamur de principe, siue de sub-
dito. Prima propositio, Si quidem habebat proba
bilitatem de iniustitia belli, tenetur aduenientе no
titia de iniustitia, restituere ablata, quæ non dum
consumpsit, id est quãtum factus est locupletior:
non autem quæ consumpsit, quia regula iuris est,
quòd qui non est in culpa, non debet esse in dam
no: sicut qui bona fide fuit in cõuiuio lautissimo
furis, vbi scilicet res furtiuæ consumptæ sunt, nõ

tenetur restituere, nisi fortè quantum domi consumpsisset. Si autem dubitauit de iniustitia belli, sequutus authoritatem principis. Sylvest. in verbo, bellum, primo. §. 9. dicit, quòd tenetur de omnibus, quia mala fide pugnauit.

33 Sed sit secũda propositio cõformiter ad supra dicta. Nec * iste tenetur de consumptis, sicut nec alius. quia (vt dictum est) licitè, & bona fide pugnauit. Sed esset verum, quod Sylvester dicit, si re vera dubitasset, an liceret ire ad bellum, quia iam facit contra conscientiam. Sed est multùm considerandum, quòd stat, q̃ bellum sit iustum & licitum per se, illicitum autem per accidẽs, stat enim quòd quis habeat ius ad recuperandam ciuitatẽ, aut prouinciã, & tamen ratione scandali fiat prorsus illicitum. cùm enim, vt supra dictum est, bella geri debeant pro bono communi, si ad recuperandam vnam ciuitatem, necesse est quòd sequantur maiora mala in repub. vt vastatio multarum ciuitatum, cædes magna mortalium, irritatio principum, occasiones nouorum bellorum in perniciẽ ecclesiæ: item quòd paganis detur opportunitas inuadẽdi & occupandi terras Christianorum: in dubitatum est quin teneatur princeps potiùs cedere iuri suo, & abstinere se bello. Clarũ est enim quòd si rex Gallorum, verbi gratia, haberet ius ad recuperãdum Mediolanũ, ex bello autẽ & regnũ Galliæ, & ipsa prouincia Mediolanensis pateren-

tur

tur intoleranda mala, & calamitates graues: non licet ei recuperare: quia bellū ipsum aut fieri debet, vel propter bonum Galliæ, aut Mediolani: quando ergo econtrario vtriusq; magna mala ex bello futura sunt, non potest bellum iustum esse.

Circa aliam quæstionem quantū liceat in bel- 34
lo iusto, sunt etiam multa dubia. Primum,* An liceat in bello interficere innocentes. & videtur q̄ sic, quia filij Israel primò interfecerūt infantes, vt patet Ios. 6. in Iericho. & post ea Saul. 1. Reg. 15. interfecit pueros in Amalec. vtrunq; ex authoritate, & mandato Domini. Quęcunq; autem scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt patet ad Rom. 15. ergo & nunc si bellum sit iustum, licebit interficere innocētes. De hoc dubio sit prima propositio, Nunquā* licet per se & ex intentione 35
interficere innocentem. probatur primo. Exo. 23. Insontem & iustum non occides. Secundò, Fundamentum iusti belli est iniuria, vt supra ostēsum est. sed iniuria non est ab innocentè: ergo non licet bello vti contra illum. Tertiò, Non licet in republica pro delictis malorum punire innocentes: ergo etiam nec pro iniuria malorum licet punire innocentes apud hostes. Quartò, Aliàs iam bellum esset iustum ex vtraque parte, secluſa ignorantia: quòd esse non potest, vt ostensum est. Et patet consequentia, quia innocentes, certum est quòd possunt se defendere contra quen-

cunque conantem interficere. Et confirmatur totum hoc Deutero.20. Mandatur filijs Israel, vt cũ vi ceperint ciuitatem, alios quidem interficiant, parcant autem mulieribus, & paruulis. Ex quo sequitur, qꝑ* etiam in bello contra Turcas non licet
36 interficere infantes. patet, quia sunt innocentes. Imò nec fœminas. patet, quia quãtum ad bellum spectat, præsumuntur innocentes, nisi fortè constaret de aliqua fœmina, quòd esset in culpa. Imò idem videtur iudiciũ de innoxijs agricolis apud Christianos, imò de alia gente togata, & pacifica, quia omnes præsumuntur innocentes, nisi cõtrarium constaret. Hac etiam ratione sequitur quòd nec licet interficere peregrinos, nec hospites qui versantur apud hostes quia præsumuntur innocẽtes, nec re vera sunt hostes. Eadem ratione nec clericos, nec religiosos, quia præsumuntur innocentes in bello, nisi constet de cõtrario, vt cùm actualiter pugnat.

37 Secunda propositio, Per* accidens autẽ etiam scienter aliquando licet interficere innocẽtes, putà cùm oppugnatur arx, aut ciuitas iustè, in qua tamen constat multos esse innocẽtes, nec possunt machinę solui & alia tela, vel ignis subijci ædificijs, quin etiam opprimantur innocẽtes, sicut nocentes. Probatur, Quia aliàs non posset geri bellũ contra ipsos nocentes, & frustraretur iustitia bellantium: Sicut econtrario si oppidum oppugnatur

tur iniustè, & iustè defenditur, licet mittere machinas, & alia tela in obsessores, & in castra hostium, dato quòd inter illos sint aliqui pueri aut innoxij. Sed tamen est considerãdum, quod paulo antè dictũ est, quòd oportet cauere ne ex ipso bello sequantur maiora mala, quàm vitentur per ipsum bellum: si enim ad summam belli victoriã parum confert expugnare arcem, aut oppidum, vbi est præsidium hostium, & sunt multi innocentes, non videtur quòd liceat ad expugnandũ paucos nocentes, occidere multos innocentes, subijciendo ignem, vel machinas, vel alia ratione, qua indiferenter opprimantur innocentes cum nocẽtibus. Et tandem nunquam videtur licitum interficere innocentes, etiã per accidens, & præter intẽtionem, nisi quando bellũ iustum expediri & geri aliter non potest, iuxa illud Matth. 13, Sinite crescere zizania, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul & triticum. Sed circa hæc potest dubitari, An* liceat interficere innocentes, â quibus 38
tamen in futurum imminet periculum, putà, pueri Saracenorum sunt innocentes: sed timendum meritò est, ne facti adulti, pugnent contra Christianos, & inferant bellum cum periculo. Et præterea etiam togati puberes apud hostes, qui non sunt milites, præsumuntur innocentes: sed isti postea sumẽt arma, & inferent periculum, an liceat tales interficere. Et videtur quòd sic, eadem ratio-

ne qua per accidens licet interficere alios innocẽ tes. Item Deuteron. 20. præcipitur filijs Israel, vt cùm expugnauerint aliquam ciuitatem, interficiant omnes puberes, nõ est autem præsumendũ, quòd omnes essent nocentes. Respõdetur ad hoc, Licet posset fortasse defendi, quòd in tali casu possint interfici, tamẽ credo, quòd nullo modo licet, quia non sunt facienda mala, vt vitentur etiã alia mala maiora. & intolerabile est, quòd occidatur aliquis pro peccato futuro. Et præterea sunt alia remedia ad cauẽdum in futurum ab illis, vt captiuitas, exilium, &c. vt statim dicemus. Vnde sequitur, quòd siue iam parta victoria, siue in actu bellum geratur, si constat de innocentia alicuius militis, & milites possunt cum liberare, tenẽtur. Ad argumentum in contrarium, respondeo, q̃ illud factũ fuit speciali mandato Dei, qui iratus, & indignatus cõtra populos illos, voluit perdere omnino. sicut misit ignem in Sodomam & Gomorrhã, qui deuoraret tam innocentes, quàm nocentes: ipse autem est dominus omnium, nec dedit hanc licentiam ex lege communi. Et ad illud Deutero no. 20. posset eodem modo responderi: sed quia illic data est lex belli cõmunis in omne tẽpus futurũ, potiùs videtur, q̃ illud Dominus dixit, quia re vera omnes puberes reputantur in ciuitate inimica nocẽtes, & non possunt distingui innocẽtes à nocentibus: ideo omnes possunt interfici.

Secundum

Secũdum dubium est, An* liceat in bello iusto 39
spoliare innocẽtes: sitque prima propositio. Certum est q̃ licet spoliare innocẽtes bonis & rebus, quibus hostes aduersum nos vsuri sunt, vt armis, nauibus, machinis. Patet, Quia aliter victoriã consequi non possemus. quę est finis belli, imo etiam licet accipere pecunias innocẽtum, & comburere, & corrumpere frumenta, occidere equos, si ita opus est, ad debilitandũ hostium vires. Ex quo sequitur corollarium, q̃ si bellum sit perpetuum, licet indiferenter expoliare omnes apud hostes tã nocentes quàm innocẽtes: quia ex opibus suorũ hostes alunt bellũ iniustum, & contra debilitãtur vires eorũ si ciues eorum spoliantur.

Secunda propositio, Si* bellum satis cõmodè 40
geri potest, non spoliando agricolas aut alios innocentes, videtur quòd non liceat eos spoliare. Hoc tenet Sylvest. in verbo bellũ. 1. §. 10. quia bellũ fundatur in iniuria, ergo non licet iure belli vti in innocentes, si aliunde potest cõpensari iniuria. Imò addit Sylvest. q̃ etiã si fuerit iusta causa spoliandi innocentes, transacto bello, tenetur victor restituere illis quicquid supersit. Sed hoc non puto esse necessarium: quia, vt infrà dicitur, si iure belli factum est, omnia cedunt in fauorem & ius, iustum bellum gerẽtium. vnde si licitè sunt capta puto quod non sunt obnoxia restitutioni. Dictũ tamen Sylvestri pium est, & non improbabile.

Spoliare autem peregrinos, & hospites, qui sunt apud hostes, nisi constet de culpa illorũ, nullo modo licet, quia illi non sunt de numero hostium.

41 Tertia propositio, Si *hostes nolunt restituere res iniuria ablatas, & nõ possit, qui læsus est, aliũde cõmodè recuperare, potest vndecunque satisfactionem capere, siue à nocentibus, siue ab innocentibus. Vt si latrones Galli fecerint prædas in agrum Hispanorum, & rex Francorum nolit cogere illos ad restitutionẽ, cùm possit, possunt Hispani authoritate principis sui spoliare mercatores Gallos, aut agricolas quantuncunq; innocentes: quia licet fortè à principio respubli. aut princeps Gallorum non fuerit in culpa: iam est in culpa, quia negligit vindicare, vt ait August. quod improbè à suis factũ est, & princeps læsus potest ex omni membro & parte reipub. satisfactionem accipere. Vnde literę marcharum, aut repręsaliarum, quæ à principibus in huiusmodi casibus cõceduntur, non sunt per se iniustæ, quia per negligentiam, & iniuriam alterius principis, concedit læso suus princeps, vt possit recuperare bona sua etiam ab innocentibus. sunt autem periculosæ, & præbent occasionem rapinarum.

42 Tertium dubium, Dato quòd *nõ liceat interficere pueros & alios innocentes, an saltem liceat ducere illos in captiuitatem, & seruitutem. Sitq; pro illius declaratione vnica propositio, Eodem

modo

modo licet ducere innocentes in captiuitatem, si cut licet spoliare illos, quia libertas & captiuitas inter bona fortunæ reponũtur: vnde quando bel lum est talis conditionis, quòd licet spoliare indif ferenter omnes hostes, & occupare omnia bona illorum, etiã licet ducere in captiuitatem omnes hostes siue nocentes, siue innocentes. & cùm bel- lum aduersus paganos sit huiusmodi, quia est per petuum, & nunquam satisfacere possunt pro in- iurijs, & damnis illatis: ideo non est dubitandum quin liceat & pueros, & fœminas Saracenorũ du cere in captiuitatem, & seruitutem. sed quia iure gentium inter Christianos videtur receptum, vt Christiani iure belli non fiant serui, in bello qui- dem inter Christianos non licet, sed si opus est ad finem belli captiuos ducere etiam innocentes, vt pueros & fœminas: non quidẽ in seruitutem, sed vt pro illorum redẽptione pecunias recipiamus licitum esset. Quod tamen extendendum non est vltrà, quàm belli necessitas postulet, & consuetu- do legitimè belligerantium obtinuit.

Quartum dubium est, Vtrum* saltem obsides, 43
qui vel tempore induciarum, vel peracto bello ab hostibus recipiuntur, interfici possint, si hostes fi dem fregerint, & conuentis non steterint. Respõ- deo per vnicam conclusionẽ. Si obsides aliâs sint de numero nocentum, putà qui tulerunt contrà eos arma, interfici iure possunt in eo casu. Si autẽ

sunt innocentes, ex suprà dictis constat, quòd interfici non possunt, vt cùm sint pueri, aut fœminæ, aut alij innocentes.

44 Quintum dubium, An* saltem in bell iusto liceat interficere omnes nocentes. Pro responsione notandum est, quòd vt ex suprà dictis patet, bellum geritur primò ad defendẽdum nos & nostra. Secundò, ad recuperandum res ablatas. Tertiò, ad vindicandum acceptam iniuriam. Quartò ad pacem & securitatem parandam. His præmissis sit prima propositio, In* ipso actuali conflictu
45 prælij, vel in oppugnatione, aut defensione ciuitatis licet indifferenter occidere omnes, qui contrà pugnant: & breuiter, quandiu res est in periculo. Hoc patet, Quia aliter rem bene gerere non possent bellantes, nisi tollendo omnes impedientes, & contrà pugnantes.

Sed totum dubiũ est, & dificultas, an parta iam victoria, & vbi periculum non est ab hostibus, an liceat interficere omnes qui cõtrà arma tulerunt. Et videtur apertè quòd sic. Quia vt suprà dictum est, inter præcepta militaria, quæ Dominus dedit Deutero. 20. vnum est, vt expugnata ciuitate hostium, interficerentur omnes habitatores. Verba illius loci sunt hæc, Si quando accesseris ad expugnandã ciuitatẽ, offeres ei primùm pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cunctus populus qui in ea est, saluabitur, & seruiet tibi sub tributo:

sin

sin autem fœdus inire noluerit, & cœperit cõtra te bellũ, oppugnabis eam. Cumq; tradiderit Dominus Deus tuus eam in manu tua, percuties omne quod in ea est generis masculini in ore gladij, absque mulieribus, & infantibus.

Secunda propositio, Parta * victoria, & rebus 46
iam extra periculũ positis, licet interficere nocẽtes. Probatur, Quia (vt iam dictũ est) nõ solùm ordinatur bellũ ad recuperãdas res, sed etiã ad vindicãdũ iniuriã: ergo pro iniuria præterita licet interficere authores iniuriæ. Itẽ hoc licet in proprios ciues malefactores: ergo etiã in extraneos. qa (vt suprà dictũ est) belli princeps iure belli authoritatẽ habet in hostes, sicut legitimus iudex, & princeps Itẽ, quia licet in præsentia nõ esset periculũ ab hostibus, tamẽ in futurum securitas non haberetur.

Tertia propositio, Solùm * ad vindicandam in 47
iuriam non semper licet interficere omnes nocẽtes. Probatur, Quia etiam inter ciues non liceret, vbi etiam esset delictum totius ciuitatis, aut prouinciæ interficere omnes delinquentes, nec in cõmuni rebellione liceret occidere, & perdere totũ populum. Vnde pro simili facto Theodosius ab Ambrosio ab ecclesia est prohibitus. hoc enim esset cõtra publicũ bonũ, quod tamen est finis belli & pacis. ergo etiã nõ licet occidere oẽs nocẽtes ex hostibus. Oportet ergo habere rationẽ iniurię ab hostib⁹ acceptę, & dãni illati, & aliorũ delictorũ.

Ex

Et ex hac consideratione procedere ad vindictã, & animaduersionem omni attrocitate, & inhumanitate secluſa. In hoc enim propoſito Cice. 2. Officio. ait, q animaduertendum eſt in noxios quantum æquitas & humanitas patiantur. & Saluſt. Maiores, inquit, noſtri religioniſsimi mortales nihil victis eripiebant, præter iniuriæ licẽtiã.

48 Quarta propoſitio. Aliquandõ* etiam licet & expedit interficere omnes nocentes. Probatur, Quia etiam bellum geritur ad parẽdum pacem, & ſecuritatem: ſed aliquando aliter obtineri ſecuritas non poteſt, niſi tollẽdo omnes hoſtes: & hoc maximè videtur contra infideles, à quibus nunquam vllis conditionibus pax ſperari poteſt. Et ideo vnicum remedium eſt, tollere omnes, qui cõtra arma ferre poſſunt, modo iam fuerint in culpa. Et ita intelligendũ eſt illud præceptum Deutero. 20. Aliâs autem in bello contra Chriſtianos nod puto q hoc ſit licitum. Cùm enim neceſſe ſit vt veniant ſcandala (vt habetur Matth. 18. & bella inter principes, ſi ſemper victor interficeret aduerſarios omnes, eſſent in perniciem generis humani, & Chriſtianæ religionis, & orbis citò in ſolitudinem redigeretur: nec bella pro bono publico, ſed in publicam calamitatem perditè gererentur. Oportet ergo vt pro menſura delicti ſit plagarũ modus, nec vltrà progrediatur vindicta, in quo etiam habenda eſt ratio & cõſideratio, quòd

vt

(vt supra dictum est) subditi non tenẽtur, nec debent examinare causas belli, sed possunt sequi principem suum in bellum, contenti authoritate principis, & publici consilij: vnde pro maiori parte, licet ex altera parte sit bellum iniustum, tamen milites qui veniunt ad bellum, & pugnant in bello, aut defendũt, vel oppugnãt ciuitates ex vtraque parte, sunt innocentes. & ideo cùm iam victi sunt, & non est periculum ab illis, credo quòd interfici non possunt, nõ modo omnes, sed ne vnus quidem ex illis, si præsumitur, quòd bona fide in prælium venerunt.

Sextum dubiũ, An * liceat interficere deditos 49
aut captiuos, suppositio etiam quòd fuerũt nocentes. Respondetur, quòd per se loquendo, nihil obstat quominꝰ capti in bello iusto, aut dediti, si fuerunt nocentes, interfici possint per se loquendo, seruata æquitate: sed quia in bello multa iure gentium constituta sunt, videtur receptum consuetudine, & vsu belli, vt captiui parta victoria, & periculo transeunte (nisi forte sint profugę) non interficiatur, & seruandum est ius gentium eo modo, quo inter bonos viros seruari consuetum est. De deditis autem non lego, nec audio talem consuetudinem, imò in deditionibus arcium ciuitatum, solent qui se dediderunt, cauere sibi conditionibus, vt salua sint capita, & salui mittantur: scilicet veniri ne simpliciter, & nullis conditionibus dedantur,

dantur, interficiantur: & hoc aliquoties factũ legimus. Vnde non videtur iniquũ, vt si oppidũ nihil cauendo dedatur, mandato principis, aut iudicis, aliqui qui fuerunt nocẽtiores, occidantur.

50 Septimum dubium, Vtrum * omnia capta in bello iusto fiant capientium, & occupãtium. Prima propositio, Non est dubitãdum, quin omnia capta in bello iusto vsque ad sufficientem satisfactionem rerum ablatarum per iniuriam, & etiam impensarum, fiant occupãtium. Nec indiget probatione hæc propositio: quia ille est finis belli, sed secluſa consideratione & restitutionis & satisfactionis, & stando in iure belli distinguendum est: nam capta in bello aut sunt mobilia, vt pecuniæ, vestes argentũ, aurum: aut immobilia, vt agri, oppida, arces, quo supposito fit.

51 Secunda propositio, Mobilia * quidem iure gẽtium omnia fiunt occupantis, etiam si excedant compẽsationem dãnorum. hoc patet ex. l. si quid in bello. & l. hostes. ff de capti. &. c. ius gentium. 1. distinctio. & expressiùs Instituti. de rer. diuis. §. item ea quæ ab hostibus. vbi dicitur, q̃ iure gentium, quæ ab hostibus capiuntur, statim nostra fiũt, adeò vt etiam liberi homines in nostram seruitutem deducantur. Et Ambro. libro de patriar. dicit, cum Abraham occidit quatuor Reges, prædam quidem fuisse Abrahæ victoris, quanquam recusauit accipere, Genes. 14. & 24. q. 5. Et confirmatur

matur ex authoritate Domini, Deuterono. 20. vbi de ciuitate expugnãda dicit, Omnem prædã exercitui diuides, & comedes de spolijs hostium tuorum. Hanc sententiã tenet Adrianus in quæstione de restitutione, in particulari quęstione de bello. Et Sylues. in verbo, bellũ, §. 2. & §. 9. vbi dicit q̃ q iustè pugnauit, non tenetur restituere prędã. 23. q. 7. si de rebus. Ex quo infert, quòd capta in bello iusto, non compensantur cum debito principali: vt tenet etiam Archi. 23. q. 2. Dominus noster. ita tenet Bar. in. d. l. si quid in bello: & hoc intelligitur, etiam si hostis sit paratus alijs satisfacere de damno & iniurijs. Quod tamen limitat Syl ueſt. & bene, quousque secundum æquitatem sit sufficienter satisfactum de damno & iniuria. Nõ enim est intelligendum, quòd si Galli exciderint vnum pagum, aut ignobile oppidum Hispaniæ, quòd liceat Hispanis etiam (si possint) prædari totam Galliam. sed pro modo, & qualitate iniuriæ arbitrio boni viri.

Sed ex hac determinatione sequitur dubium, An* liceat permittere militibus ciuitatem in præ 52
dam. Respondetur, & sit tertia propositio, Hoc de per se non est illicitum, si necessarium est ad bellum gerendum, vel deterrendos hostes, vel ad accendendum militum animos. Ita Sylueſt. verbo bellum. §. 10. Sicut etiã licet incendere ciuitatẽ ex rationabili causa. Sed tamen q̃a ex huiusmodi

permis-

permissionibus sequuntur multa sæua, & crudelia præter omnem humanitatem, quæ à barbaris militibus committuntur, innocẽtum cædes & cruciatus, virginum raptus, matronarum stupra, templorum spolia: ideo sine dubio, sine magna necessitate, & causa maximè ciuitatẽ Christianam prædæ tradere periniquũ est. Sed si ita necessitas belli exigat, non est illicitum, etiam si credibile sit, quòd milites aliqua huiusmodi fœda; & illicita patrent, quæ tamen duces & interdicere & quàm possunt, prohibere tenentur.

53 Quarta propositio, His omnibus non obstantibus, nõ *licet militibus sine authoritate principis aut ducis prædas agere, aut incendia facere, quia ipsi non sunt iudices, sed executores, & aliter facientes tenentur ad restitutionem.

54 Sed de bonis & rebus immobilibus maior difficultas est, & sit quinta propositio, Non * est dubium quin liceat occupare & tenere agrum, & arces, & oppida hostium, quantum necessarium est ad compensationem damnorum illatorum: putà si hostes diruerunt arcem nostram, incenderunt ciuitatem, syluas, aut vineas, aut oliueta: licebit occupare vicissim agrum hostiũ, aut arcem, aut oppidum, & tenere. Si enim licet capere compensationem ab hostibus pro rebus ablatis: certum est quòd iurè diuino, & naturali, non plus licet hanc recompensationem accipere in rebus mobilibus, quàm

quàm in immobilibus.

Sexta propositio, Etiam* ad parandam securi- 55
tatem, & vitandum periculum ab hostibus, licet occupare, & tenere arcem aliquam, aut ciuitatem hostium necessariam ad defensionem nostrã aut tollendam hostibus occasionem, vnde possint nocere.

Septima propositio, Etiam* pro iniuria illata, 56
& nomine pœnæ, hoc est in vindictam, licet pro qualitate iniuriæ acceptæ mulctare hostes parte agri, aut etiam hac ratione occupare arcem, aut oppidum. sed hoc, vt diximus, debet fieri cũ moderamine, & non quãtum viribus & potentia armorum occupari & expugnari potest. Et si necessitas, & ratio belli postulat, vt maior pars agri hostium occupetur, & plures ciuitates capiantur oportet vt compositis rebus, & peracto bello restituantur, tantum retinendo, quãtum sit iustum pro compensatione damnorum, & impensarum & pro vindicta iniuriæ, seruata æquitate, & humanitate, quia pœna debet esse proportionata culpæ: & intollerabile esset, quòd si Galli agerẽt prædas in pecora Hispanorum, vel incenderent pagum vnũ, quòd liceret occupare totum regnum Francorũ. Quòd autem hoc titulo liceat occupare, aut partẽ agri, aut aliquã ciuitatem hostiũ, patet ex illo Deut. 20. vbi datur licẽtia in bello occupandi ciuitatẽ, quę pacẽ recipere noluerit. Itẽ ma-

lesactores intraneos licet punire hoc modo, scilicet priuãdo illos domo, aut agro, aut arce pro rei qualitate. ergo etiã extraneos. Itẽ superior iudex potest cõmodè mulctare authorẽ iniurię, tollẽdo scilicet ab eo ciuitatẽ, aut arcẽ. ergo & princeps, qui læsus est, hoc poterit, quia iure belli factus est tanquam iudex. Item imperium Romanum hoc modo & titulo auctum & amplificatum est, occupãdo scilicet iure belli ciuitates & prouincias hostium à quibus iniuriam acceperant, & tamen imperium Romanorum tanquam iustum & legitimum defenditur ab Augusti. Hieronymo, Ambro. Thoma, & alijs sanctis doctoribus. Imò posset videri approbatũ â Domino in illo loco, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & à Paulo, qui Cæsarem appellauit, & ad Roma. 13. admonet potestatibus sublimioribus, & principibus subditos esse, & tributa pẽdere eis, qui eo tẽpore omnes habebant authoritatẽ ab imperio Romano.

57 Octauum dubium, Vtrum* liceat imponere victis hostibus tributa. Respondetur, quòd sine dubio licet, non solùm ad compensandum damna, sed etiam ratione pœnæ, & in vindictam. Hoc satis patet ex supradictis, & ex illo loco Deutero. 20. vbi dicit, quòd postquam ex iusta causa accesserint ad expugnandum ciuitatem, si receperit eos, & apperuerit portas, cunctus populus, qui in ea est, saluabitur, & seruiet illis sub tributo, & hoc

hoc ius, & vsus belli obtinuit.

Nonum dubium, An* liceat deponere princi- 58
pes hostium, & nouos ponere & constituere, vel
sibi retinere principatum. Prima propositio, Hoc
non passim, & ex quacunque causa belli iusti li-
cet facere: vt patet ex dictis. Nam pœna nõ debet
excedere quãtitatẽ & rationẽ iniurię, imò pœnæ
sunt restringẽdæ, & fauores ampliãdi, quæ est nõ
solum regula iuris humani, sed etiam naturalis, &
diuini: ergo dato q̃ iniuria illata ab hostibus sit
sufficiens causa belli, non semper erit sufficiẽs ad
exterminationẽ principatus hostis, & ad deposi-
tionem legitimorum, & naturalium principum.
hoc enim esset prorsus sæuum & inhumanum.

Secunda propositio, Non* est negãdum quin 59
aliquando possint contingere sufficientes & legi
timæ causæ vel ad mutandos principes vel ad oc
cupandum principatum: & hoc vel pro multitu-
dine & atrocitate damnorum & iniuriarum, vel
maxime quando aliter securitas & pax ab hosti-
bus obtineri non potest: & immineret grande pe
riculũ reipu. ab illis, nisi hoc fieret. Hoc patet. Si
enim licet occupare ciuitatem ex causa, vt dictũ
est, ergo tollere principem ciuitatis. & eadem est
ratio de prouincia, & principe prouinciæ, si cau-
sa maior contingat. Sed notandũ circa. 6. 7. 8. &. 9.
dubium, q̃ aliquando, imò frequenter non solùm
subditi, sed etiam principes ipsi, qui re vera non

habent causam iustã, tamen bona fide gerunt bel
lum, ita inquam bona fidẽ quòd excusantur ab
omni culpa, putà cùm facta diligẽti examinatio-
ne, ex sententia doctorum, & bonorum virorum
geritur bellũ. Et cùm nemo debeat sine culpa pu-
niri in tali casu, quamuis liceat victori recupera-
re res ablatas, & fortè impẽsam belli: tamen sicut
non licet parta victoria quãquam interficere, ita
nec vltra iustã satisfactionẽ occupare, nec exige-
re in rebus temporalibus. quia omnia alia fieri nõ
possunt, nisi nomine pœnæ, quæ in innocentes
cadere non debet. Ex his omnibus possunt com-
poni pauci canones, & regulæ belligerandi. Pri-
60 mus canon,* Suppositò quòd princeps habet au
thoritatem gerẽdi bellum, primùm omnium de-
bet non quærere occasiones, & causas belli: sed si
fieri potest, cum omnibus hominibus pacem ha-
bere, vt Paulus præcepit ad Rom. 12. debet autem
recogitare, quòd alij sunt proximi, quos tenemur
diligere sicut nos ipsos, & quòd habemus omnes
vnum cõmunem Dominum, ante cuius tribunal
tenemur rationem reddere. Est enim vltimæ im-
manitatis, causas quærere, & gaudere, quòd sint,
ad interficiendum, & perdendum homines quos
Deus creauit, & pro quibus Christus mortuus est:
sed coactum & inuitum venire oportet ad neces-
sitatem belli. Secundus canon. Conflato iam ex
iustis causis bello oportet illud gerere nõ ad per-
niciem

niciem gentis, contra quam bellandum est, sed ad consequutionem iuris sui, & defensionem patriæ, & reipublicæ suæ, & vt ex illo bello pax aliquando, & securitas consequatur. Tertius canon, Parta victoria, & confecto bello, oportet moderatè, & cũ modestia Christiana, victoria vti, & oportet victorem existimare se iudicem sedere inter duas respub. alteram, quæ læsa est, alteram, quæ iniuriã fecit: vt non tanquam accusator, sed tanquam iudex sententiam ferat, qua satisfieri quidem possit reipublicæ læsæ. Sed quantum fieri poterit, cum minima calamitate, & malo reipublicæ nocentis. castigatis nocentibus, quantum licuerit: & maximè, quia plurimum inter Christianos tota culpa est penes principes. Nam subditi bona fide pro principibus pugnant: & est periniquũ, quod Poëta ait, Vt quicquid delirant Reges plectantur Achiui.

REVERENDI patris fratris Francisci à Victoria relectio. De Matrimonio.

SVMMA.

1 *Matrimonium quid sit.*
2 *Matrimonij quotuplex finis.*
3 *Ius conueniendi, an satis sit ad matrimonij essentiam.*
4 *Consensus inter virum & fœminam, an sit de ratione matrimonij.*
5 *Matrimonium quantum ad suam essentiam quid sit.*
6 *Matrimonij vinculum, quomodo ex lege naturali aut diuina non contrahatur, nisi coniugum ipsorum consensu, licet Deus sine dubio, nullo consensu viri & fœminæ interposito, constituere possit.*
7 *Matrimonium, nulla authoritate humana posset constitui, nisi consensu contrahentium.*
8 *Matrimonij consensus qualis sit.*
9 *Canon, siue regula vniuersalis obseruanda, si ex aliquo pacto, aut stipulatione non statim ab initio oriatur matrimonium.*
10 *Matrimonium si quis deceptus contrahat, an teneat.*
11 *Ecclesia sicut aliquas personas sua authoritate reddit illegitimas ad cõtrahẽdũ, an princeps hoc possit facere*
12 *Authoris sententia pro dubio, An princeps secularis possit ponere impedimentum matrimonio.*

Annibalem



NNIBALEM pænum illum summũ ducem atq; optimum imperatorem rogatum aliquando vt hominem quendam seniculum sophistam de re militari diserentem audiret dixisse postquam audisset asserunt, se deliros senes vidisse multos, illo vero neminem magis ridiculũ qui cum prælio nũquam interfuisset, castra nunquam vidisset, præcepta tamen militaria, præsente Annibale dare sustineret. Et ille quidem suo iure hominis vanitatem ita irrisit, qui non præliorum modo bellica præcepta, sed Ducum omniũ & Imperatorum gesta ac stratagemata facta, dictaq; omnia vel Marte ipso iudice facile vnus pegrauasset. At ego nescio an ineptius aliquãto homine illo facturus sim, qui hodie, professus celibatum, apud vos patres & viri religiosissimi de Matrimonio sim orationem habiturus, qui sitis omnes & vsu & spetie, & voto nõ solum à nuptijs abhorrentes, & alieni: sed totius continentiæ, vel exempla clarissima, vel quãtum in istam adolescentiam cadere potest rudimenta certissima, & indoles quãuis expectationem, vel spem superatura. Verum si me ab ista suggillatione non vendicat, vel quod Apostolus Paul. tam multa præcepta coniugibus dederit ipse quãtum ego arbitrior matrimonij ignarus vel quod sanctis-

ctiſsimi viri & clariſsimi doctores volumina cõpoſuerint certe excuſabit me, quòd non mihi integrum fuit per amicos & neceſſarios argumentum, quod fueram meditatus, tractare, & mea profeſsione, & veſtra expectatione fortaſſe non indignum. Cùm enim ſuperioribus diebus delata eſſet in hanc vniuerſitatem cauſa de matrimonio illuſtriſsimorum principum, regumq; Anglorum, atque per aliquot dies in illo gruiſsimo doctorũ, atque magiſtrorum iactata ſenatu, & vẽtilata fuerit: contenderunt à me nonnulli mei inuicem ſtudioſi, vt de ea re prima mea relectione differerem: quibus, quia negare non licebat, cùm recepiſſem, neceſſarium mihi fuit, vt hoc alieno ęre hodierna die me exoluerem. Quanquam profectò tot ſe mihi moleſtam grauẽ cauſam agreſſo obiecerũt, vt non mediocriter timeam, ne priuſquâm ad illam penetrare poſsim, & tempore, & clepſidra, & veſtra, quam mihi ſoletis præſtare, beneuola audiẽtia deſtituar. Ergo vtcunque res caſura ſit, veſtrũ erit, & ſi quæ non expectabatis, audieritis, & quę expectabatis, adhuc deſideraueritis, meo nomine boni conſulere, & meis conatibus & ſtudijs (vt hactenus feciſtis) vel fauere, vel conniuere.

Locus igitur à me relegẽdus in præſentiarũ, & cõmentãdus habetur Matth. 19. & Mar. 10. & affertur à magiſtro ſentẽ. 4. libro. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. In cuius loci explicatione tres

tres erunt quæstiones & partes. In prima de constitutione matrimonij. In secũda de impedimentis, in tertia de dissolutione agendum est. Et quia secundum Ciceronem. 1. officiorum, omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet à definitione proficisci: ideo ante omnia quæritur *quid sit matrimoniũ, an (vt quidã putãt) ma- 1
trimoniũ sit ius inter virũ, & fœminã, quo mutuò liceat vti ad liberorũ procreationẽ, aut (ut simpliciùs dicam) ad copulam carnalem. Et videtur ꝙ sic: quia omnis vsus fœminæ extra matrimoniũ est illicitus. ergo matrimonium est ius huius vsus. Præterea per matrimonium nihil aliud videtur fieri, quàm quòd vir, & mulier consequantur facultatem vtendi inuicem corporibus suis, ad vsus generationis: & sic facultas hæc nihil aliud videtur esse, quàm ius licitè vtendi: ergo. In contrarium est, quòd matrimonium exigit inseparabilitatem, vt ex themate huius disputationis patet, & Apostolo. 1. ad Cor. 7. His, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorẽ à viro non discedere: & si discesserit, manere innuptam, & vir vxorem non dimittat. Ad huius dubij explicationem præmitto fundamentũ ex Aristo. 2. Phy. quòd res naturales, necessitates suas ex fine habẽt: matrimonium autem ab Aristotele in libro Politico. inter naturalia computatur. Dicit enim ꝙ homo plus est animal coniugale, quàm

politicum:& tamen idem dicit hominẽ esse natu
ra animal ciuile.habet ergo matrimonium suos fi
nes propter quos est institutum.Deus autem,qui
author, & institutor est matrimonij,illud non fru
2 stra,sed propter finem condidit.Est*autẽ duplex
finis matrimonij secundum Aristotelem.Primus
& potissimus,procreatio, & educatio prolis, & in
esse naturali & in esse rationali, hoc est, ad vitã &
virtutem ciuilem : quia dans formam, dat conse-
quentia ad formam,vt dicitur in libr. De genera.
ideſt,ea,quę rei naturali conueniunt,inquantum
talis est,vt ignis dat non solùm formam ignis,sed
& calorẽ,& alias proprietates ignis : sic etiam ad
patres spectat,non solùm dare substãtiam, sed &
quæ hominis sunt, vt homo est , scilicet vitam se-
cũdum rationem,siue politicam. Est enim homo
natura animal ciuile,sicut & ignis natura calidus
& ideò ad parentes spectat nõ solùm conferre ne
cessaria ad vitam naturalem , sed etiam ad vitam
ciuilem.Alter finis est,mutua obsequia,& officia
inter virũ & fœminam.Sicut enim homo est ani-
mal infirmũ,& alterius opis egẽs,ita est animal ci
uile: & ideo quia non omnia munia ad vitã homi
nũ degendã sunt cõpetẽtia, aut omnino viris, aut
omnino fœminis,sed quędam spectãt ad viros,vt
arare,ędificare & similia,quędã autẽ ad fœminas,
vt nere,& cętera cõiunguntur mares & fœminæ.

Ieci fundamẽtum ad omnia penè, quæ in mea

rele-

relectione disputaturus sum. Nam secundum Aristotelem libro De anima, dubia omnia contingẽtia de re aliqua, ex diffinitione illi⁹ soluẽda sunt. Ea autem, quæ sunt propter finem, optimè diffiniuntur per finem, quare & dubia incidentia de matrimonio ex fine matrimonij explicãda sunt. Sic ergo dico, ꝙ* ad matrimonij essentiam nõ satis est ius conueniendi. Probatur, Nam si vagus concubitus esset licitus, nõ satis esset ad rationem matrimonij. Patet, Quia illo posito, frustraretur talis coniunctio vtroq; fine matrimonij. Probatur. Si enim etiam vagus concubitus esset licitus, scilicet liber congressus viri cuiuslibet cum quali bet fœmina, matrimonij finis haberi nullo modo posset. Nam certè præterquam quòd ex tali concubitu rara solet proles cõtingere, nõ posset proles cõmodè, aut procreari, aut educari, incerto scilicet patre, nõ solũm quoad ciuilem, sed & quantum ad naturalem vitam, cum fœmina sit infirmior, & improuidẽtior sine viro, quàm vt totam filiorum curã sustinere possit: & certus pater esse non potest, si concubitus est promiscuus. & dato etiã, ꝙ vna esset vnius viri, tamen sine mutua obligatione impediretur adhuc vterque finis matrimonij. Nam neq; procreatio prolis esset certa ex libera coniunctione, neque educatio à parẽtibus, qui inuicem conuiuere non tenentur, & instructio moralis esse vix posset, cum oporteret filium 3

apud

apud matrem educari propter naturales necessitates, & rursùm à patre doceri, qui tunc cum matre non habitaret. Præterea mutua obsequia & beneficia constare non possent, cùm omnis beneficentia ex amore proficiscatur, qui esse nõ posset viri in fœminã, quæ alios viros pateretur, nec fœminæ in virum, qui cum alijs rem haberet. Atque ideò dico, quòd præter illud ius requiritur obligatio mutua certi viri ad certam fœminam, & perpetua ad procreationem liberorum. Probatur, Sine tali obligatione non constabit finis matrimonij: ea autem posita, constabit: ergo illa exigitur. Confirmatur ex Apost. ad Rom. 7. Quæ sub viro est mulier viuente viro, alligata est legi. Et 1. Corin. 7. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autẽ & vir potestatẽ sui corporis nõ habet, sed mulier. ergo requiritur obligatio.

4 Secundò dubitatur, & oritur dubium ex solutione primi dubij, An* de ratione matrimonij sit consensus inter virum & fœminam. Et videtur q sic, Quia de ratione matrimonij est obligatio, quę non potest prouenire, nisi ex pacto, & consensu inter virum, & fœminam. ergo exigitur cõsensus inter fœminam & virum. Et cõfirmatur, Nam ex sententia omnium iurisconsultorum, & theologorum, matrimonium non transigitur, aut conficitur nisi cõsensu contrahentium, vt etiam Magister ex Pandectis, & decretis allegat. ergo.

In

In contrarium est, quòd omne ius, quod alicui cõ petere potest ex pacto, potest conuenire decreto legis superioris: in omnibus enim alijs negotijs, idem effectus, & obligatio, quæ nascitur ex contractu & pacto, potest aliũde oriri, vt seruitus, quę ex pacto oriri potest, eadem iure belli & alijs causis cõstituitur. Item translatio rerum, quæ pacto conficitur, eadem aut iure prę scriptionis, aut alio titulo fieri potest. nõ ergo videtur negandũ quin etiam obligatio maritalis, quæ contrahentium consensu, & pactione firmari solet, aliunde etiam posset proficisci. Pro solutione huius dubij dico, quòd de ratione matrimonij, absolutè loquendo, non est contractus, nec consensus inter virum & fœminã. Probatur primò ex illo principio apud theologos receptissimo, Quicquid Deus potest facere cum causa secunda, potest se solo facere. si ergo pacto, & consensu viri, & fœminæ constitui tur matrimonium: ergo Deus se solo posset facere illam obligationem, non ex cõsensu, aut pacto aliquo viri & fœminæ. sed mutuò vtrunque obligando ad coniunctionem maritalem, eodem modo, sicut pacto & coniunctione coniuncti erant. Cõfirmatur, Quia Deus habet maius dominium super virum & fœminam, quàm ipsi in seipsos: si ergo ipsi habent tradendi sui corporis potestatẽ: ergo etiam Deus, & tale matrimonium esset eiusdem rationis cum matrimonio ex pactis & consensu

sensu constituto: quia esset obligatio eiusdem rationis, & ad eosdem fines: atq; hoc negare, perinde esset ac si quis cõtenderet murẽ à sole generatum, non esse verũ murem eiusdem rationis cum mure genito à patre: quod olim à legitima philosophia explosum, est. Cõfirmatur, Dominus præcepit Oseæ. 1. Sume tibi vxorẽ fornicariam, & fac tibi filios fornicationis. ex quo præcepto si fuisset de certa fœmina, potuisset Oseas illam etiam inuitã in vxorẽ accipere, quia iam erat facta ipsius, quod graues doctores & egregij factum asserunt. atque hoc pacto non est necesse recurrere ad diuinam dispẽsationem in præcepto de fornicatione: quia Deus fecit, eam propriam Oseæ vxorẽ esse, quod etiam videtur ex serie dictæ prophetiæ, vbi illam vxorem vocauit, cur ergo non potuit etiã mutuò alterũ in alterius tradere potestatem? Cõfirmatur vltimò, Inter primos parẽtes fuit verum matrimonium, de illis enim dictum est, Propterhanc relinquet homo patrẽ, & matrẽ, &c. & præcepit illis Dominus, Crescite, & multiplicamini, & Adam dixit, Mulier, quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi, & tamen Scriptura non meminit pacti inter ipsos. ergo authoritate diuina fuerant coniuncti, quod Dominus in Euangelio dicere videtur, Quod Deus coniunxit, homo non separet. Nec potest dici, quòd factum est per illa verba, Hoc nunc os ex ossibus meis, &

caro

caro de carne mea: quãobrẽ relinquet homo, &c. Nec vnquam mihi placuit expositio illorum, qui ita dicunt. Nam primùm illa fuerunt verba solius Adæ, qui matrimonium solus facere nõ poterat. Deinde illa verba videntur esse post factum matrimonium. Habeo ergo pro certo, nec puto cuiquam dubitandum quin authoritate diuina posset cõstitui matrimonium eiusdem rationis: sicut si consensu partium contraheretur, & forsan ita factum fuit. Palud. verò in. 4. distin. 16. q. 1. artic. 2. dicit, quòd fortasse illud matrimonium Deus fecit inter Adam & Euam ipso dormiente, & quòd euigilans cognouit factum in se, & prophetauit faciendum in alijs: verius tamen, inquit, est, quòd non fuit à Deo immediatè, sed sibi fuit inspiratũ, quòd consentiret, & ipso euigilante consenserũt mutuo, & sic secutum est vinculum. Sed ipse hoc dicit, nec tamen probat. Vide. S. Thom. dist. 27. q. 1. articu. 2. q. 1. ad. 2. & dist. 33. q. 1. articu. 2. ad. 5. & dist. 27. q. 1. arti. 1. q. 3. Itaque ex omnibus vltro, citróque iactatis, duo sunt, quæ pro compertis haberi possunt. Primum est, quòd * matrimonium 5 quãtum ad suam essentiam nihil aliud est, quàm vinculum, siue mutua & indiuidua, id est perpetua obligatio viri certi, ad certam fœminam, ad procreationem liberorum, siue ad vsus generationis: ita vt per procreationẽ intelligamus & filiorum, & familiæ institutionem. Secundum est,

quòd

quòd hoc vinculum licet Deus quidem sine dubio, nullo consensu viri, & fœminæ interposito constituere possit, ex lege tamen naturali, & diuina non contrahitur, nisi coniugum ipsorum consensu.

Sed contra prædicta arguitur. Nam in contractu sponsalium est mutua obligatio ad vsum matrimonialem: & tamen non est matrimonium: ergo non tota ratio matrimonij consistit in mutua obligatione, sed exigitur aliquis alius cõtractus, vel consensus. Respondeo, Primum nego, quòd in contractu sponsalium sit mutua obligatio saltem immediata ad vsus matrimonij. Nõ enim potest esse obligatio ad rem illicitam. Sola autẽ obligatione sponsalium stante, nõ est licitus vsus matrimonij, imò esset fornicatio, cum exigatur ad id consensus de præsenti. Est enim in spõsalijs sola obligatio ad contrahendum matrimonium, in matrimonio autem est obligatio immediata ad vsus matrimonij, & est actualis traditio corporis, vnde nascitur talis obligatio: & ita intelligẽdum est, quòd ratio matrimonij consistit in mutua traditione corporis, & obligatione ad vsum corporis. sed traditio intelligitur à quocũque fiat: nihil enim refert an fiat ab ipsis, qui traduntur, an à superiori. Secundò dico, q̃ per obligationem intelligo nõ solum ius, sed verum dominiũ. non enim ita vxor debet viro corpus vel vsum corporis, sicut

cut qui pecuniam ex aliqua stipulatione debet, quæ quidem debitoris, non creditoris est, quamuis debita sit: sed corpus vxoris nõ est vxoris, sed viri, & contra: vt Paul. dicere videtur. Vnde etiã matrimoniũ non solùm est mutua obligatio, sed translatio corporis ad vsus generationis.

Verum ex hoc loco oritur latus disputationis campus. Si enim ita est, vt de ratione matrimonij non sit aut contractus aliquis, aut consensus coniugum, sed satis est mutua obligatio ad vsus matrimoniales cum actuali traditione corporum & hoc ipsum Deus vniuersorum dominus non solùm potest facere, non expectata cuiusuis authoritate, sed etiam aliquando fecit: an potestatem istam reliquerit reipub. vel ecclesiæ. Itaq; ecclesia, vel Imperator posset constituere matrimoniũ sine cõsensu, vt scilicet possit ex causa fœminam viro in vxorem dare, aut vtroque, aut certè altero inuito. Et videtur quòd sic, quia in omnibus alijs negotijs omne ius, quod cõuenit alicui ex pacto vel consensu, potest conuenire ex ordinatione legis. Tam enim in repub. seculari, quàm in ecclesiastica inuenitur potestas transferendi ex legitimis causis dominium rei ab vno ad alterum dominum, priori domino inuito. Cur hanc potestatem in hac vna re coarctamus, & contrahimus, vt non possit ecclesia ex quacũque causa dare viro ius & potestatem in corpus fœminæ, aut e contrario?

Potest siquidem princeps domum, agrum, equũ pecuniam vnius legitimi domini ob criminis, aut stipulationis, aut alicuius cõditionis causam trãs ferre in nouũ dominum, priore etiam reclamãte: cur ecclesia hoc non poterit ex probabili & iusta causa facere de corpore subditorum? Posset ergo ecclesia cõstituere, vt post sponsalia & copulam esset matrimonium, vtroq; contrahentiũ inuito, Confirmatur, Si hoc non posset ecclesia, esset propter vinculum inter coniuges: sed maius vinculũ est redigere aliquem in seruitutem: & tamen hãc potestatem habet & ei nõ negamus, illam imò & parentes liberos in seruitutem dare, ius fasq; aliquando fuit, cur ergo hanc potestatem in matrimonio, scilicet hominis tradendi tam obstinatè negamus? Præterea Aristoteles in Politicis dicit, quòd homo plus est reip. quàm sui ipsius. ergo respublica habet maius dominium super ipsum, quàm ipsemet. sed ipse potest se obligare: ergo si indiget respublica persona ist ius ad istos vsus, scilicet matrimonij, videtur quòd possit vti illo etiã inuito, sicut posset illum etiam exponere morti propter salutem totius communitatis.

Quòd si maximè obuiam eatur huic disputationi per hoc, q̃ non idem ius sit superioribus in res hominum aut in corpora aut in personas eorum, non tamen satis videtur res expediri. Nescio enim vnde exploratũ habeatur, non residere hãc

potestatẽ

potestatem in superioribus, cũ tamen eis vitæ & mortis potestatem nõ negemus: quod maius videtur, quàm potestas collocandi vxorẽ viro. Præterea, ecclesia videtur hoc iam fecisse, quia habetur in c. si cõditiones, de cõditionibus appositis, q̃ siquis contrahat cũ conditione impossibili, vel turpi, habetur pro matrimonio, dummodo illa cõditio nõ sit contra substantiã matrimonij, vt, contraho tecũ si me feceris Deum, vel, si Petrum occidas, tunc est verum matrimoniũ, & tamen est sine consensu. ergo, &c. Nec sufficit dicere, q̃ illud matrimoniũ est præsumptũ, quia nulla videtur præsumptio cõtra eum, qui apposuit turpẽ vel impossibilẽ cõditionẽ. Item, & certè fortiùs, ecclesia potest facere aliquem monachũ professum etiã inuitum: & tamen hoc est maius vinculum, cùm dirimat matrimoniũ. ergo etiã poterit ecclesia facere ex non marito maritũ. Maior probatur ex, 1. c. de regularibus, lib. 6. vbi decernitur, q̃ siquis perseuerauerit in monasterio scienter, & volũtariè, vltra annũ, habeatur pro professo etiã sine consensu: & est verus monachus, etiã si nollit: nec est professio præsumpta, sed vera, & est obligatus in foro interiori. Et certè oporteret ostendere hanc exceptionẽ, vnde scilicet habeatur, q̃ omnia alia quæ fieri possunt per cõtractum volũtariũ, possunt fieri authoritate superioris, & hoc solùm nõ potest. Item si hoc negatur ecclesiæ esset propter nimiam

libertatem, quã Deus voluit esse in matrimonijs contrahendis. Sed contra, Ecclesia cogit per excõmunicationes, & alias pœnas eos qui contraxerunt sponsalia ad cõtrahendum matrimoniũ, quod adimit libertatem: imò posset princeps statuere pœnam mortis si quis nõ duceret spõsam, ergo postquã hoc modo potest adimere libertatem, quare negatur de matrimonio? Item si Christus potuit (vt certum est) hanc potestatem dare ecclesiæ, videtur quòd saltem in casu dederit, putà si tota ecclesia periclitaretur, nisi filius regis duceret filiam regis Turcarum, aliâs Christianam, & volentem, & ille. 1. filius regis nullo modo vellit, quare papa non poterit eum cogere? cogere inquam, hoc est, obligare tantùm, ac si omnino duxisset illam. Item in illo casu vel simili potest ecclesia præcipere vt ducat, & excommunicare nisi ducat. hoc autem omnino tollit libertatem, cùm nullo modo possit euadere damnationem nisi ducat. ergo non obstat libertas, quin possit ecclesia constituere verum matrimoniũ. Item quæ à Deo sunt, ordinata sunt, ad Rom. 13. & Genes. 1. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, sed hoc expediret multùm reipub vt talis potestas esset in superioribus, cùm aliquando esset remediũ ad constituendam pacem, & ad tollendum bella perniciosa. Et confirmatur, Casu quo essent decẽ homines, & fœminæ, vt tempore Noe, quare nõ

posset

posset cogi vir ad accipiendum vxorem?
Nõ ne poterat cogere Noë filios suos & filias? certe non videretur intolerabilis error, si quis vellet defendere q̃ post sponsalia posset ecclesia matrimonium constituere, & obligare aliquem, sequuta copula, altero etiam inuito.

¶Sed quia theologis non licet in suis disputationibus, sicut iurisconsultis aliquid insolẽs, nouum & inauditum contra maiorum authoritatem asserere: ideò secutus commnnem opinionem teneo, quòd* matrimonium nulla authoritate humana 7
potest constitui, nisi consensu contrahentiũ. Probatur, ex tali coniunctione frustraretur vtroque fine matrimoniũ. ergo ecclesia non potest. Assumptũ probatur. Primus enim finis matrimonij, scilicet procreatio prolis, & educatio certè esse non posset inter inuitos, & se non inuicem amantes, cùm commercium matrimoniale sit magnum signum amoris. Et propter hoc, Paul. ad Ephe. 5. & Colos. 3. commendat viris vt diligant vxores suas & Dominus in Genesi, Propter hanc. &c. quia sicut non possunt matrimonialia officia impendi sine mutuo amore, & animorum concordia, quæ inter eos, qui inuiti iuncti essent, malè coalescere posset, coniugibus malè inter se conuenientibus, & de liberis diuersa sentientibus. Secundus etiam finis multo minus consequi posset. nam officia, & mutua obsequia nisi ex amore proficisci non pos-

sunt, qui cõtingere aut vix, aut nunquam posset, si matrimonia inter inuitos constituerentur. Cõfirmatur, Quia potestas humana omne vinculũ quod potest constituere, potest dirimere. Sed ecclesia non potest dirimere vinculum matrimonij: ergo nec constituere. Maior patet, Quia in omnibus alijs translationibus rerum sicut potest princeps rem transferre inuito domino, ita etiam post translationem potest inuito secundo, priori domino restituere, non obstante quacunque possessione, & vsu rei: ita q; eandem potestatem habet ad rescindendum contractum, sicut ad constituendum: sed non potest papa rescindere cõtractum matrimonij, saltẽ partibus inuitis, vel post matrimonij vsum: iuxta illud, Quod Deus coniunxit, &c. ergo. Et certè nulla ratio est, vt ex aliqua causa ecclesia posset matrimoniũ constituere inuitis partibus, rescindere autem etiam ipsis poscentibus nullo casu possit. Tertiò, Si eodem tempore Petrus per verba de præsenti contraheret cum Maria, & Papa traderet in matrimoniũ Mariam Iohanni: tunc vel nullum esset matrimonium, vel illa esset vxor duorum. Patet, Ibi sunt duæ causæ sufficientes ad constituendum matrimonium. ergo uel vtraque habet effectum: & sic illa erit vxor duorum: vel se mutuò impediunt, & tunc nullum esset matrimonium: & nunquam sciri posset, an aliquod esset verum matrimoniũ,

vel

vel non, quia dubitari posset an papa vellit eam tradere alteri. Et si dicas, quòd in eo casu authoritas superioris maior est, & per consequens illa esset vxor Iohannis: contrà, & est quartum argumentum, Si hoc papa potest, ergo & quilibet episcopus in sua diœcesi. nescio enim quid papa posset in tota ecclesia, quod non possit episcopus in suo episcopatu, nisi fortè in illis quæ de se spectãt ad vniuersalem ecclesiam, vt determinatio fidei: omnia enim alia quæ papa potest, videntur episcopi etiam posse in sua diœcesi, nisi quòd in aliquibus potestas eorum contracta est iure, vt in dispensationibus votorum, & impedimentorũ matrimonij. Quintò, Ecclesia nunquam vsa est hac potestate, nec in lege naturæ, nec in lege scripta, nec in lege euangelica, cùm tamen non sit dubitãdum quin aliquando expediret vti hac potestate ergo signum est non esse talem potestatem in ecclesia. Sextò, Ecclesia cogit aliquem ad contrahẽdum matrimonium, vt post sponsalia, nolentes autem non iungit tanquam coniuges: & tamen in omnibus alijs siquis nollet reddere debitum, cogitur ad reddendum debitum decretis & pœnis. Ergo si ecclesia posset dare maritum puellæ ipsa inuita, deberet post sponsalia, etiam si nollet tradere eam in manus viri: quod tamen nũquam tentauit facere.

Ad argumenta in contrarium patet, quid dicẽ-

dum sit. Dicimus enim quòd in omnibus alijs trã slationibus,& vinculis non impeditur finis propter quem inuentæ & institutæ sunt. In proposito autem (vt ostensum est) omnino tolleretur finis matrimonij. Secũdò dicimus, quòd in alijs trã slationibus si fortè post factum sequatur maius inconueniens, potest remedium adhiberi. Possunt enim reuocari in priorem aut meliorem statum, matrimonium autem semel ritè perfectum dirimi, aut reuocari non potest. & ideò non est tantũ periculum si fiant sine consensu eorum, ad quos spectant: & ideò etiam timor impedit matrimonium, & non alia. Tertiò etiam videtur potissima ratio, quia in omuibus alijs negotijs idem effectus sequitur si aliqua translatio fiat authoritate superioris, vel hominum voluntate, & pacto. in eosdẽ enim vsus est dominus rei, qui eam sibi vendicat authoritate legis, aut præscriptione, aut quouis alio legitimo titulo, ac si habuisset emptione, aut donatione domini & idem est de pecunia, & omnibus alijs: matrimonium autem in eos vsus deus & natura constituerunt, qui nisi à voluntarijs exigi nullo modo possunt. Nunquam enim quisquã inuitus operam liberis dare poterit pro creandis, aut procreatos educare, & instituere. Quare omnino si maximè princeps, aut ecclesia posset virum vxorem, aut econtrario mulieri maritum dare, omnino ea donatio inefficax esset, etiam in illos effe

ctus

ctus, aut vsus: quare prorsus vana esset huiusmodi potestas. secus autem est de Deo, qui nõ solùm corpora, sed animas, & corda habet in potestate, & suo nutu mortales in quæcunq; officia voluerit, volentes aut nolentes trahere potest: & nõ minorem potestatem habet ad iungendum inuicem corpora vinculis coniugalibus, quàm animas mutua beneuolẽtia, & amore. Quartò dicimus, quòd in tali necessitate, qua teneretur quis vxorem ducere, respu. posset quidem huiusmodi compellere sed si omnino nollet, non posset inuito vxorem uino nollet, non posset inuito vxorem dare: vnde non excusantur filiæ Lot ideò q etiam credentes fortasse nullos alios superesse in genere humano, ingressæ sunt ad patrem, non solum quia incestę, sed quia ad non suum virum accesserunt.

De secundo puncto primæ partis.

SED restat inquirere, * Qualis sit iste consensus matrimonij. Nec tamen est in animo omnia, quę de consensu matrimoniali à doctoribus disputantur, tractare (esset enim infinitum) sed solũ vnicũ locũ delegi, de quo iurisconsulti, & Theologi ambigunt, & contendunt, & adhuc sub iudice lis est, An scilicet contractus per verba de præsenti, & cum consensu interposita conditione de futuro, adueniente illa conditione, matrimonium te- 8

teneat, non reuocato priori consensu, vt, Accipio te in vxorem, si pater tuus consenserit: vel, si pater tuus obierit. & pono etiam, quòd contractus fiat cum intentione contrahendi matrimonium posita conditione. Et quidem illustres, & celeberrimi doctores pontificij iuris defendunt assertoriam partem, prorsus affirmantes firmari eo casu matrimonium adueniente conditione, nec opus esse nouo consensu, aut contractu. Panormita. c. de illis. de conditio. appos. Hostiens. in summa, quod etiam sentiunt theologi non ignobiles, inter quos videtur esse Petrus Palud. author alioqui quantiuis pretij, in. 4. distinct. 29. quæst. 2. conclusione. 8. & contendunt argumentis hoc confirmare. Primùm in omnibus alijs contractibus conditionatis, adueniente conditione, manet contractus absolutus, nullo nouo consensu requisito. vt si contrahatur sic, Do tibi centum libras ferri, si nauis mea salua venerit: do domum, si nuptui dederis filiam: vendo agrum, si pater obierit: conditione posita tenet contractus. ergo etiam in matrimonio. Secundò si hoc negetur matrimonio quod conceditur alijs pactis, hoc esse non potest, nisi ratione libertatis singularis, quæ in matrimonijs præ alijs exigitur, sed hoc ipsum est contra libertatem scilicet non posse contrahere cùm quis voluerit, & pro tempore quo voluerit, & sicut voluerit. ergo si quis nunc vult contrahere pro

crasti-

crastino die, & non pro hodierno, omnino videtur contra libertatem, quòd impediatur. Praeterea ille contractus non est sponsalium: ergo est matrimonialis. Consequentia est nota. Antecedens probatur, Quia si esset sponsalium, vel pro tempore quo fit, vel pro tempore conditionis. Non primum, quia quod impedit matrimoniū, impedit sponsalia, scilicet defectus conditionis: nec secundum, quia contractus sub conditione, quando ponitur conditio, manet purus, id est, ac si esset sine conditione: vt sic, Contraho tecum, si habes facultatem patris tui: si conditio adest, tantùm valet, sicut, Contraho tecum absolutè sine conditione. ergo pro tempore, quo ponitur conditio, iam contractus ille manet absolutus, & per consequens est matrimonium. Confirmatur, quòd non sint sponsalia pro nunc: quia ex illo contractu non nascitur publicæ honestatis iustitia. vt habetur cap. vnico de sponsalibus, libro sexto, vbi dicit quòd in sponsalibus conditionatis, non contrahitur publicæ honestatis iustitia, nisi purificatus fuerit contractus per conditionis euentum, & tamen ex sponsalibus nascitur publicæ honestatis iustitia. Item contractus nihil efficit nisi ex intentione contrahentium, sed isti intendunt efficere matrimonium, & non sponsalia. ergo si non efficiunt matrimonium, nihil efficiunt: cuius contrarium

patet

patet, quia obligatur talis illo cõtractu posita cõditione, vt dicitur in c. supra citato & c. super eo. de conditio. oppos. Præterea, Si talis contractus fieret tempore, quo ponitur conditio, esset verum matrimonium. Sed idem videtur operari ille contractus præteritus, si interim non est reuocatus, sicut si nunc esset. ergo videtur quòd faciat matrimonium. Sexto arguitur in c: de illis. de conditionibus appositis, dicitur quòd si quis his verbis iurauerit fœminam se ducturum vxorem, si dederis pecuniam: si non dederit non est reus periurij, ni si consensus de præsenti interuenerit: aut copula carnalis fuerit subsequuta, ergo à contrario sensu si sit consensus, erit reus periurij. Sed in proposito vt supponimus, est consensus de præsenti: ergo erit matrimonium. Item, si cõtraho tecum pro crastina die, adueniente crastina die, videtur quòd sit matrimonium, non pro nũc, sed pro crastina die. Probatur, Sicut si dicat, Si crastina dies fuerit, vel si sol oriatur cras, duco te in vxorem, est matrimonium, ergo etiam cum alia conditione, si adueniat conditio, quæ suspendit contractum: videtur contractus purus, & per consequens matrimonium. Idem enim videtur pro crastina die, & pro tempore, quo dederis mihi centum aureos. Præterea, Si quis contraheret his verbis, Contraho tecum si consentias & contrahas mecum, ipsa respondente, Contraho. est verum matrimonium

& tamen illa conditio est etiam de futuro: ergo à simili si dicat, Contraho tecum si intra annum cõsenseris, posita conditione, erit verum matrimonium, Assumptum probatur. Nam in contractu matrimonij ita videtur cõtingere, quòd alter pri⁹ dicat Contraho tecum & adueniente consensu alterius, perficitur matrimonium: vnde semper videtur ꝙ efficacia consensus dependeat à futuro. ¶ In contrarium est communis sententia theologorum, ex quorum authoritate, & doctrina pono canonem vuiuersalem, Si* ex aliquo pacto, aut stipulatione non statim ab initio oritur matrimo- 9
uium, quicquid postea superuenerit, siue sit ætas, siue copula carnalis, siue dispensatio super impedimentum, siue conditio apposita contractui, nũquam erit matrimonium, nisi de integro omnia ponantur, quæ necessaria sunt, & de essentia matrimonii. Vnde dico, quòd ad legitimũ matrimonium, & verum, sicut sufficit, ita exigitur mutuus consensus expressus, & purus in præsenti, hoc est pro tempore, pro quo contrahunt, & pro tempore pro quo matrimonium conficitur: & sic in dubio oblato solùm sunt sponsalia, etiam adueniente conditione. Probatur primo, Matrimonium est sacramentum nouæ legis, quod non videtur dependere de futuro, & ratihabitatio non efficit sacramentum. ergo. Præterea (vt habetur in c. super eo. de conditionibus appositis) Tali superuenien-

te

te conditione non est matrimonium, quia tunc si matrimonium iam esset ratum, & integrum, non esset cogendus ad contrahendum, sed ad cohabitandum, vel consummandum matrimonium, sed cogitur contrahere, ergo talis contractus non habetur pro matrimonio. Prætera, Matrimonium conficitur ex consensu. sed ille consensus nō fuit sufficiens: ergo nec est sufficiens posita conditione. Probatur minor. Si talis ante aduentum conditionis reuocet consensum, iam non est matrimonium, vt etiam authores contrariæ sententiæ tenent. ergo nec nunc etiam si non dissentiant. Probatur ista consequentia, Quia dissensus non tollit, nec irritat virtutem contractus, ergo si contractus habeat vim conficiendi matrimoniū, non obstante dissensu, efficit matrimonium. Quòd verò dissensus non irritet illum contractum, patet.

Quia non obstante quocunque dissensu, compelletur ad contrahendum, vt patet ex illo capite super eodem aliàs contractus conditionalis esset nullius roboris, si per solam voluntatem alterius contrahentium rescinderetur. Præterea, Si tentaret contrahere, cum alia ante aduentum conditionis teneret matrimonium. ergo etiam adueniente conditione non tenet matrimoniū cū prima. Probatur cōsequētia. Quia sine dubio si quis habet potestatē contrahēdi, cum alia, habet potestatē non contrahendi cum ista.

Ad

¶Ad argumẽta autem in contrarium dico ad primũ, q̃ certè ex natura contractus non habetur, q̃ aduenientе conditione, fit translatio rei, cùm primus cõtractus solũ videatur promissiuus, sed hoc disponitur legibus, q̃ qui promisit, velit nolit stet promissis, quod (vt suprà dictũ est) in matrimonio leges disponere non possunt. Vel potest dici absolutè, q̃ in aliis negotiis tenet contractus aduenientе conditione, nõ autem in matrimonio, p̃pter summã illã libertatẽ, quã Deus voluit esse in matrimonio, vt scilicet quicunq; nondũ habet vxorem, sit in eius libertate, & potestate vel accipere, vel non accipere, quare cùm etiam secundum aduersarios talis ante aduentum cõditionis non haberet vxorẽ, in eius potestate est ducere, aut nõ ducere: & per hoc patet solutio ad secundum. Ad tertium dico, q̃ tale pactum est spõsaliũ pro nũc, & pro tempore etiã cõditionis. Ad quartũ dico, quòd quantuncunq; habeat intentionẽ nõ sponsaliorũ, sed matrimonij, tamẽ in fauorẽ matrimonii hoc valet, & intelligitur illa clausula, Si non valet, vt ago valeat vt valere potest. Ad septimũ aliis omissis, dico, quod si quis cõtrahat in tempus incertum, non est matrimoniũ, sed spõsalia, ni si fortè sit in tẽpus necessariũ, vt in crastinum. Sed quid si supueniẽte cõditione pseuerat cõsensus cõtrahẽtiũ, an sit matrimoniũ? Et videtur q̃ sic, quia si à principio fuisset posita conditio, fuisset matrimo

trimo

trimonium. ergo si nunc consensus vtriusque ad est cum conditione, videtur q̄ idem operetur. Et cōfirmatur, Quia (vt dictum est) consensus de prę senti sufficit ad substantiam matrimonij, ergo si nunc adest consensus, erit matrimonium verum. Sed his non obstantibus dico, quòd etiam si consensus, qui ab initio fuit in vtroque, perseueret, nō est matrimonium. Et probatur, Ab initio nō fuit matrimonium: ergo oportet quòd de integro ponantur omnia sufficientia. sed ille consensus, qui fuit à principio, non fuit sufficiens ad matrimonium, cùm non esset purus, sed verè cōditionatus. ergo nec nunc sufficit. Item consensus non sufficit nisi exprimatur: sed consensus ille nō exprimitur per aduentum conditionis, ergo non efficit matrimonium. Item ille consensus (vt habetur in illo ca. super eo.) habetur non pro consensu de præsenti, sed de futuro: ergo non sufficit ad matrimonium. Prętera, Per id quod non est in potesta te alicuius, non videtur posse confici matrimoniū sed conditio illa non est in potestate contrahentis: ergo non potest facere matrimonium.

¶ Respondetur modo ad argumenta in contrarium. Ad primum nego consequentiam. Ad secundum dico q̄ si nunc sit consensus, & nunc ponitur conditio, re vera esset matrimonium, saltem si exprimatur consensus, sed si solùm manet consensus, quia approbo quidem primum pactū, &

pla-

placet mihi, sed nihil de nouo volo facere, non est matrimonium. Ex dictis patet quid dicendum ad casus contingentes, cùm quis minor ætate contraxit per verba de præsenti, & cum consensu etiam de præsenti, & cum intentione contrahendi etiam matrimonium: an cùm peruenerit ad ætatem legitimam, & prius non reuocauerit cõsensum, imò placet ei semper primus contractus, an teneat matrimonium. Item si quis contraxerit cũ consanguinea, ea conditione, si papa dispensauerit, & dispensat, etiam si habeat acceptam & gratam dispensationem. Ad omnia hæc & similia respondetur, nullum tale esse matrimonium.

Sed restat scrupulus non cõtennendus, Quid* si deceptus quis contrahat, an teneat matrimoniũ, an si eo casu vel simili credens iudicio, & sententiç iurisconsultorum, crederet se verè contraxisse, & hoc errore seductus affectu maritali cõtraheret, & coueniret cum huiusmodi muliere sibi desponsata, quàm aliàs non esset ducturus: an matrimoniũ esset validum. Disputari certè in vtranque partẽ probabiliter posset. Nam primò videtur matrimonium tenere, non enim iura vel doctores alium errorem tradunt impedire matrimonium, quàm errorem personæ: sed in casu posito non interuenit error personæ, sed iuris. ergo sibi imputetur si crediderit in hoc viris minus sapientibus: quemadmodum si crediderit esse virginem, que passa est

virum, vel ditem, quæ pauper erat. E contrario tamen adduci potest, nam hic non videtur velle aliquid de integro, hoc est quicquam agere noui, sed ratum habere, quod putat iam actum esse. si ergo revera matrimonium antè nullum fuerat, nec nũc quidem erit sanè: quod tamen in alio loco prolixius dicendum reseruo. Sed in præsentia mihi potius placet, vt dicamus tale matrimoniũ nullum esse, non solùm propter argumẽtum iam factum, quòd tamen non infirmum est: sed quia in vniuersum error circa ea quæ sunt de essentia contractus, vitiat contractum: talis autem videtur in casu contigisse, cùm iste credat se iam non esse sui iuris, sed actam rem agere, & verè esse matrimoniũ, atque ideo meritò rescinditur contractus tanquã ex errore procedens. Facit ad hoc quod doctores notant in cap. 1. pe. regul. libr. 6. quòd si aliquis ante annos pubertatis facit votum religionis, non obligatur etiam si maior factus, ratificauerit ex error e: quia scilicet credebat votum tenere. Puto ergo omnino, quòd non est matrimonium, quia ille habet errorem circa essentialia, & fundamẽta matrimonii, scilicet circa consensum, qui de substantia est matrimonij & nihil est tam contrarium cõsensui, quàm error. l. si per errorem. ff. de iurisdictione omnium iudicum.

Secun-

Secunda pars relectionis.

IN Secunda parte tractandum est de impedimẽ
tis matrimonii, & primum dubium est, An* sicut 11
ecclesia aliquas personas sua authoritate reddit il
legitimas ad contrahendum, etiam princeps pos-
set hoc facere. vtrum scilicet princeps secularis
possit ponere impedimentum matrimonio, hoc
est, an personæ legitimæ ad matrimoniũ possint
lege ciuili illegitimæ reddi, ita vt si contrahant, fa
ctum non teneat. Et videtur quòd sic, sicut enim
suprà dictum est: sicut in naturalibus, ita in mora-
libus & in ciuilibus, ratio rei sumenda est ex fine.
Potestas autem regia vel ciuilis constituta est pro
pter bonum reipub. quicunque ille sit, siuæ pacifi
cus conuictus, siue etiam simpliciter omne bonũ
quatenus humanum est: ergo quidquid vel neces
sarium est, vel conducit ad talem finem, omnino
videtur cadere sub potestate regia, siue ciuili. sed
bona pars communis, siue ciuilis boni constat ex
matrimoniis. ergo potest princeps leges conde-
re, vbi matrimonia quoquomodo obstantia, com
modo republicæ, vitet, & irritet. Item vide-
tur, quòd finis matrimonij ordinetur ad finem
legislatoris, scilicet in bonum commune: ergo,
&c. Secundò arguitur, Omnes rationes, que à do-
ctoribus ponũtur, vt ecclesia aliquos gradus cõsan
guinitatis vel affinitatis arceat à matrimonio, pro

cedunt in lumine naturali, & intra prudentiam politicam. ergo cum prudentia politica sit regula principum & gubernatorum rerumpublicarum (vt Aristo ponit in Ethicis) sequitur q̃ hoc spectabit ad humanam & ciuilem potestatem. Antecedens patet, Nam altera ratio solet assignari pericu li cognatorum in eadẽ domo habitantium ne scilicet si licentia matrimonii permitteretur inter se coniugio iungẽdi, daretur occasio incestus, & stupri. Altera est, vt amicitiæ propagentur, neque necessitudines intra vnos eosdemque lares & parietes coerceantur, sed vtraque res spectat certè ad ciuiles leges, quæ prohibere habent stupra, sicut & adulteria, & etiam in republica, amicitias inter ciues cõflare & ꝓpagare. ergo tota res non videtur excedere ciuilẽ potestatẽ. Tertio, Matrimoniũ vel est cõtractus ciuilis, vel fundatur in contractu ciuili: sed princeps habet potestatem super oẽs tales cõtractus. ergo potest leges facere de matrimonijs contrahendis. Et confirmatur, Quia multæ leges latæ sunt, vbi aliqua matrimonia prohibentur, vt patet. ff. de ritu nuptiarum. l. fororis. §. si quis. & l. semper. §. si. senatorium. & l. palàm. §. senatus. & l. quin etiam & . l. non est. & l. finali, dicitur quod quoddam est crimen incestus contra ius gentium quoddam solùm contra ius ciuile. & idem. l. si adulterium cum incestu. §. 1. ff. ad. l. iuliam de adulteriis. Nec valet dicere, quòd matrimonium est

sacra-

sacramentum, & ideo eximitur à quacunq; potestatè, non spirituali: primò, quia redibit difficultas de matrimonio antequam esset sacramẽtum propriè, sed solùm in officium. Secundò, quia nõ obstat, quòd sit sacramentum, quin priuati homines leges & conditiones apponant matrimonio, sine quibus non est sacramentum, Et rursus, Papa non habet potestatem super matrimonium, nisi solum inquantum est contractus quidam. ergo per hoc quòd est sacramentum, non excluditur à potestate seculari, sicut si emptio esset sacramentum. Nec rursus valet dici, quòd matrimoniũ est contractus in foro conscientiæ, & apud Deum, & quòd princeps non habet potestatem in foro cõscientiæ, sed solùm in foro contentioso. Primò, quia etiam alij contractus ciuiles sunt contractus in foro conscientiæ, vt emptio, donatio, & alij similes cõtractus. Et iterum falsum omnino & erroneum est dicere, quòd principes non habent potestatem in foro conscientiæ, cùm potestas ciuilis sit etiam à Deo æquè ac spiritualis, dicẽte Paulo ad Rom. 13. Omnis potestas à domino Deo est. & Qui potestati resistit ordinationi, Dei resistit. Ergo nec ex hac parte potestas ciuilis à matrimonio arcetur. Nec iterũ sufficit dicere, q̃ matrimonium est pactum naturale: hoc est, quòd est de lege naturali, alia verò pacta sunt ciuilia, idest ordinatione legum ciuilium, & ideo non subijci-

tur legibus ciuilibus hoc, inquam, non sufficit: nã etiam alia pacta, vt donationes, promissiones, & reliquæ stipulationes tenent, & sunt vera pacta, exclusis legibus ciuilibus. Nec demum diluit quę stionem dicere, q̃ ad leges ciuiles spectet solum præmiare bona & punire delicta, vt adulterium, furtum, homicidiũ, non autem aliquid, quod natura sua bonum est, aut licitum prohibere. exempli gratia, Consobrinam in vxorem ducere, non spectat ad legem ciuilem hoc prohibere, sed si natura hoc illicitum sit sororem ducere, spectaret ad legem hoc punire: non inquam hoc sufficienter satisfacit huic negotio: falsum enim est leges ciuiles non posse aliquid natura licitũ vitare, vt enim Aristo. docet, leges feruntur de his, quæ prius quã sanciantur, nihil interest, sic, an aliter fiant, postea verò refert, & sine dubio potest lex nõ solùm mala punire, sed etiam aliquid constituere in genere vitij aut virtutis: potest si quidem lex prohibere sumptus alioqui licitos, ludos aliâs innoxios, & multa huius generis, quæ in republica esse possunt, alioqui potestas ciuilis esset deficiens, & respublica non sibi sufficiens, si non posset leges cõdere suo statui conuenientes, & de rebus nulla alia lege constitutis.

In contrarium est, Quia idem non videtur spectare ad diuersos principatus, & legislatores. Esset enim turbatio, & confusio rerũ, si de eadem rediuersa

uersa insolidum constituerentur in ordine ad eos dem subditos, quod tamen in proposito cõtinge ret, si princeps secularis, & pontifex potestatẽ ha berent de matrimonio cõstituendo: posset enim aliquid contrariũ ab vno constitui legibus alte rius, atq; adeò populus incertus teneri, cui maxi mè parendũ esset. Item aliqui gradus prohibẽtur lege ciuili, qui tamen nõ prohibẽtur lege canonica, inter quos matrimonia recipiuntur ab ecclesia ergo. Itẽ matrimoniũ est causa spiritualis: sed potestas ciuilis non agit causas spirituales, ergo, &c.

Ad hanc quæstionẽ respondeo primùm, quod non est dubium quin princeps secularis ex genere, & natura suæ potestatis vim habeat, & iurisdictionem super matrimonium, etiam ad prohibẽdum connubia inter cognatos, aut affines, & posset leges ferre, & impedimenta ponere similia, sicut ecclesia. Nec video cur Moyses legislator easdem leges propria authoritate contra matrimonium ferre non potuerit quas authoritate diuina tulit, & supponamus eius potestatem nullo modo fuisse spiritualem, sed fuisse principem populi Israel. Nec scio si lege naturali prohibitum non esset matrem habere vxorem, cur princeps huiusmodi legem ferre non posset, irritans omnino si quid secus factum fuisset. Imò puto ante legem Christi nullam fuisse potestatem, nec iurisdictionem spiritualem, qualis est in ecclesia: &

tamen nescio cur principes non possent leges facere de matrimonijs contrahendis. Confirmatur, In lege naturali videntur fuisse leges de matrimonijs, contrahendis, vt de suscitando semine frater no: imò multa inconuenientia posita in Leuitico sunt de iure naturali, vbi nulla erat potestas spiritualis. Secundo dico, Hoc non obstante, ecclesia potest prohibere potestatē ciuilem ab hac iurisdictione: hoc est, princeps temporalis arceri potest, & impediri per potestatem spiritualem, putà per summum pontificem, ab hac iurisdictione. Probatur, Quia, vt in præsentiarum pro certo haberi volo, temporalis respublica est quodāmodo subiecta spirituali, & consequenter etiam potestas temporalis est subiecta potestati spirituali. Vt enim Aristo. ait, si finis vnius artis, aut facultatis inferior sit, & ordinatus in finem alterius facultatis, etiam ars subiecta erit arti, & artifex artifici: vt fabrilis & nautica subiecta est militari facultati, vt etiam faber Imperatori. Cùm ergo humana pax, & ciuilis honestas, & conuictus ordinetur in spiritualem felicitatem, & perfectum bonum hominis, inquantum homo est: consequens est, vt ciuilis facultas, & potestas certo modo sit dependens, & subiecta spirituali potestati. Ergo non solùm in pactis connubiorum, sed etiam in alijs pactis & ciuilibus conditionibus, non est dubium quin spectet ad spiritualem potestatē, moderari

derari facultatem,& potestatem secularem in his quæ cõiuncta sunt cum rebus spiritualibus,& terminos præscribere,& limites, quatenus & quousque ciuilis potestas in huiusmodi progredi possit. Nec tamen volo dicere,quòd temporalis potestas sit in omnibus, aut etiam ordinariè subiecta spirituali potestati. Imò nihilominus puto quã principes seculares esse vicarios Christi aut pontificum sed habere iudiciariam potestatem à Deo æquè atq; ipsi summi pontifices habent,quam nisi in casu spiritualis potestas impedire nõ potest. Verùm dico ex iustis causis posse ecclesiam potestati temporali tollere cognitionem, aut iurisdictionem aliquorũ, de quibus alioqui iure suo discernere & statuere posset,quia scilicet ex natura sua spectant ad potestatem ciuilem,putà quia nõ satis commodè, & conuenienter ad finem spiritualem per solam potestatem ciuilem administrari possent. Exẽplum est in proposito. Nam cùm pactum matrimonij pendeat ex iure diuino, & quid ad matrimoniũ exigatur, & inter quas personas transigi matrimoniũ possit,inter quas non possit, & pleraq; ad huiusmodi contractum spectãtia,solo diuino iure terminari,& intelligi possent: non possent leges congruè de matrimonio fieri ab eo,qui ius diuinum non habet cognoscere,cuiusmodi est princeps secularis.Nec enim humana solùm eruditione satis cognosci possunt

multa, quæ circa connubia occurrunt, inter quæ hoc est vnum, quæ personæ ad matrimonium legitimæ sint. Quare iustis de causis totum negotium de matrimonijs paciscendis, & iungẽdis potestati spirituali seruatum est, etiam si matrimoniũ non esset sacramentum. sicut etiã puto episcopum in sua diœcesi posse etiã matrimonio impedimẽta ponere, & omnia quæ papa potest, nisi ea causa pontifici reseruata esset: sicut alia multa.

S. Thom. 4. distin. 25. q. 2. arti. 2. dicit, Matrimonium quãtum ad vtilitatem, quæ matrimonium consequitur, sicut est amicitia, & mutuum obsequium, habet institutionem à lege ciuili. & distinctione. 34. q. 1. articu. 1. ad. 4. Personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quòd sunt contra legem, qua matrimonium constituitur. Matrimonium autem inquantum est officium naturæ necessarium, statuitur lege naturæ: inquantum est sacramentum, statuitur iure diuino: inquantum est officium communitatis, statuitur lege ciuili, & ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona fieri illegitima ad matrimonium. Tamen distinct. 40 articu. 4. ad. 2. dicit, quòd matrimonium est tantùm sacrãmẽtum, sed est etiam in officium: & ideo magis subiacet ordinationi ministrorum ecclesiæ, quàm baptismus, qui est sacramentum tantùm, quia sicut contractus, & officia humana determinantur legibus huma-

humanis, ita contractus & officia spiritualia legi bus ecclesiasticis. Palud. 4. distin. 26. q. 3. artic. 3. cõ clusione. 2. tenet, quòd quæcunq; ordinatio legis humanæ non habet effectum non solùm si est cõ tra ius diuinum, & canonicum, imò etiam si non sit iure canonico approbata, quia causa matrimo nij est spiritualis & ecclesiastica: laicis autem in rebus ecclesiasticis ordinandis non est tributa fa cultas aliqua, à quibus siquid in talibus constitu tum fuerit, non est alicuius firmitatis, nisi ab ec clesia fuerit approbatum. extra. de constitutioni bus. c. Ecclesiæ sanctæ Mariæ. Hæc Palud. & S. Thom. in. 4. d. 42. art. 2. ad. 4. expressè dicit, quòd prohibitio legis humanæ non sufficeret ad impe dimentum matrimonij, nisi interuenerit authori tas ecclesiæ, quæ idem etiam interdicat.

AN GRADUS PROHIBI ti, in Leuitico sint cõtra ius diuinũ, & ões de iure Canonico illegitimi.

SVMMA.

1 *Gradus omnes, qui Leuit. 18. & 20. prohibentur, an sint iure naturali prohibiti.*

2 *Personæ aliquæ ex hoc, quòd iure diuino prohibeantur contrahere, quòd non sufficienter probetur si contrahant, matrimonium esse irritum & nullum.*

3 Per-

3 *Personæ aliquæ ex hoc, quòd in Leuitico sint prohibitæ contrahere, quòd non sit argumentum illas tempore legis euangelicæ iure diuino esse prohibitas.*

4 *Personæ quæ sint prohibitæ à matrimonio iure diuino quòd terminari non possit nisi ratione naturali, hoc est ex morali philosophia, & propositionibus cognitis ex lumine naturali.*

5 *Gradus in Leuitico prohibiti, quòd non omnes iure naturali sint prohibiti, ostenditur.*

6 *Ducere vxorem fratris defuncti, quòd non sit prohibitum lege naturæ.*

7 *Ducere relictam fratris sine liberis defuncti, vt in causa regum anglorum contigit, quòd nunquam fuerit prohibitum iure diuino legis veteris.*

8 *Frater, quòd secluso iure humano, sine quacunque Papæ dispensatione posset accipere vxorem fratris sine cũ liberis, siue sine liberis defuncti.*

SECVNDA pars quæstionis est, An omnes gradus prohibiti in leuitico sint contra ius diuinum, & omnes iure diuino illegitimi. In qua parte descendẽdum est in causam, & argumẽtum principum Anglorum, cuius causæ hæc summa est, Catherina inclytissima fœmina, filia regũ Hispaniæ, nupsit primogenito Henrici Anglorũ regis, quo sine liberis defuncto, iterum nupsit Henrico nunc Anglorũ regi serenissi

mo,

mo, qui post multos annos cupiens eo matrimonio liberari, causatur illud coniugium esse prohibitum iure diuino, & naturali: atq; adeò nec summum pontificẽ potuisse dispensare, vt vxor mortui fratris sibi nuberet atq; matrimonium irritũ esse, & fuisse. Istius occasione quæritur, Vtrum *omnes gradus, qui Leuiti. 18. & .20. prohibentur, 1
sint prohibiti iure naturali. Pro cuius solutione pono tale fundamẽtum. Ex hoc, quòd aliqui gradus sunt prohibiti iure diuino ad contrahendum non sufficienter probatur, quòd si tale matrimonium aliquis tentet facere, non teneat. Probatur manifestè, Quia non sufficit, vt matrimonium sit interdictum iure quocunq; ad hoc, vt non teneat patet, Quia iure diuino prohibita est stipulatio, & etiam collatio simoniaca, quæ tamen si fiant, dant verum ius super tale beneficium, quod spectat ad ius diuinum. Et beneficiorum multitudo, quantum puto, est prohibita iure diuino: qui autem plura beneficia habent, rerum dominiũ seu ius habent. Et de iure diuino prohibitum est post sponsalia ducere secundam: & tamen si fiat, matrimonium tenet. Ante omnia igitur præmitto, quòd multum interest, pactum aliquod aut factũ esse prohibitum iure, & esse irritum iure, aut nullum. Multa siquidẽ sunt iure tam humano quàm diuino prohibita, quæ tamen facta tenent: exempla sunt ita manifesta, vt reuocare in memoriam

non

non sit opus. Manifestum enim est prodigalitatẽ esse prohibitam iure diuino, & tamẽ donatio prodigalitatis tenet, & per illam verum ius acquiritur. Contractus simoniacus, siue etiam collatio simoniaca prohibita sunt iure diuino: tamen quatenus ad ius diuinum spectat, facta tenent, & ex tali collatione recipiens ecclesiasticũ beneficiũ, aut sacerdotium, verum titulum consequitur. Beneficiorum multitudo prohibita est iure diuino, & tamen qui possidet, verum titulum habet, percipitque iure fructus beneficiorum. Et vt propius ad argumentum, quod tractamus, accedamus, post sponsalia cum vna facta, matrimonium contrahere cum secunda prohibitum est lege diuina & naturali: tenet tamen matrimonium si contrahatur. Et in vniuersum vbicunque lege ecclesiastica est impedimentum impediens matrimonium contrahendum, non autem dirimens contractũ: peccatur quidem contra legem matrimonialem, nihilominus matrimonium validum est, & ratum. Item post votum simplex, prohibitum est de iure diuino matrimonium, factum tamen tenet. Ex quo infero, quòd * ex hoc, quòd aliquæ personæ iure diuino prohibentur contrahere, non sufficienter probatur, quòd si contrahatur, matrimonium sit nullum, & irritum. patet, quia (vt ostensum est) non sufficit pactum esse prohibitum, vt sit irritum & nullum. non ergo ad probandum, q

ali-

aliqđ matrimoniũ sit irritũ, satis est ꝓbare, ꝙ personæ sint prohibitæ de iure diuino. Et cõfirmatur Nã sub eisdẽ verbis, quibus personæ cõiunctę cõ sanguinitate, aut affinitate in lege prohibebãtur, etiam prohibebantur aliæ personæ, inter quas tamen matrimonium constare poterat: vt Exo. 34. prohibebatur filijs Israël accipere vxores de filiabus Chanaan, & Leui. 21. prohibentur sacerdotes accipere vxorem, scortum, aut vile prostibulum: & tamen non puto siquis contra mandatum Domini huiusmodi vxorem duxisset, non futurũ verum matrimonium, cùm Deutero no. 21. licentia permittatur filijs Israël accipiendi in vxorẽ mulierem ex captiuis alienigenis sub certis cæremonijs, & solennitate. S. Tho. autem. d 39: dicit, ꝙ intelligitur de alijs gẽtibus, vel cùm volebat mulier talis cõuerti ad ritus Iudæorũ. Et de Salomone legitur. 3. Reg. 11. ꝙ habebat vxores Moabitidas, & Ammonitidas, & Cetheas de gẽtibus super quib⁹ dixit Dñs Israel, Non ingredimini ad eas, nec de filijs illis ingrediẽtur ad vestras: & tñ illæ erant verę vxores, sic enim Scriptura appellat eas. Et Neemiæ vltimo legitur de filijs Israel, quòd ducebant vxores Azotidas, Ammonitidas, & Mohabitidas Item habetur. 1. Esdræ. 10. & li. 3. c. 8. &. 9. Imò expresse dicitur. c. 8. ꝙ collocauerũt mulieres alienigenas sibi in matrimoniũ. Vide tamẽ S. Tho. 4. d. 39. Vbi videtur dicere, ꝙ nõ fuit verũ matrimoniũ

nec

nec tamen videtur asseuerãdum omnes illas pro scortis,& concubinis habendas,& pro non legitimis vxoribus. Non ergo obstat præceptum Domini, quominus etiam ex vetitis mulieribus accipere vxorem quis possit. Ex quibus omnino videtur, quòd ex hoc, quòd aliquæ personæ prohibentur à matrimonio in Leuitico, nõ firmiter probatur, ꝙ inter eas non possit esse verum matrimonium, etiam durante lege. Et vt exẽplo rem apertiorem faciamus, si in Leuitico scriptum esset ne quæ votum continentiæ vouisset, virum acciperet: an si talis contra mandatum Domini nupsisset, non fuisset verum matrimoniũ? profectò non est dicẽdum, cùm re vera nunc sit iure diuino prohibitum, & tamen hactenus nemo negauit eiusmodi mulierem nubere posse. Nec ius diuinũ efficacius esse poterat in veteri testamẽto, quàm in lege euãgelica est. nõ ergo satis videtur esse, vt negemus inter aliquas personas matrimoniũ cõstitui posse, quòd iure diuino prohibitæ sunt, &c.

3 Secundò dico, ꝙ* ex hoc ꝙ in Leuitico aliquæ personæ sint prohibitæ contrahere, non est argumentum, quòd illæ personæ sint prohibitæ tempore legis euangelicæ iure diuino. ꝓbatur, Quia vetus testamentum est abrogatum. Multaq; sunt in veteri testamento præcepta diuina, quæ tempore Euangelij euacuata sunt. Qualia sunt præcepta omnia cæremonialia, item & iudicialia. quod

satis

satis cõstat non solùm ex verbo Domini in cruce, Consummatum est: sed etiam ex sententia & concilio Apostolorum Actuũ. 15. vbi recitata hæresi Pharisæorum dicentium, quòd oportebat circuncidi eos & seruare legem Moysi, tandem ventum est in decretum illud, Visum est spiritui sancto & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria. Et Paul. Rom. 7. Lex in homine dominatur quanto tempore viuit: itaq; vos fratres mortificati estis legi per Corpus Christi. Quod exponit per similitudinem mulieris, quæ sub viro est, quę mortuo viro soluta est à lege viri. Et ad Galat. 4. hoc item astruit per similitudinem pueri, qui est sub pædagogo vsque ad definitum tempus à patre. Et rursus exponit per illud, Abraham duos habuit filios, vnum de ancilla, alterum de libera, & dictum est ei, Eiice ancillam, & filium eius: & subdit, Itaque non sumus filii ancillæ, sed liberæ: per ancillam videlicet intelligens vetus testamentum, per liberam nouum testamentum. & ad Hebræos. 7. Reprobatio fit prioris mãdati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Et in capitulo. 8. inducit illud Ierem. 31. Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domum Israel, & super domum Iuda testamẽtum nouum, non secundum testamentum, quod feci patribus eorum. & subdit, Dicendo autem nouum, veterauit prius: quod autem antiquatur, & senescit,

prope interitum est. Ex hoc ergo, quod Leuit. 18. cauetur, vbi arcentur personæ certæ, nullum trahitur argumentum. Et si obijciatur, Quod præcepta moralia veteris testamenti non cessauerunt. cùm ergo Apostolus non faciat distinctionẽ inter præcepta, videtur ergo, q̃ nec ista præcepta cessauerint. Ad hoc respondetur, quòd argumentum omnino concludit, quòd omnia, quæ potuerunt cessare, cessauerũt. Vnde præcepta moralia nullũ vigorem habent ex lege. Itaque ex eo loco non maius argumentum trahitur ad probandum non licere nunc matrimonium inter gradus illic prohibitos, quàm si quis velit probare ex eadem lege abstinendũ esse à carnib⁹ suillis, vel certis diebus à fermẽtato. Nec solũ nõ adducitur ex eo capite sufficiẽs argumẽtum, sedetiam hæreticum est asserere, ideo quenquam prohiberi in lege euangelica à matrimonio consanguineorum, quòd sit prohibitũ in Leuitico: cùm sit hæreticum dicere, quòd lex Mosayca currat simul cum Euangelica. vt in cap. maiores de baptismo, & eius effectu habetur. Et oppositum fuit error Cherinthi & Hebionis.

4 Tertiò dico, q̃ dubiũ hoc, *quæ scilicet personæ prohibitæ sunt à matrimonio iure diuino, terminari nõ potest, nisi ratione naturali: hoc est, ex morali philosophia, & ꝓpositionibus cognitis ex lumine naturali. Probatur, Nihil cognoscitur, ni

si vel

vel reuelatione, vel ratione naturali. Si ergo de hoc aut nihil, aut certè non adeò multum est de hac re in Scriptura traditum, ex quo trahi possit argumentum, (in nouo enim testamento tractata quæstio non inuenitur: in veteri autem non satis pro præsenti tempore sufficit ad expediendum quæstionem, quid super hac re cautum sit) restat vt referendum sit in iudicium naturalis rationis. Et confirmatur, Quia receptissimum est apud omnes theologos, & necessariũ est ita tenere, ex omnibus præceptis veteris legis sola moralia integra & firma restitisse in noua lege. Cũ autem eadem omnino sint moralia præcepta ex omniũ sententia, quæ naturalia sunt vel iuris naturalis: eadẽ omnino quæstio est, an præceptũ Leuitici de gradib⁹ matrimonij, nũc teneat, ac si q̃rãtur, an illud p̃ceptũ sit iuris naturalis. q̃ aũt sit aliqd de iure naturali, nisi naturali ratione cognosci nõ potest: quare omnino tota res humanis & naturalib⁹ rationib⁹ trãsigenda est. Et cõfirmatur, Quia lex euãgelica tũ multis iustissimis causis, tũ vel ob hãc causã lex libertatis à Christo & ab apostolis vocatur, q̃ solo iure naturali, post euãgeliũ Christiani teneãtur ex oibus quæ in lege veteri erãt. Quare si iure naturali matrimoniũ aliqd̃ dãnatũ nõ sit, oĩno nihil est, ꝓpter q̃ tale matrimoiũ illegitimum inter christianos sit. Puto enim nullũ esse p̃ter precepta iuris naturalis præceptum negatiuũ in Euãgelio.

Cum ergo præceptum impediens matrimonium sit negatiuum, non est in noua lege, lex autem vetus authoritatem nullã facit. rationi ergo naturali stare debemus. Nec eo tamen disputatio, aut examinatio erit infirmior: ipsa enim ratio naturalis, non est humanum inuentum, cùm naturale lumẽ ab ipso Deo naturæ conditore donatum sit. Illud enim est lumen vultus Domini, quod signatum est super nos (vt propheta dicit) atque adeò, etiã. Pau. ad Roma. 1. quæ naturali ratione cognoscuntur, reuelationem diuinam vocat. Deus enim, inquit, illis reuelauit. Quare non multo incertior erit diffinitio si ex naturalibus procedat, quam si ex sacris literis argumentaremur.

5 His præmissis pono conclusionem, Non* omnes gradus in Leuitico prohibiti, sunt iure naturali prohibiti. Probatur, Nam, vt à principio admonebam, ratio, & necessitas in moralibus, & prorsus in omnibus agendis sumenda est ex fine, sed vterque finis matrimonii saluus prorsus & incolumis constabit, etiam si non omnes illæ personæ à matrimonio arceantur, & eliminentur: ergo quantum ex iure naturali pendet, non omnes illæ personæ sunt prohibitæ ad matrimonium inter se iungendum. Probatur minor exemplo. Prohibetur in lege, ne quis ducat amitam, aut materteram: certè non videtur quod officiat, aut obstet ad finẽ matrimonii, siue ad procreationẽ, aut edu

educationē prolis, siue ad maritalia officia, & obsequia. Et vt apertius intelligatur, secludamus totum, quod in Leuitico proditum est, postquam vt dictum est, ex illo loco non potest trahi argumentum contra nostram conclusionem: nec plus obligat illud præceptum, quàm si nunquam latū esset, & agamus sola ratione. certè nō inuenietur probabilis ratio, quæ amitam à connubio nepotis arceat. Et confirmatur, Nunquam aliquis philosophorum, qui tamen de connubijs multa scripserunt, putauit illicitum matrimonium inter huiusmodi necessitudines. non ergo videtur hoc esse prohibitum iure naturali: certè enim alicui veniisset in mentem ius hoc, si naturale esset. Et confirmatur vlteriùs, Huiusmodi matrimonia vt ex historia cognoscere est, passim celebrantur inter gentes quæ legem non nouerunt, sine quacunq; reprehensione: & tamen, vt Apostolus ad Roma. dicit, Gentes, quæ legem non nouerunt, naturaliter quæ legis sunt faciunt: hoc est, quæ legi naturæ consentanea sunt. ergo omnino non videntur ea connubia lege naturali damnata. Secūdo principaliter arguitur. Nam aliquæ personæ æqualiter coniunctæ sicut illæ, quæ prohibentur in lege eadem lege contrahere permittuntur, & tamen stando in lege naturali, eadem ratio videtur de vtrisq;: ergo neque illæ, quæ prohibentur in lege, omnes sunt de iure naturali. Antecedens patet,

Prohibetur in lege, ne eadem mulier nubat duobus fratribus, & tamen non prohibetur ne idem vir ducat duas sorores. cùm tamen prorsus videatur eadem ratio de vtrisque, eadem enim est prorsus affinitas, & coniunctio: ergo si ducere duas sorores non est prohibitum lege naturæ, non videtur quare sit prohibitũ ecõtrario nubere duobus fratribus. Tertiò arguitur, Ante legem scriptam inueniuntur aliqua matrimonia, etiam inter sanctos confecta, quæ tamen in lege prohibentur, vt cognoscere licebit sacram scripturam euoluenti. ergo non omnia, quæ lege prohibentur, prohibẽtur lege naturæ. Consequentia probatur, quia ea quæ sunt naturali iure prohibita, nõ plus licebãt ante legem, quàm in lege & post legem ergo. &c.

Contra hanc conclusionẽ tamen arguitur primò, Aliquæ personæ prohibitæ in Leuitico sunt de lege naturæ prohibitæ, & nõ videtur maior ratio de aliquibus, quàm de alijs. ergo omnes sunt prohibitæ lege naturali. Assumptum patet, de patre & matre cum filijs suis, quod esse contra leges naturæ, vel ex eo manifestum est, quod nũquam fuit aliqua natio tam barbara aut immanis quæ non huiusmodi connubia horreret, imò etiã bruta, & ferę tales concubitus refugiunt, vt Aristo. li. 1. de animalibus ponit. Item de vxore patris: de qua Apostolus. 1. Corin. 5. Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter Gentes, ita vt vxorẽ patris aliquis

quis habeat, vnde videtur quòd sit contra legem naturæ matrimonium inter priuignum & nouercam. Et cõfirmatur, Si omnia cõnubia licita sunt vbi finis matrimonij saluus esse possit, sequitur, nulla prorsus esse illegitima. Potest enim esse educatio, & procreatio prolis, & mutua officia & obsequia inter quascunque personas, alioqui non steriles. ergo cùm omnia sint legitima matrimonia sic, nec sufficit quòd sint conuenientia ad fines matrimonij. Secundò, illud præceptum Leuitici non est cæremoniale, vt manifestum est: nec etiã videtur iudiciale, cùm iudicialia sint, quæ iustitiam componunt inter homines, ad quod illud præceptũ non videtur spectare. ergo videtur q̃ sit præceptũ morale, & ex cõsequẽti de iure naturali. Tertiò arguitur sic, Illa quę prohibentur in illo præcepto, erant illicita apud gentes etiam ante legem. ergo sunt de iure naturali Consequentia est nota, cùm gentes alia lege nõ tenerentur. Antecedens probatur, Nam post illud præceptũ vbi prohibentur illæ personæ in eodem capit. subditur, Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminatæ sunt gentes vniuersæ, quas ego eijciam ante conspectum vestrũ, & quibus polluta est terra, cuius ego scelera visitabo, vt euomat habitatores suos. Ex quibus certè videtur, q̃ illa eadem quæ in loco illo prohibentur, essent illicita, & scelerata inter Gentes, quæ certè non fuissent, nisi lege

naturali prohibita essent. Et confirmatur, Quia eisdem verbis prohibẽtur omnes necessitudines, quæ arcentur, & interdicuntur à matrimonio in illo capitulo. Semper enim dicitur reuelare turpitudinem, quod videtur quandam naturalem inhonestatem præ se ferre, & eodem nomine appellat scelera abominationes, & execrationes. ergo si aliqui gradus sunt contra ius naturale, & omnes itidem erunt.

Ad hæc argumenta respondetur. Ad primum quidem, concessa maiori, nego minorem: & dico sine dubio esse prohibitum iure naturali connubium inter filium & matrem. & inter filiam & patrem. Pro quo est considerandum, quòd sicut virtutes sunt connexæ (vt Aristo. tradit) & omne verum vero cõsonans, ita & præcepta Dei inuicem consonant, nec vlla ex parte repugnant. alioqui sapientia diuina non omnia suauiter disponeret, si quod vno loco præciperet, alibi prohiberet. Nõ enim solùm præcepta non sunt sibi contraria, sed ita se mutuò iuuant, vt difficile admodum sit alterum sine altero seruari est autem vnum præceptũ iuris naturalis venerari parentes, & reuereri, ergo, &c. Item est præceptum, vt coniuges mutuò sibi inseruiãt, cùm ergo sit ille alter ex duobus matrimonij finibus, nullo modo matrimonium consistare inter parentes & liberos potest. Quomodo enim mater filio salua reuerẽtia & pietate filij ser-

uire

uire poterit? quo modo ex præceptis & nutu filij pendere? Aut quomodo filius sustinere poterit, vt matri imperet, & coniugalia obsequia exigat? Non ergo vllo pacto cõuenire potest, vt filius matrem vxorem habeat. Et confirmatur ex illo Pauli ad Ephes. 5. Vnus quisq; vxorem suam sicut seipsum diligat: vxor autem timeat virum suum. Oportet ergo si mater nubat filio suo, vt filium timeat, quod exhorret naturalis lex. & in eodẽ, Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ: sed sicut ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis in omnibus. Oporteret ita q; matrem in omnibus subiectam esse filio cõtra legem naturæ. Quòd si contendat quis hac ratione bene obstari ne mater nubat filio, non autẽ impediri quin filia nubat patri: nec hoc quidem satis commodè fieri potest. Probatur. Nam esto, q vir caput sit mulieris, tamen mulier socia est, non serua. & notum est non posse inter officia, & munia coniugalia commodè seruari pietatem, & reuerentiam liberorum ad parentes. Vxor etiam certè ius habet exigendi debitum à viro, quod filiæ in patrem nõ satis conuenire potest. Itẽ Paul. 1. Cor. 7. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex cõsensu ad tempus, vt vacetis orationi: nõ est autem consentaneum vt pater talem à filia consensum expectare debeat. Et in eodem loco: Paul. Qui cũ

vxore est, solicitus est quę sunt mundi, quomodo placeat vxori, & quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro. Nihil autẽ minus cõuenire videtur, quàm vt pater solicitus sit quo modo placeat filiæ, aut mater quomodo filio placeat, cum ecõtrario filij soliciti esse debeant, quomodo placeant parentibus ergo. Et præterea, hoc videtur omnino tollere principalem finem matrimonij, scilicet procreationem & educationem liberorum: nam plurimum ita euenit, vt cum filius adultus sit, & aptus matrimonio, mater iam sit effœta, & anus, & minimè idonea viro, vt intelliget facilè quis si rationem ætatum habeat. Atq; adeò ex huiusmodi connubijs, aut nulla, aut certè rara proles possit procreari. & rursus mater seneſcat necesse est, filio adhuc eodemq; viro in iuuentutis flore constituto, quod præterquam quòd esset continentiæ grande offendiculum, cùm tamẽ matrimonium sit in remedium continentiæ, omnino impediretur magna ex parte liberorum procreatio, non habente scilicet huiusmodi marito ex qua filios susciperet: quod esset magnum reipub. detrimentum, & generis humani iactura. Et quanquam non ita videatur grande inconueniens, si filia patri nuberet: tamen si ratio ætatum habeatur, æquè videtur magna ex parte procreationem liberorum impediri ex talibus coniugijs, & incontinentię adolescentium fœminarum in-

cen-

cendium grande parari. Quare prorsus pro indubitato haberi debet, eiusmodi connubia naturali lege esse omnino prohibita, illegitima, & incesta. Quod etiam satis significatur ex verbis ipsius primi parentis Genes. 2. Propter hanc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, vbi significauit aliam debere esse vxorem, & aliũ virum, quàm patrem & matrem. Et quamuis non ita certum sit, aut notum, eadem videtur ratio de vxore patris, siue de nouerca & priuigno Cùm enim ex coniugio fiant duo in carne vna, eadem pietas, & reuerentia videtur deberi vxori patris, quæ ipsi patri, quare nec illam decet in vxorem accipere: & eadem ratione liberorum generatio impediretur, sicut ex matrimonio cum matre. Quare hoc etiam matrimonium videtur lege naturali prohibitum.

Descendendo ergo ad casum positum de matrimonio inter regem & reginam Anglorũ, quæritur vtrum accipere relictã fratris defuncti vxorem sit prohibitum iure naturę. Ad hoc sit prima cõclusio principalis, Ducere * vxorem fratris de- 6
functi non est prohibitum lege naturæ. Pro cuius probatiõe præmitto, ꝙ aliqua se habẽt tripliciter ad ius naturale: quædã enim sunt de se inhonesta semp, quæ scilicet in nullo casu licitè fieri possũt, vt periuriũ & adulteriũ, sicut ecõtrario quędã semp & ꝙ se sunt honesta & rõni cõsona, vt Deũ colere

paren-

parentes venerari,& similia.Hoc ius naturale dicitur necessarium, siue immutabile. Alia sunt de se quidem inhonesta, & prohibita iure naturali, sed quandoque propter graues causas possunt licitè fieri. Sicut ecõtrario sunt aliqua honesta quidem,& consona rationi,& principijs moralibus, secluſa etiam omni lege positiua, imò præcepta lege naturali: sed tamen non habent bonitatẽ immutabilem,vel necessariam, sed secundum diuersas temporis,loci, & personarum circunstantias, & conditiones varietatem recipiunt,vt seruare fidem,reddere debitum,non habere plures vxores & similia.Alia sunt, quæ non sunt quidem prohibita iure naturali,sed inter minora bona computantur,quale fortasse est matrimonium respectu cælibatus,de quibus Paul.1.Corint.6. Omnia mihi licent,sed non omnia expediunt. horum contraria naturali iure sunt approbata tanquam meliora quidem, sed non vt necessaria, absolutè loquendo. Fortasse cælibatus (sicut diximus) iure naturali præfertur matrimonio:non tamen alterum est in præcepto,alterum prohibitum.Rationes enim Pauli.1.Corint.7.quibus prefert cæliba tum matrimonio,videntur procedere in iure naturali.Item paupertas melior est diuitijs, neutrũ tamẽ sub præcepto.His suppositis dico,quòd ducere relictam fratris defuncti nõ est de primo genere prohibitorum iure naturali.Probatur,Nulla

ratione

ratione naturali, quę quidem necessaria videatur probari potest, illud esse tam inhonestum, vt in nullo casu liceat fieri. ergo, &c. Confirmatur manifestè, Quia illud aliquando (vt omnes fatẽtur) licuit. Hoc patet Deutero. 25. vbi præcipitur, vt frater accipiat vxorem fratris sui sine liberis defuncti. Si enim esset malum ex primo genere, vel non posset Deus dispensare, secundum saniorem sententiam, sicut nec in periurio, vel certè nõ ita passim, & sine grandi necessitate: solùm ceremoniæ, & significationis gratia dispensasset. & omnino absurdum est, & parum pium dicere, q̃ Deus legẽ condiderit contrariã legi naturali primæuæ.

Secundò dico, quòd inter ea quæ prohibentur Leuiti. 18. præter primum gradum, scilicet inter ascendentes & descendentes, fortasse omnia alia sunt prohibita iure naturali. secundo modo, hoc est absolutè, & non vrgente aliqua graui causa, & rationabili. Probatur, Quia ex tali matrimonio semper sequitur aliquid, quod licet non tollat finem matrimonij, tamẽ ex parte officij vel obstat fini, vel est contra reuerentiam naturalem debitã consanguineis, vt quòd nepos sit dominus & caput amitę aut materterę, cui debetur idem honor qui matri: & non videtur consentaneum rationi naturali, vt amita seruiat nepoti, & timeat nepotem: & simile posset dici de omnibus alijs gradibus prohibitis in lege. Sed ista incõmoditas, quæ contin-

contingeret ex huiusmodi coniunctionibus, matrimonialibus, omnino non est tanta, quin possit compensari aliquo magno bono, quod ex tali cõiunctione consequitur, aut graui malo quod deuitetur, vt ad constituendum pacem in republica ad tollendas simultates inter illustres, ad supplendum insignem aliquam solitudinem, & raritatem hominum in orbe, aut prouincia. In hoc ergo genere reponi potest matrimonium viri cum vxore fratris defuncti. videtur enim quòd ex tali coniunctione irrogatur iniuria quædam priori viro. Semper enim æstimatum fuit vxorem ingratam esse priori viro, quæ secundò nupsit. Vnde etiam Dido apud Maronem.

Ille meos primum, qui me sibi iunxit, amores.
Abstulit, ille habeat secum, seruetq; sepulchro.
Et paulò prius.
Antè pudor quàm te violem, aut tua iura resoluam.

Quasi inhonestè, & turpiter se acturam diceret, si priori marito alterum superinduceret: turpius autem id videri potest, per hoc quòd frater sit huius qualiscunque iniuriæ aut ingratitudinis author, aut particeps vxorem fratris accipiens. Quare videtur sua natura illaudabile, & reprehensibile, non tamen ita quin ex causa aliqua compensari possit hoc quod de se parum honestum videtur.

Tertiò dico, quòd fortasse hoc ipsum matrimo

nium

nium non in secundo genere, sed in tertio reponendum est: hoc est, non inter ea, quæ natura sua mala sunt, licet ex circunstantia bona esse possint, sed inter ea quæ minus bona sunt: hoc est, licet quidem solo iure naturali posito vxorem fratris accipere liceat, sed non expediat, hoc est, melius est abstinere ab huiusmodi matrimonijs, quemadmodum & quidam gradus ab ecclesia interdicti sunt à matrimonio, vt inter consobrinos vel in quarto gradu consanguinitatis, aut affinitatis. non enim apparet ratio malitiæ in tali cõiunctione, licet ostendatur magis expedire, vt talia matrimonia interdicantur.

Secunda conclusio principalis, Ducere * relictam fratris sine liberis defuncti, vt in causa regũ Anglorum contigit, nunquam fuit prohibitum iure diuino veteris legis. Probatur, Si fuisset prohibitum hoc, maximè fuisset in illo præcepto Leui. 18. & .20. Non reuelabis turpitudinem vxoris fratris tui, sed hoc non probatur, quia aut intelligitur lex illa viuente fratre, qualiter intelligitur illud Iohan. Baptistæ, ad Herodẽ, Non licet tibi habere vxorem fratris tui, & hoc nõ obstat cõclusioni: aut intelligitur de fratre defuncto cum liberis, & nec hoc obstat: aut de fratre mortuo sine liberis, & hoc modo probatur, quòd nõ possit intelligi. Nam Deuteron. 25. lata est lex, vt si frater sine prole decesserit, relictam fratris frater superstes 7

accipiat

accipiat. ergo lex illa Leuitica intelligi nō potest de fratre sine liberis defuncto. Nam audiendum non est, aut quòd in lege essent duo cōtraria præcepta, aut quòd id quod est in Deuteronomio, sit dispensatio eius legis, quæ est in Leuitico. Non enim est satis intelligibile, vt eodem tempore aliquid prohibeatur, & dispensetur in eo generaliter. nam dispensatio nihil aliud est, quàm relaxatio legis: ac per cōsequens singulariter licebat fratri ducere vxorem fratris sine liberis defuncti. Nō ergo erat lex, talia matrimonia interdicens: nihil enim plus efficiunt illæ leges latæ in Leuitico & Deute. quàm si in eodem cōtextu sanciretur primum, nequis vxorem fratris cum liberis defuncti duceret & secundò, vt vxorem fratris sine liberis defuncti superstes frater ducere teneretur, aut certè posit. Istis enim duobus capitibus cauetur omnino totum, atque idem quod in Letiuico, aut Deuteronomio cautum est: atq; adeò mihi nō est dubium, nec cuiquam sanè sacras literas tractanti & intelligenti, nunquam lege diuina prohibitum esse, ne frater vxorem fratris sine liberis defuncti vxorem accipiat.

8 Vltima conclusio contra bonam partem theologorum, Seclusō* iure humano sine quacunque papæ dispensatione frater posset accipere vxorē fratris siue cum liberis, siue sine liberis defuncti. Probatur primum, Hoc cōnubium spectat ad ea quæ

quæ sunt iuris naturalis tertio modo, id est, quæ sunt quidem meliora, sed contraria non prohibentur iuræ naturæ ergo, non est prohibitum. Patet. Nam dato quòd melius esset nõ ducere quàm ducere: nihilominus non esset illicitum ducere, & dato quòd esset de secundo genere iuris naturalis, nihilominus posset ducere. Probatur primum, si subesset causa rationabilis, vt declaratum est, quæ scilicet illud quod sua natura malũ est, licitum in eo casu faceret, Imo (in quo est maior difficultas) dico quòd etiam si nulla subesset causa rationabilis matrimonium esset validum. Probatur, quia vt in primo fundamẽto huiꝰ quæstionis diximus nõ est idẽ matrimoniũ aliquod esse prohibitum, aut esse iure nullum, aut irritum. Vnde dato quod esset illicitum iure naturali, nõ sequitur, quòd si contrahatur, non teneat. Sicut etiam, quod idẽ videtur, si successiuè accipiat duas sorores, videtur equaliter prohibitum iure naturali, & tamen nõ est dubitandum, quin secluso iure humano matrimoniũ teneret, sicut beatus Ambrosius ad Paternum dicit esse illicitum iure naturali, vt patruus accipiat neptem in vxorem, & tamẽ dubitari non potest, quin secluso humano iure si contraheret, matrimonium teneret, cùm etiã in tẽpore veteris legis non esset prohibitum, nam Abraham habuit Saram secũdum August. & Hieron. neptem ex fratre. Et post legem scriptam O-

thoniel frater Chaleb duxit Axam filiam Chaleb. Iosue.15.& Iudi.1.Non ergo est dubitādum, quin etiam nunc si quis duceret, teneret matrimoniū, vt dictum est,stando in iure naturæ.

Et ad hunc sensum intelligenda sunt sanctorū dicta,dicentium, quòd aliqui gradus sunt prohibiti iure naturali,qui tamen nūquam in lege prohibiti inueniuntur,vt inter consobrinos. Item etiam quandocunq; dicunt,quòd sit cōtra legē naturæ,accipere vxorem fratris, intelligendum inquam sine dubio est,quòd est quidem illicitum iure naturæ:non ita tamen,q; si fiat, non teneat factum sicut suprà dictum est, quòd qui post votū continentiæ acciperet vxorem, peccaret quidem contra legem naturæ: nullus tamen hactenus defendit,quin tale matrimoniū teneat. Oportebit ergo rationem reddere quare,cùm æquè, vel certè plus sit contra legem naturæ,vxorem post votum continentiæ accipere, quàm relictam fratris defuncti,quare in quā, si in primo casu matrimonium tenet,non in isto etiam teneat. Cōfirmatur apertè & manifestè ex c.finali.de diuortiis. Vbi cùm esset consultus Innocentius tertius,Quid de Liuonien sibus conuersis ad fidem faciendum esset,qui priùs secundum tenorem legis Moysi vxores fratrum sine liberis defunctorum duxerant. Respondet pontifex.concedens illis, vt in contractis matrimoniis perseuerent. Manifestum est autem

tem quòd si talia matrimonia essent irrita iure naturali, non posset pontifex illa concedere, aut approbare, maximè cùm lex Moysi, nõ solùm apud Christianos, sed apud omnes mortales prorsus iã nullius sit virtutis, & efficaciæ, Quare si nobis iure naturali interdicerentur talia matrimonia, non releuaret ab hoc interdicto vel lex, vel dispensatio Moysi. Vnde aparte, sine dubio concluditur tale matrimonium non esse iure naturali prohibitum: vel si est, non ita tamen, vt si attentatur, factum dirimatur aut non teneat.

Ex quo sequitur corollarium quòd omnes infideles contrahentes in gradibus ab ecclesia prohibitis, si non cõstet esse iure naturali prohibitũ, vere contrahunt, & est ratum matrimonium. Itaque si quis inter infideles duceret relictam fratris siue cum liberis, siue sine liberis defuncti, dubitandum non est, quin tale matrimonium esset validũ nec conuersi ad fidem indigent papæ dispensatione, imò neque quacunque authoritate possent separari, scilicet cùm solo iure humano, quo infideles non tenentur, huiusmodi matrimonia sint interdicta.

PRIMA CONCLVSIO.

Quanquam de essentia, aut necessitate matrimonii non sit viri aut mulieris consensus ille ta-

men quacunq; intentione, & verbis, conditione interposita ad matrimonium nunquam sufficit, etiam conditione consensum comitante.

SECVNDA CONCLVSIO.

Non solùm lege diuina, & ecclesiastica, sed ciuili etiam matrimonio impedimenta poni possunt: nec tamen omnia in Leuitico contenta iure naturali aut diuino matrimonium dirimunt.

TERTIA CONCLVSIO.

Sicut ecclesia fortasse matrimonium ratum dirimere non potest, ita neque religionis professio semper dirimit etiam ante matrimonii consummationem.

Finis primi tomi.

REVERENDI patris fratris Franciſci à Victoria, ordinis Prædicatorum, ſacræ Theologiæ in Salmanticenſi Academia quondam Profeſſoris primarij, Relectio.

DE AUCMENTO CHAritatis, & diminutione.

SVMMA.

1 *Charitas, an augeatur per quemlibet charitatis actũ. Et quomodo de hoc tres opiniones recitantur.*

2 *Actus intenſior habitu, an augeat habitum ſecundũ ſuam totam latitudinem, an ſolùm ſecundũ exceſſum, quem habebat ſupra habitum.*

3 *Actus intenſior, non auget habitum per totam ſuam latitudinem, ſed ſolùm ſecundum exceſſum quem habet ſupra habitum.*

4 *Actus quilibet meritorius, auget gratiam ſecundum totam ſuam latitudinem, & non ſolùm ſecundum exceſſum ſupra habitum.*

5 *Charitas, non augetur per totam latitudinem actus, ſed ſolùm ſecundum exceſſum actus ſupra habitum.*

6 *Charitas, nũquã est æqualis gratiæ, saltem in adulto.*

7 *Gloria, respondet gratiæ, & non charitati.*

8 *Opiniones secunda & tertia de augmento charitatis in quo differant à prima.*

9 *Agentia plura nunquam producunt maius lumen, vel calorem in primo puncto sphæræ suæ, actiuitatis, quàm produceret vnum illorum, quod maximum est.*

10 *Lumen productum nunquam est maius, quàm sit lumen in maximo luminoso.*

11 *Per quemlibet actum charitatis quantumuis remissum, meretur quis, & habebit maiorem gloriam.*

12 *Per quemlibet actum charitatis quantumuis remissum, augetur gratia.*

13 *Si per actum remissum charitatis non augetur charitas statim, voluntarium videtur dicere, quòd augeatur in fine vitæ.*

14 *In augmento habitus, an habeatur respectus non ad intensiorem gradualem actus meritorij, sed ad quantitatem meriti.*

15 *Data opinione quòd non augeatur habitus per actum remissum, an plures actus remissi possint augere habitum, vel etiam vnus actus continuatus possit æquiualere in merito vni actui intenso. Et de triplici istius quæstionis opinione.*

16 *Meritum, nullo modo proportionatur intensioni.*

17 *Meritum, non solum non proportionatur intensioni, sed nec magna multitudo actuum remissorum æquiualet vni actui intenso, vel perfecto.*

An meritum

18 *An meritum dupliceturſi no ſit magna continuatio & perſeuerantia in actu.*

19 *Habitus ſine dubio augetur, quandocunq; peruenitur ad meritum æquale cum actu intenſo, ſiue per multiplicationem, ſiue per continuationem.*

20 *Charitas an diminuat dupliciter diſputari põt vno modo an per peccatum veniale alio modo an per mortale.*

21 *Charitas, vel gratia, an per peccatum veniale diminuatur.*

22 *Nullum peccatum veniale poteſt tollere gratiam.*

RELEGENDVS locus eſt Pauli Apoſtoli Philipenſ. 1. Oro vt charitas veſtra magis ac magis abũdet, &c. Relectio noſtra habebit duas partes. In prima agemus de augmento charitatis. In ſecunda, de diminutione eius. De augmento non omnes quæſtiones tractare ſtatuimus: neque enim liceret in tam breui tempore: ſed vnam elegimus, quæ inter Doctores celebrior eſt, & magis ad Theologum ſpectat: & ea eſt, An * per quemlibet 1 actum charitatis augeatur charitas? Et quidem pro parte affirmatiua arguitur, qa quilibet talis actus eſt meritorius gloriæ, ergo & gratiæ, & per cõſequens charitatis. Aſſumptũ patet, quia actus quicũq; bonus relatꝰ in Deũ ex charitate eſt bonꝰ

& meritorius, vt late tractat S. Tho. 1.2. Conſequẽ tia probatur, quia gloria correſpondet gratiæ & charitati; ergo ſi pro tali actu datur maior gloria, ergo maior gratia, & charitas.

Pro parte autẽ negatiua arguitur, quia in agen tibus naturalibus agens remiſſum non agit effectum intenſiorem: ergo neque actus charitatis remiſſus auget habitum charitatis intenſum. Conſequentia probatur, quia de ſpiritualibus & ſupernaturalibus debemus iudicare per proportionem ad naturalia, niſi oppoſitum cõſtet teſtimonio ſcripturarum. Iuxta illud apoſtoli ad Roma. primo. Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur.

De quæſtione hac eſt triplex opinio. Prima tenet alterum extremum, quòd, ſcilicet, quolibet actu charitatis quantũcunq; remiſſo augetur charitas & gratia. Iſta eſt communis opinio recentiorum, eorũ ſcilicet qui nominales vocantur, vt eſt videre apud Gabrie. in primo diſtinct. 17. quæſt. 4. & in. 3. diſtinctio. 23. quæſt. 1. & in eiſdem locis apud alios Doctores.

Secunda opinio tenet duo: primum, quòd pro quolibet actu charitatis quantumuis remiſſo datur maior gloria: ſecundum, quod per actum remiſſum non augetur charitas, aut gratia. Iſta opinio eſt Scoti in. 4. & Ricard. in. 2. diſt. 16.

Tertia opinio tenet alterum extremum, quæ dicit

dicit, quòd per nullum actum augetur charitas, nisi sit intensior ipso habitu charitatis, & per consequens, quòd pro tali actu non datur maior gloria. Ista opinio vel est, vel attribuitur S. Tho. 1. 2. quæst. 52. art. 3. & 2. 2. quæst. 24. art. 6. & in primo. d. 17. & videtur opinio Durandi. 1. d. 17. q. 8. licet fortasse potius sit cum secunda opinione recitata Ex his opinionibus, primo volo examinare quod est commune tribus ipsis opinionibus. Commune autem est ipsis, quòd per actum intensiorē augetur habitus charitatis. Circa quod reuocatur in dubium, An actus* intensior habitu augeat habitum secūdùm suam totam latitudinem, an solùm secundum excessum, quem habebat supra habitū. Verbi gratia, si habitus est vt quatuor, & actus intensior vt octo, an habitus ille augebitur per octo gradus, an solùm per quatuor. Et videtur quòd actus intensior augeat habitum secundum suam totam latitudinem, quia aliâs non seruaretur debita proportio præmiorum ad merita. Si enim Petrus habeat actum meritorium vt quatuor, & per consequens habitum charitatis & gratiæ vt quatuor, & postea habeat secundum actum meritorium vt octo, si actus non augeat habitum per totam latitudinem, sed solùm secundum excessum, sequitur quòd habitus charitatis & gratiæ in Petro erit solùm vt octo: & cùm gloria correspōdeat gratiæ, etiam erit vt octo, & tamen habebit meri-

tum vt duodecim. ergo gloria est minor meritis. Et iterum si Petrus & Paulus primo habeant meritum vt quatuor, & per consequens gratiam vt quatuor, & postea Paulus habeat secundum actũ meritorium vt octo: iam secundùm hanc opinionem gratia Pauli erit solùm vt octo, & Petri vt quatuor. ergo est proportio dupla: & similis proportio erit in gloria: & tamen meritum Pauli fuit triplum ad meritum Petri. ergo inter illos nõ seruaretur similis proportio inter præmia, quæ fuit inter merita. In cõtrarium autem arguitur. Quia ratio in agentibus naturalibus agens intensum non auget effectum minorem secundum totam suam latitudinem, sed solum secundum excessum, ergo ita est in habitibus & in actibus. Antecedens declaratur, & probatur, quia si calefactiuum vt octo applicaretur calido vt quatuor, non faceret calidũ, vt duodecim, sed solum vt octo ergo. Et quia solutio quæstionis principalis, bona ex parte pẽdet ex hoc dubio, volo id diligentius examinare,

3 & pono conclusionẽ talem. Actus* intensior non auget habitũ secũdùm totã suã latitudinẽ, sed solùm secũdũ excessum, quem habet supra habitũ.

Exo Ista conclusio probatur. Primo, de habitibus acquisitis, quia loquẽdo de habitibus, qui sunt in potentia naturali, puta intellectu, & appetitu sensitiuo, videtur sequi, ꝙ habitus quicunq; intenditur, semper ad minus augeatur in duplo, q̃ prius erat.

erat. Quia cùm potẽtia naturalis agat semper ex toto conatu, videtur quòd semper actus elicitus ab habitu, fit intensior habitu, & per consequens si auget habitum secundum totam suam latitudinem, semper augebit plus quàm in duplo, imò videtur sequi, quòd per quemlibet actum sequentẽ augetur habitus plus quàm per omnes præcedentes. Patet gradatim discurrẽdo per actus. Si enim habitus prius sit vt quatuor, actus sequens ex toto conatu ad minus erit vt quinq;, & tũc habitus esset vt nouem, & sequens actus ad minus erit vt decem, & habitus vt nouẽdecim, & sequens actus vt viginti, & habitus vt trigintanouem, & sic consequenter. Hoc autẽ consequens non videtur profecto admittendũ, ergo nec ista opinio. Et confirmatur, quia omne agens potest agere cõformiter ad formam, per quam agit, vt calidum vt quatuor potest producere calorem vt quatuor: & lucidũ vt quatuor, lumen vt quatuor. Ergo potentia agens per habitum vt decem, ad minus potest producere actum vt decem: & sic potentia merè naturalis semper habebit actum ad minus æqualem habitui in intensione, & per consequens semper augetur ad minus in duplo. Secundo cõfirmatur: Quia profectò nihil aliud videtur esse habitus vt decem, quàm ꝙ possit producere actum vt decẽ: ergo habitus existens in potẽtia naturali, semper producit actũ ad minus æquè intensum. Secũdo

a 2

prin-

principaliter probatur idē de habitu infuso, quia similiter sequitur, quòd si quis agit ex toto conatu, semper augebitur habitus infusus plus quàm in duplo, imò per quemlibet actum sequentem plus quàm per omnes præcedentes. Patet eodem modo, sicut prius, quia si actus sequens habitum est ex toto conatu, videtur quòd sit intensior habitu, & per consequens si auget habitum secundū totam suam latitudinem, semper auget habitum plus quàm omnes præcedentes. Si enim omnes actus præcedentes fuerunt centum graduum, & habitus similiter, actus productus ex tali habitu, ex toto conatu erit intensior quàm centum graduum, & sic augebit habitum plus quàm omnes actus præcedentes. Ex quo iterum sequitur, quòd talis actus erit maioris meriti, quàm actus præcedentes, & quòd pro quolibet actu sequenti habebit quis maiorem gloriā, quàm pro omnibus præcedentibus. Quod omnino videtur absurdissimū. Neque enim est opinabile, quòd Ioannes Baptista, aut etiam beata Virgo per quemlibet actum, in vltimo vitæ suæ, plus mererētur, quàm per oēs præcedentes. Et certè hoc argumentum ita videtur vrgere, vt non appareat facilis solutio. Sed tamen potest responderi vno ex tribus modis. Primo, potest dici ad argumentum, quòd homines cōmuniter non agunt ex toto conatu, & per cōsequens actus non est intensior habitu, & sic ruit id

quod

quod inferebatur. Sed profectò solutio nulla ex parte satis facit, quia saltem aliquando viri perfecti videtur, quòd agãt ex toto conatu: & satis magnum inconueniens videtur, quòd hoc possit cõtingere, etsi non semper contingat: neq; enim rationabiliter esset concedendum, quòd Petrus, aut Paulus, aut etiam Adam post tot annos non mutato obiecto, neque alijs circunstantijs haberent vnam dilectionem dei, per quam plus mererentur, quàm per omnes actus totius vitæ. Et ideo secundo & apertius potest dici, quòd etiam si quis agat ex toto conatu, actus non perueniet ad totã latitudinem habitus, quando habitus est magnæ intensionis: vt pote siquis habeat charitatem vt centum, quantumcunque agat ex toto conatu, non habebit dilectionem vt centum, neq; fortè vt quinquaginta. Sed neq; hoc videtur satis facere, quia non videtur intelligibile, quare habitus dicatur vt cẽtum, nisi quia potest producere actũ vt centum, cùm habitus dicatur in ordine ad actũ neq; est luminosum vt decem, quod non possit producere lumen vt decem, & cùm quælibet alia forma possit producere effectum secundum totam suam intensionem in subiecto capaci, vt de calore, luce, & frigore patet, erit merè voluntariũ dicere, quòd hoc est singulare in habitius, vt non solum possint producere effectum æqualem sibi.

Item saltem quilibet talis actus, qui sequeretur

ex

ex tali habitu intensissimo, esset incredibilis intẽsionis. Cùm enim cæteris paribus, ex maiori habitu producatur intensior actus, si quilibet actus auget habitum secundum totam latitudinem, fiet breui tempore habitus ita intẽsus, vt actus sequẽs nõ possit esse nisi intensissimus. Et maximè, quia quanto aliquis magis inclinatur ad aliquem actũ tanto maiori conatu agit, & sic cùm actus augeat inclinationem regulariter, semper erit maior conatus in actu sequenti, quàm in præcedentibus: & sic dato, quòd actus sequens non adæquet omnes præcedentes, saltem æquiualeret medietati, aut tertiæ, aut quartæ parti omnium actuum præcedentium ipsum, quod non est paruum inconue
5 niens. Et si addas, quòd charitas augetur non solùm per proprium actum, sed per omnem actum meritorium cuiuslibet virtutis, & quælibet etiam virtus inuicẽ per actus aliarum virtutum: si actus auget habitum per totam suam intensionem, vides quò progrediatur intensio cuiuslibet habitus. Imò videtur similis calculatio, qualis solet poni in aceruatione illa vulgari de ludo latrunculario, aut de granis frumenti. Si quis enim prima die anni soluerit vnum granum frumenti, & secunda die duo, & tertia quatuor, & quarta octo, & sic consequenter, profectò ante finem anni, tam in immensum crescceret multitudo frumenti, vt totus ager Campaniæ ferre tantũ frumenti vno anno nõpos

set

set, imò neque tota Hispania. Similis profectò ratio videtur sequi in proposito, si nuda potentia producat actum vt vnum, & habitus sit vt vnum, sequens videtur quòd sit vt duo, & habitus vt tria secūdum hāc opinionem, & sequens actus vt quatuor, & habitus vt septem, & sic semper qualibet die fiet duplo maior totus habitus, & paucis annis neque cogitari quidem possit tanta intensio habitus. Item ad minus vitare non possemus secūdum hanc opinionem, quin saltem in eo, qui per longū tēpus perseuerat in gratia, essent habitus in fusi intensi, certè plus quàm ostendat experientia. Neque enim experiuntur boni tantam in se intensionem habituum, quanta esset in illis, si ad istum modum augerentur. Item si actus essent ita intensi ratione habituum, sequerentur maiores motus in appetitu sensitiuo, qui naturaliter ex actu voluntatis mouetur, quàm experientia monstrat. Si enim pœnitentia infusa esset ita intensa, sicut per hanc rationem oporteret esse, etiam de præteritis & præsentibus esset tristitia interior intensissima, & sequeretur intensissimus dolor in appetitu sensitiuo, quod tamen raro sancti viri experiuntur. Sed ad hoc argumentum de experientia respondetur, & est tertia solutio, quòd non habemus experientiam de intēsione habituum infusorum, sicut nec de ipsis habitibus infusis. Sed nec hęc solutio sufficit. Primo, quia saltem haberemus

ex-

experientiam de intensione ipsorum actuũ procedẽtium ab habitibus infusis, & cum ex actibus virtutum infusarum (secundum opinionem omnium aliorum à S. Tho.) producantur, & augeantur habitus acquisiti, saltem experientia perciperemus istam admirabilem intẽsionem habituum. Quibus omnibus si addas argumentum factum à principio de agente naturali, certè videbitur conclusio posita satis confirmata. Si enim calefactiuum vt octo, superueniens calido vt quatuor, nõ auget nisi per quatuor gradus, nescio qs hoc priuilegium dedit actui vt octo, vt augeat habitum vt quatuor per octo gradus.

adarg. Sed restat modò soluere argumentum factum à principio contra conclusionem, quia videbitur quòd ex illa conclusione non seruetur proportio præmij ad meritum, nec meritorum inter se ad prẽmia. Pro cuius solutione prẽsuppono duo. Primum est, quòd gratia distinguitur à charitate Hoc suppositum in præsentia nõ probo, quia mihi satis est respondere ad argumentum secũdum principia S. Tho. Et qui hoc suppositum negant, habent quærere aliam solutionem. Secũdũ quod suppono, est, quòd gratia non oportet vt sit ęqualis charitati. Hoc ostendam necessario esse dicendum. Et videtur probari in Christo, in quo secundum opinionem communem fuit infinita gratia & tamen non fuit infinita charitas. Quod proba-

tur,

tur, quia eadem ratione fuissent omnes aliæ virtutes infinitæ: & sic essent actus eius infiniti & infinita tristitia, & ex consequenti non posset naturaliter viuere: quia ex infinita tristitia in voluntate, sequtur naturaliter tãtus motus in appetitu sensitiuo, q̃ non posset naturaliter cum illo viuere.

His suppositis ad argumentum respondeo per quatuor conclusiones. Prima,* quilibet actus meritorius auget gratiam secundũ totam suam latitudinem, & non solum secundum excessum supra habitum. Patet hoc clarè, quia pro tali actu debetur gloria secundum totam latitudinẽ actus & gloria correspõdet gratiæ, vt in præsentia suppono: ergo augetur gratia secundum totam latitudinem actus, vt si est gratia vt quatuor, & actus meritorius vt octo, dico quòd gratia fiet duodecim graduum. Et confirmatur, quia iste est gratior vt octo, quàm prius erat, ergo gratia est aucta vt octo. Secunda. Charitas* non augetur per totam latitudinem actus, sed solum secundum excessum actus supra habitum. Hoc est probatum omnibus argumentis suprà positis. Tertia, Charitas* nunquam est æqualis gratiæ saltem in adulto. Hoc patet ex dictis, quia actus auget gratiam secundum totam suam latitudinem, & charitatẽ solùm secundum excessum. ergo gratia est maior quàm charitas. Quarta, Gloria* respondet gratiæ & non charitati. Patet, quia per gratiã sumus grã

4

5

6

ti & digni gloria: charitas autem data est ad diligendum, sicut fides ad credendū ergo. Item patet hæc ex tribus, iam positis conclusionibus. Ex his patet solutio ad argumentum: respondente enim gloria gratiæ, seruatur proportio meritorum ad præmia, etiam si charitas non augeatur secūdum totam latitudinem, vt declaratum est. Neque ex isto augmento gratiæ sequuntur inconuenientia quæ suprà inferebamus: gratia enim non facit ad intensionem actus, sed solum charitas: & sic licet augeatur gratia in duplo, non sequitur q̄ actus sequens sit duplo maior, quàm prior, quia charitas non fuit aucta in duplo. Et certè quicquid secundum alias opiniones sit dicendum, videtur necessarium sic respondere secundum opinionem S. Tho. & Durand. Scot. & Ricard. & omnium aliorum, qui tenent, quòd habitus non augetur nisi per actus intensiores. Si enim ita est, & actus auget habitum secundum totam suam latitudinem necessarium est concedere corollarium illatum, quòd habitus nunquam augetur quin augeatur plus quàm in duplo, quàm prius erat, vt patet intelligenti. Et sic in Adam, vel alio ex patribus antiquis, qui ferme ad mille annos vixerunt, in vltimis annis vitæ suæ nunquam potuerunt augeri habitus quin augerētur plus quàm esset tota intensio habitus præcedentis, quod est absurdissimum Sed quia hoc dubium est commune in omni opinione,

nione, & argumentum videtur procedere contra omnes, ideo ad hoc argumentum de proportione meritorum ad præmium tenendo quòd gratia & charitas sunt idẽ, oportet respondere, quòd charitas per actum meritorium augetur in esse gratiæ secundum totam latitudinem actus, in esse autem charitatis solum secundum excessum. Et sic etiam seruabitur proportio meritorum ad præmium: & videtur quòd etiam secundum cõmunem opinionem oportet concedere quòd gratiam oportet esse maiorem in esse gratiæ, quàm in esse charitatis, vt patet in Christo, in quo gratia fuit infinita, charitas autem in esse charitatis finita, vt suprà probatum est, & hoc modo conclusio posita posset defendi in omni opinione.

Secundo oportet examinare id, in quo differunt secunda & tertia opinio à prima. Differunt* autem in hoc, quòd prima putat charitatem augeri etiam per actus remissiores. Secunda & tertia defendunt, quòd non augetur charitas, nisi per actus intensiores. Arguitur ergo pro secunda & tertia opinione contra primam. Primo argumento Durand. Quia non est dignus nouo beneficio & gratia qui abutitur, vel negligenter vtitur iam receptis beneficijs, sed qui habet charitatem intensam tepidè & remissè operans, negligenter se habet & abutitur charitate. ergo non est dignus vt augeatur. Et licet 7

hoc argumentum videatur prima facie leue, & in firmum, tamen si quis consideret quòd in hac materia non possunt fieri argumenta euidentia, multominus quàm in alijs materijs moralibus, nõ cõtemnet argumentum. Si enim licet arguere ab humanis ad diuina, profectò hoc est morale, & familiare in vita politica, vt qui in obsequendo & promerendo apud dominum vel principem fit negligentior, & remissior, non crescat in gratia, & amicitia apud dominum, sed bene agitur cum illo, si perseuerat in eadem gratia, in qua prius erat, etiã si aliâs non offendat. Si ergo inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta cõspiciuntur, nõ malè arguimus, & timendum est ne ita nobis contingat apud Deum remissè & negligenter operando. Secundo arguitur argumento S. Thom. Habitus acquisitus non augetur per actus remissiores ergo nec habitus infusus. Et quia hoc est vnum ex præcipuis argumentis, volo examinare quantum valeat. Et primò probatur cõsequentia, quia licet habitus infusus non augeatur effectiuè ab actibus, tamen verisimile est, quòd eo modo augetur à deo ac si augeretur effectiuè ab ipsis actibus, sicut habitus acquisitus, aliâs si non oportet seruare proportionem ad naturalia, quid possimus capere, aut dicere de rebus spiritualibus, vt potè nobis ignotis? Et confirmatur, quia si charitas augeretur effectiuè per actus meritorios, non aliter dicere-

ceremus augeri, nisi sicut habitus acquisiti augentur. Et confirmatur iterum, quia secundũ aduersarios per eosdem actus, per quos meritoriè augetur habitus infusus, augetur effectiuè habitus acquisitus: ergo videtur, quòd si per actus remissos non augetur habitus acquisitus, ergo nec etiam infusus. Antecedens autem, quia negatur non solum ab aduersarijs nostræ opinionis, sed etiam à Durando, qui est in eadem sententia nobiscũ, primo probatur, quia similes actus similes habitus efficiunt, vt ait Arist. secundo Ethic. ergo videtur q̃ actus remissi non possunt facere habitum intensum, qui non est sibi similis, quãquam scio non in hoc proposito locutum in eo loco.

Item omne agens intendit assimilare sibi passum, ergo actus remissi non augent habitum intensiorem: quia hoc non est facere simile, sed dissimile. Item passum in principio est dissimile agenti, & in fine simile. secundo de anima. ergo actus remissus non auget habitum intensum, aliâs in fine actionis habitus non esset similis actui, sed dissimilis. Item calidum vt quatuor, non aget in calidum vt quinque: ergo nec actus vt quatuor, aget in habitum vt quinque: vel ostendatur hoc priuilegium in actibus, quòd non sit in aliis agentibus naturalibus. Item actus remissus nihil agit in continuatione, ergo nec in principio. Consequentia patet, quia non est maioris actiuitatis, nec est ma-

ior resistentia. Antecedens probatur, quia agens naturale quòd agit sine resistẽtia, nihil agit in cõtinuatione, sicut patet de sole respectu cœli: sed actus nullam habet resistentiam ad producendũ, vel ad augendum habitum, ergo nihil agit in continuatione. Et confirmatur, quia si actus augeret habitum in continuatione, malè vitaretur argumentum commune de infinita intẽsione. Si enim in quolibet instanti habitus augetur per certum gradum, sequitur infinita intensio in quantocũq; paruo tempore. Secundum autem communẽ opinionem, videtur facilè expediri hoc argumẽtum. Siue enim in continuatione, siue in productione actus quandocũq; veniat ad hoc, vt actus sit æqualis, vel minor habitu, cessat omnis actio, & sic si actus sit vt quinq;, & habitus vt quatuor, in primo instãti habitus fiet vt quinque, & neq; per reactionem neq; per continuationem fiet maior intensio, quia iam agens & passum sunt similia, & simile nõ agit in simile, neq; minus in maius. Item ex contraria opinione sequitur, quòd assensus cõclusionis erit intensior assensu præmissarũ. Consequens est contra Arist. lib. Poste. & contra totã dialecticam. Probatur consequentia. Sit enim ita quòd assensus præmissarum sit vt quinque, & conclusionis vt quatuor: & per consequens habitus scientificus etiam vt quatuor, volo quòd habens talem habitum eliciat frequenter assensum

conclusionis, non cogitando actualiter de præmissis, quia sine dubio est possibile, tunc secundū opinionem contrariam augebitur habitus scientificus, & poterit fieri vt quinq;, & vt sex: & per cō sequens etiam assensus conclusionis erit vt sex, & sic intensior assensu præmissarum. Et cōfirmatur, quia sequitur, ꝙ talis assensus erit euidentior assensu præmissarū, quia quilibet gradus est euidens: vnde si assensus conclusionis est intensus vt sex, ergo euidens vt sex. Confirmatur secūdo. Volo enim ꝙ post primam demōstrationem, in qua assensus conclusionis sit vt quatuor, adducantur nouæ demonstrationes æquales cum prima in euidentia & intensione, tunc per aduersarios augetur habitus scientificus: & sic iterū assensus scientificus poterit peruenire ad intensionem & euidentiam supra quemlibet assensum præmissarū. Ista argumenta etsi non cōcludant & cōuincant, certè videntur esse apparentia & minus probabilem facere opinionē primam. Sed quia præcipuū fundamentum huius opinionis est, quòd in naturalibus agens remissum non auget effectum intensiorem, vel quòd agens remissum superueniens agēti intensiori non facit effectum intēsiorem, quod non solum aduersæ opiniones, sed etiam Durandus, qui nobiscum sentit, negat: ideo arguitur contra hoc fundamentū: & probo, quòd agens remissum augeat effectum intensiorē. Et arguitur argu

mento Durandi,& etiam Gabr.nam experientia docet quòd tres & quatuor lucernæ superuenientes primę lucernæ intensiori,vel ęquali intensius illuminant quàm sola prima, ergo agens remissum,vel æquale &c.Idē probatur de ignibus,maiorem enim calorem producunt multi ignes vel æquales,vel etiam minores,quàm solus vnus: ergo ruit fundamentum de agenti naturali. Ad argumentum dico primo, quòd* nunquam plura agentia producunt maius lumen, vel calorem in primo puncto(vt ita dicam)spheræ suæ actiuitatis, quàm produceret vnum illorum. Secundo dico,quòd* nunquam lumen productum est maius quàm sit lumen in maximo luminoso,vt si sit vnum luminosum vt octo, & multa alia vt octo, vel minora, nunquam lumen productum erit supra octo.Et probatur vtrunque dictum & fundamentum principale. Certum est enim, quòd si sol diuideretur in duas medietates vt fierent duo luminosa, nulla alia mutatione facta, non producerent intensius lumen, quàm nunc producunt: sed vna medietas produceret tam intensum lumen sicut sol producit:ergo duæ medietates non producerent maius lumen,quàm vna medietas. Minor probatur, quia sol est vniformis secundum lumen, & tam intensum lumen est in medietate solis,sicut in toto sole. Ergo tam intensum lumē producit medietas solis,sicut totus sol.

Et

Et idem est iudicium de igne & quolibet alio agẽte naturali. Si enim ignis sit vniformiter calidus, tantũ calorem intensiuè producit medietas ignis, sicut totus ignis, & duæ medietates separatæ non producerent plus quàm totum: ergo duæ medietates non producerent intensiorem calorem, quã vna medietas, & sic plura agentia naturalia æqualia non producunt intensiorem effectum, quàm vnum illorum: nec agentia æqualia se adiuuãt ad producendum intensiorem effectum. Et confirmatur, quia si sint decem luminosa vt quatuor, & ex illis fiat vnum, totum erit vt quatuor, & non plus. Sicut si ex multis albis vt quatuor, fiat vnum album, erit solum vt quatuor. Sed quodlibet luminosum vt quatuor, poterit producere lumen vt quatuor. ergo luminosum cõpositum ex illis non producit intensius lumen, quàm singula luminosa vt quatuor. Nam cum nõagunt intensius luminosa separata, quàm in vnum composita, non intensius agunt decem luminosa vt quatuor, quàm vnum illorum. Et cõfirmatur, quia mirabile esset, quòd aggregatum ex omnibus luminosis non sit nisi vt quatuor, & producat lumen intensius quã quatuor, cum nullum agens agat supra suam intẽsionem. Item aliàs sequeretur, quòd daretur maximo. Si enim agens æquale vel minus iuuet ad augendam intensionem, ergo si maximè calidum aut luminosum sit vt decem, & apponatur

ei luminosum vt decem, vel vt quinque, lumen productum esset vt vndecim vel duodecim, & sic maius maximo. Ad argumentum de experientia dico primo, quòd magnitudo, seu multitudo materiæ etiam in eadem intensione facit ad extensionem actiui tatis, ita vt si calefactiuum pedale intẽsionis vt quatuor potest calefacere per viginti passus calefactiuum decempedale eiusdem intensionis vt quatuor calefacit per plures passus. Secundò, q̃ omne agens fortius agit in propinquuum, quàm in remotum. Tertiò, quòd agẽs agit vniformiter difformiter per spatium vel sphæram actiuitatis. Ita vt si agens sit vt octo illuminaret spaciũ duorum passuum, ita vt in quinto passu esset lumen vt sexto & in decimo vt quarto, & in decimo quinto vt decimo secundo & sic consequenter ergo si addũtur alia quarto similia luminosa intensione & quantitate, iam erit spatium illuminatum quinque graduum, vt 100. passuum, & 20. passuum, vt prius erat lumen vt quatuor, erit plusquam 6. quia in 5. passuum erit lumen vt 4. Et idem erit, si luminosum vt 8. ad datur luminoso vt quatuor augibitur in sphæra actiuitatis, & per consequens intensio.

Deinde sequitur, q̃ nunquam erit maius lumen in quocunque puncto, quàm in maximo luminoso, quod si erat vt octo, nunquam in medio erit maius lumen quàm vt octo, quotcunque sint agen-

gentia. Et confirmatur hoc, quia vt crescit lumen, aut calor, si luminosum idem aut calidum fiat maius in quantitate, sic si multiplicentur luminosa, vt notum est. sed si luminosum pedale aut ignis pedalis intensionis vt octo fiat tripedalis manente eadem intensione, nullus dicet, quòd producat lumen aut calorem vltra octo ergo quotquot multiplicentur luminosa vt octo nunquam producunt lumen vltra octo: neque vnquam experientia aliter docuit multiplicatis agentibus augeri effectum, quam sicut dictum est. Imò ex hoc arguitur contra opinionem contrariam. Nam quotcunque multiplicentur agentia vt quatuor, siue simul, siue successiuè, nunquam producunt effectum supra quatuor: ergo quantumcunque multiplicentur actus vt quatuor, nunquam producent habium supra quatuor. Et ita patet quid dicendum sit ad primum argumentum contra fundamentum cõclusionis.

Sed arguitur aliter secundo, contra fundamentum de habitu acquisito. & probo, quod quilibet actus quantumuis remissus, augeat habitum acquisitum, quia alias sequeretur, quod nunquam augeretur habitus, nisi augeretur conatus potentiæ. Patet, quia si secundus actus non est maior primo, nihil facit secundum opinionem: sed vt sit maior actus, videtur q̃ sequitur maior

conatus, ergo. Ad hoc dico, primo negando consequentiam, quia cum æquali conatu posito habitu producitur maior actus. & est communis opinio, sed Durandus hoc negat, quia tenet quod habitus non facit per se maiorem intensionem: sed non est probabilis eius sententia.

Tertio arguitur, Experiẽtia docet, quod ex frequentatione actuum semper augetur habitus, sed non videtur q̃ semper actus sequentes sint intensiores præcedentibus, ergo hoc non requiritur ad augmentum habitus, Dico primo quod experientia docet oppositum nam si quis remisse & tepidè operatur, non inuenit se promptiorem, quòd tamen esset, si habitus augeretur. Secũdo dico, q̃ regulariter vbi est maior inclinatio, est maior conatus, & quia habitus auget inclinationem, consequenter qui operatur ex habitu, operatur ex maiori conatu, & ideo actus sequẽtes sũt intensiores. Et sic videtur manere secundum argumentum principale in suo vigore.

Quartò principaliter arguitur pro nostra opinione, quia vt latè probatum est, actus intensior auget habitum solum secundum excessum, ergo actus æqualis, vel minor nihil auget. Patet consequentia, quia si actus vt sex, auget habitũ vt quatuor, auget præcisè per duos gradus: ergo actus vt tria videtur quòd nihil augeat & idem de actu vt quatuor. Si enim actus auget habitum solum secun-

cundum excessum, ergo si non excedit, videtur ꝙ non augeat. Et confirmatur, quia in naturalibus, vt dictum est, remissius agẽs non auget effectum intensiorem.

Quintò arguitur, Experientia docet, ꝙ qui remissè & tepidè operatur, facile amittit habitum. quod non esset, si talis habitus augeretur: esset enim difficilius mobilis, & firmi⁹ persisteret, quod non ita contingit. Imò qui consueuit tepidè operari, facilè desinit operari. Plura argumenta possent fieri pro hac opinione, sed ista videntur potiora.

Atqui pro maiori declaratione materiæ arguitur pro prima opinione contra secundam & tertiam: & probo, quòd habitus augeatur per quemlibet actum. Et primo arguo argumento facto in principio, quia talis actus etiam remissus, loquendo de habitu charitatis infuso, est meritorius. ergo respõdet ei aliquis gradus gloriæ, & gloria correspõdet charitati & gratiæ, ergo ratione talis actus augetur gratia & charitas. Dico primo quòd non est certum, quid patres antiqui senserint de hoc dubio, & neoterici quidem ita volunt intelligere. San. Thom. quasi velit dicere, ꝙ ꝑ actu remisso nec gradus gratiæ, neque gloriæ datur. ipse vero non dicit nisi, in. 1. distinct. 17. quæst. 2. quòd ad multitudinem actuum charitatis non necessariò sequitur augmentum præmii essentialis. Scot. autem

tem in.4. videtur dicere, quòd pro actu remisso sicut habebit quis gradum gloriæ, ita habebit gradum gratiæ in fine vitæ. Sed quidquid senserint patres, respondeo per tres propositiones. Prima Per* quemlibet actum charitatis quantumuis remissum meretur, quis, & habebit maiorem gloriã. Hæc propositio videtur esse S. Tho. 1.2. q. 52. &. 2. 2. q. 24. ar. 6 licet fortasse super sentẽtias aliter senserit. Eadem propositio est apertè Scot. Et primò probatur, quia videtur repugnare quòd sit meritorius de condigno, & non detur pro eo præmiũ. Item perfecti viri viderentur esse multo iniquioris conditionis, si habentes habitus intensissimos, fortè aliquando elicientes actus minoris intensionis, omnino frustrarẽtur præmio, qui tamẽ actus apud imperfectos essent valde meritorii. Item videtur facere, quòd Dominus dicit Matth. 10. Quicunq; potum dederit calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem suam. Item Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mãdata, sed certum est, quòd per actus remissos charitatis seruat quis mandata. ergo pro illis habebit vitam æternam. Item cõtritio quantumcunq; remissa, dummodo habeat alias circũstantias, est sufficiens dispositio ad gratiam & gloriam. ergo multò magis actus charitatis elicitus quantumcunque remissus erit sufficiens ad idem. Item omnino videtur absurdum, & acerbum, vt si quis heri habuisset actum vt decem

cem, & habuisset pro illo magnum præmiũ, quia scilicet habebat habitum remissiorem, & hodie quia creuit habitus ꝑ simili actu, nullam mercedem habeat. Item actu intensiori, vt dictum est, licèt augeatur charitas solũ penes excessum actus tamen datur gloria proportionabiliter ad totam latitudinem actus, ergo pro actu remisso dabitur etiam proportionabiter aliquis gradus gloriæ. Et quidquid sit de argumentis & opinionibus nouorũ theologorũ, nullo modo dubito de hac propositione, quia ex fide, & sacris literis habemus apertè, quòd pro bonis actibus, saltẽ ex gratia procedentibus, habebimus gloriam in cœlo. An autẽ per actus remissos augeatur habitus necne, totũ pendet ex opinionibus, propter quas nullo modo debemus discedere à regula, & synceritate scripturarum, quæ apertè nobis promittunt præmiũ ꝑ bonis operibus, iuxta id, Vt recipiat vnusquisque prout in corpore gessit siue bonum, siue malum. Hoc certè indignum videtur diuina bonitate, vt pro actu malo quãtũcunq; remisso recipiat qs pœnã & ꝑ actu bono remisso non habeat mercedem. 12 2 corynt. 5

Secunda propositio, Quolibet* tali actu augetur gratia. Hæc patet ex prima, quia si pro illo debetur ei maior gloria, ergo talis est dignus maiori gloria: & per consequens, est gratior. Nihil enim aliud videtur esse gratius, quàm dignius, &

ma

magis acceptum ad vitam æternã. ergo qui prius erat gratus vt decem, si pro actu vt duo debentur ei duo gradus gloriæ, iam est gratus vt duodecim. Similiter ergo sicut suprà diximus, quod per actũ intensum augetur gratia secundum totam latitudinem actus, charitas autem solum secundum excessum, ita dicimus quod per actum remissum augetur gratia, non autem charitas.

13 Tertia propositio* si per actum remissum non augetur charitas statim, voluntarium videtur dicere, ꝙ augetur in fine vitæ. Nihil enim de hoc est nobis traditum.

Secundo principaliter arguitur pro eadem prima opinione, quia actus minus intensus potest esse magis meritorius quàm actus magis intensus, ergo si per actum intensiorem augetur habitus, etiã per actum minus intensum. Consequentia patet, quia habitus infusus non augetur nisi meritorie, ergo vbi est maius meritum, est maius augmẽtum Et antecedens probatur clare, quia maius meritũ est dare totam substantiam pauperibus, etiam per actum remissum, quàm vnum denarium per actũ intensum. Respõdetur ad argumentum quod pe-

14 tit dubium, An* in aumento habitus infusi habeatur respectus non ad intensionem gradualẽ actus meritorii, sed ad quantitatem meriti. Et posset quidem dici probabiliter, quod debeat haberi respectus solum ad intensionem, quia videtur quod augeatur

geatur habitus meritoriè, ſicut augeretur effectiuè, ſi actus poſſet augere illũ effectiuè: ſed ſi actus augeret effectiuè habitum, augeret ſecundum intenſionem gradualem, & non ſecundum meritũ, vt patet de habitu acquiſito, qui augetur ab actu meritorio, non ſecundum proportionem meriti, ſed ſecundum gradualem & naturalem intenſionem: ergo ſimiliter videtur dicendum de habitu infuſo. Et confirmatur, quia per actum meritorium virtutis acquiſitæ augetur habitus infuſus, ergo videtur quòd proportionabiliter ſicut auget habitum acquiſitum penes intenſionem gradualem, & non penes meritum, ita augeat habitũ infuſum. Item quia ſicut patet ex ſuperioribus, augmentum charitatis non facit per ſe ad præmium, ſed ſolum ad intenſiorem actum eliciendum. Præmium enim reſpondet gratiæ, & non charitati, ergo rationabilius videtur, ꝙ magis in intenſione charitatis habeatur reſpectus ad intenſionem gradualem actus, quàm ad meritum.

Sed his nõ obſtantibus dico probabilius ad dubium, quòd etiam habitus charitatis, & alij habitus infuſi augentur ſecundum proportionem meriti, & non ſecundum intenſionem gradualem actus. Probatur, quia virtutes infuſæ ſunt dona dei, & quodam modo præmia actuum bonorum. ergo omnino eſt tenendum, quòd melioribus dãtur maiora dona, & maiores virtutes. Sed qui ma-

gis meretur melior est, ergo magis augẽtur in eo virtutes quantuncunq; alius habeat actus intensiores, sed non æque meritorios.

Tertio principaliter arguitur, Ponamus Petrũ in charitate vt octo, & habeat successiuè duos actus meritorios, vtrumq; vt sex: & Paulus item habeat charitatem vt octo, & habeat vnum actum vt duodecim. Arguitur sic, In Paulo augetur charitas, ergo etiam in Petro, qui tamen habet actus remissos. Patet consequentia, quia æqualiter merentur, & ex præcedenti determinatione in augmento habituum infusorũ, habetur solũ respectus ad meritũ, ergo si augetur in Paulo, etiam in Petro.

5 Et quia tangitur eadẽ difficultas, arguitur quartò, quia actus in continuatione est meritorius, ergo quilibet actus quantũcũq; remissus per cõtinuationem potest peruenire ad meritum actus intensioris: sed vt dictum est, intensio fit ratione meriti ergo per actum remissum augetur habitus: vt verbi gratia, si quis habeat habitum vt octo, eliciat actum vt quatuor, ille actus per continuationem fiat meritorius vt decem: quia certum est, ꝙ quanto maiori tempore continuatur, tanto magis est meritorius: & cum quilibet actus continuatur, videtur, quòd quilibet actus remissus augeat habitũ

6 Respondetur, quòd ista duo argumenta petũt dubium, An* data etiam opinione quòd habitus non augeatur per actum remissum, plures actus re-

remissi possint augere habitum, vel etiam vnus actui remissus possit æquiualere in merito vni actui intenso. De quo dubio sunt tres opiniones. Prima, quod quomodocunq; perueniatur ad meritum actus intensi, siue per multiplicationem actuum, siue per continuationem vnius actus, augetur habitus: quia, sicut dictum est, intensio habitus infusi fit ratione meriti. ergo siue per multiplicationem actuum remissorum, siue per continuationem vnius actus remissi perueniatur ad æquale meritum vnius actus intensi, augebitur habitus infusus. Sed contrà, quia videtur sequi, quod per quemlibet actum quantumuis remissum augetur habitus. Videtur enim quòd per continuationem semper veniatur ad meritum actus intensi, maximè tenendo, quòd in quolibet instanti continuationis liberè continuatur. Item, quia Sanct. Thom. vt allegatum est in prima distinctione decima septima, dicit, quod per multiplicationē actuum remissorum non necessario augetur charitas, & certè doctores, qui negant intensionem habituum per actus remissos, non admisissent, quòd per continuationem aut multiplicationem talium actuum augetur habitus. Ideo est secunda opinio, quòd per actus remissos neque continuatos, neque multiplicatos, nunquā augetur charitas: & fortè hæc fuit opinio antiquorum. Sed contrà, Certum est, quòd per conti-

nuationem vel frequentationem actuum remissorum fit aliquis melior, quàm alius per vnicum actum intensum, & inconueniens videtur, quòd qui melior est, nõ habeat maiora dona dei, & per consequens maiores virtutes infusas: ergo talis multiplicatio vel continuatio actuum sufficit ad intensionem habitus. Iccircò est tertia opinio media, quod per actus quidem remissos non augetur habitus, sed adueniente aliquo actu intenso augetur habitus, nõ solum pro illo, sed etiam pro omnibus præcedentibus quantumcunq; remissis. Sed certè hoc videtur esse diuinatio, & merè volũtarium. Si enim ratio intensionis est meritum, & in præcedentibus actibus remissis fuit sufficiens meritum, commentum videtur, q̃ oportet expectare aliquem actum, qui per se sit sufficiens ad augendum habitum. Et S. Tho. ponit exemplum de guttis cauantibus lapidem, quod vltima cauat virtute præcedentium, & ita est de actibus meritoriis. Vnde videtur, quòd posito aliquo actu remisso cum præcedentibus, augetur habitus, qui tamẽ per se nõ sufficeret augere, sicut est de gutta, quæ cauat lapidem.

Dubium ergo est quæ sit verior existis opinionibus. Dicã igitur quod probabilius mihi videtur per propositiones. Prima, contra sententiam
16 multorum scholasticorum, Meritum* nullo modo proportionatur intensioni, hoc est, si dilectio

dei

dei est intensa vt tria non oportet vt sit meritoria vt tria.

Secunda. Non* solum non proportionatur me 17
ritū intensioni, sed nec magna multitudo actuū remissorum æquiualet vni actui intenso, & perfecto volo dicere, quòd magis meritoria est vna dilectio dei perfecta, quæ sit verbi gratia vt decem, quàm centum imperfectæ, quarum quælibet sit vt vnum. Probantur ambæ propositiones. quia difficultas ex parte obiecti multum facit meritū, & difficilius est habere vnam dilectionem perfectam, quàm centum imperfectas. Item quia magis conforme est præcepto de dilectione Dei, diligere semel Deum ex magno conatu, quam sæpius tepidè & remissè, quia præceptum est vt toto cor de diligamus. Item perfectior est vna oratio cum magna deuotione & attentione, quàm multæ tepidæ & remissæ. Et confirmatur totum hoc, quia certè in æstimatione rerū, pluris estimatur vna res perfecta in sua specie, quàm decem imperfectæ, vt patet in margaritis. prętiosior enim est adamas magnitudinis auellanæ, quā centū adamātes minuti, etiam si omnes simul sint maioris ponderis, & hoc in omni genere margaritarum. Item in animantibus pluris est equus vnus perfectus quā decem imperfecti & inualidi. ita certè est in Maioris præcii est vnum opus & officiū virtutis perfectum, quātū multa imperfecta & minuta etiam in

eadem ſpecie.

Tertia, Idem eſt dicendum de continuatione, Eſt enim abſurda & ridicula calculatio ſcholaſticorum, vt ſi quis in productione actus meretur vt decem, & in quolibet inſtanti continuationis tantundem meretur. dico enim quòd* niſi ſit magna continuatio & perſeuerantia in actu, non duplicatur meritum. licet poſsit eſſe tanta continuatio & perſeuerantia, vt etiam ſit maius meritum in continuatione quàm in productione. Quarta, Quomodocunque* perueniatur ad meritũ æquale cum actu intenſo, ſiue per multiplicationem, ſiue per continuationem actus, ſine dubio augetur habitus. Sed hoc non ita frequenter contingit, vt dictum eſt. Probatur propoſitio, quia talis eſt æquè bonus, ſicut alius eſſet per actum intenſum. ergo habet etiam æquales virtutes. Videtur enim inconueniens, quòd qui melior eſt, non habeat maiorem charitatem. Si ergo quis fit melior per multiplicationem, aut continuationem, quàm alius per intenſionem, ergo habebit maiorem charitatẽ. Item quia augmentum eſt quodammodo præmium, ergo ſi eſt ſufficiens meritum, erit etiam augmentum. Item profectò abſurdũ videtur, quod qui habet charitatem vt viginti, & orans per totum diem per actum meritorium vt decem & nouem non mereatur augmentum charitatis. Hoc videtur conforme dicto. S. Tho. 2.2. vbi ſupra, dicẽ

17

18

tis

tis, quòd quilibet actus meretur augmentum, licet non statim, sed cùm sufficienter se homo dispoſuerit, videturque quòd hæc diſpoſitio ſit, quãdo peruenitur ad meritum æquale cum actu intenſo. Et per hoc patet ad tertium, & quartum argumentum.

Quinto arguitur, quia videtur ſequi ex opinione, q̃ quantumcunque quis agat ex toto conatu, nũquã in cõtinuatione augebitur habitus. Conſequẽs, videtur incõueniens, ſcilicet, q̃ nihil operetur ad augmentum habitus, q̃ aliquis diu perſeueret in bono actu. Sequela autem videtur probari, quia demus exempli gratia, quod Petrus habens habitum vt quatuor, eliciat actum vt quatuor in primo inſtãti habitus fiet æqualis actui p̃ ſupradicta, & act⁹ manebit æqualis (vt ſupponimus) in cõtinuatione, & per opinionẽ actũ ęqualis nõ auget habitũ. ergo nunquã in continuatione augebitur habitus. Reſpõdetur, q̃ iã dictũ eſt, q̃ in augmẽto habituũ infuſorũ habetur reſpectus ſolũ meriti, & in continuatione poterit peruenire ad maius meritũ, quã ſit latitudo habitus, vel quã eſſet meritũ vnius actus intenſioris, & ſic augebitur habitus.

Sexto arguitur, Sequitur q̃ cæteris parib⁹ eſſet melioris cõditionis q̃ elicit primo actũ remiſsũ & poſtea intẽſum, q̃ ecõtrario qui prius elicit actũ intenſum, & poſtea remiſſum. verbi gratia, Petrus habens charitatem vt octo, eliciat primò actum

vt quinque, postea vt decem, per regulam positam augebitur habitus per septem gradus, & si cõtrario eliciat primo actum vt decem, & postea, vt quinque, solum augebitur habitus per duos gradus. Probatur, quia statim cum primo eliciat actũ vt decẽ, iam habitus auctus est per duos gradus, sci licet vsque ad decem, & per actum vt quinque, sequentem non augetur habitus. ergo omnino sequitur illatum, quod ordo ille actuum multum facit ad augmentum, quod videtur absurdum. Dico primò ꝙ fortasse hoc argumẽtum & alia similia ostendunt, quod nostra opinio non caret etiam calumnia, nec bene se expedit à dubiis & difficultatibus, & forsitan oportet ponere aliam opinionẽ distinctam â tribus recitatis. Secundo dico, quòd consequens non est maius inconueniens concedere, quàm cõcedere de habitu acquisito. De quo oportet cõcedere, ꝙ si quis habet habitũ vt octo, & eliciat primo actum vt nouem, & postea vt decẽ, quilibet actus auget habitum, quia semper inuenit habitum remissiorem. Si autem mutato ordine primo eliciat actum vt decem, & postea vt nouem primus quidem auget habitum secundus vero non, quia inuenit iam habitum intensiorem se. Imo de aliis agentibus naturalibus videtur, quòd oportet simile cõcedere. Si enim primo adhibeatur calefactiuum vt quatuor, & postea calefactiuum vt octo, vtrunquè producit, vel auget calorem

rem. Si autem mutetur ordo, & primo adhibeatur calefactiuum vt octo, & postea vt quatuor, secundum nihil facit, vt declaratum est: quanquam re vera non est simile, quia in habitibus infusis actus remissus & intensus computantur pro vno actu quantum ad meritum, & sic possunt facere vnum augmentum, quod non potest dici de acquisito.

Septimo arguitur, Quia saltē sequitur, quòd si quis ex habitu intenso habet solum vnum actum acquisitum, qui etiam per continuationem non perueniat ad meritum intensi, sequitur, inquam, quod pro illo actu nunquam recipiet augmentum charitatis, cùm tamen illo actu fiat melior alio, qui non habet illum actum cæteris paribus. Respondeo, quòd omnino consequens videtur concedendum secundum hanc opinionem, & satis est quòd augetur gratia. Ex his omnibus relinquitur, quòd de augmento gratiæ eadem est opinio nominalium. Idest recentiorum & Sanct. Thomæ differunt tamen ab opinione Scot. Secundo relinquitur, quod profecto non est certum, sed valde dubium, quomodo fiat augmentum charitatis, & virtutum infusarum. Neque mihi per omnia placet etiam opinio Sanct. Thomæ recitata, neque possum ex sententia satisfacere dubiis emergentibus ex illa. Tertio, videtur tamen quantum ad hoc probabilius,

quod non per quemlibet actum augeatur charitas. Quarto, posset nihilominus defendi probabiliter, quòd per quemlibet actum augetur charitas non admodum quidem quo aduersarij putãt, sed vt dicamus, quòd charitas vt decem, augetur per actum vt duodecim, per duos gradus, & per actum vt sex, per vnum gradum, & per actum vt tria, per dimidium: & sic proportionabiliter & demum in hac materia facilius esset mihi dicere qđ est falsum, quàm quod est verum.

SECUNDA PARS DE diminutione Charitatis.

20 IN secunda parte relectionis agendum est de diminutione charitatis. Duobus * autem modis intelligi potest aut disputari, quòd charitas diminuatur. Vno modo per peccatum veniale. alio modo per peccatum mortale, ita quòd ratione illius aliquis ad minorem charitatem & gratiam resurgat, quàm prius habuerat. De primo modo du-
21 bitatur, an * per peccatum veniale diminuatur charitas vel gratia? Et videtur quòd sic, quia quanto crescit offensa, tanto minuitur gratia, vt patet in omni vita ciuili. Tantum enim aliquis cadit à gratia alicuius, quantum illum offendit. Sed veniale peccatum est offensa Dei. ergo minuit gratiam.

In

In contrarium est, quia sequitur, quòd multiplicatis venialibus tollerentur gratia & charitas. omne enim finitum per ablationem finiti consumitur. Respondeo. Opinio est Altisiodo. celebrata in scholis, quòd peccata venialia minuunt charitatem, quæ impugnatur ab omnibus doctoribus tam antiquis, quàm neotericis. De qua opinione & quæstione pono duas propositiones. Prima. Opinio Altisio. non tam improbabilis est sicut solet videri in scholis. Probatur, quia pro illa sunt argumenta habentia apparentiam: & argumenta, quę solent fieri contra illam, soluuntur apparenter. ergo opinio illa est probabilis. Argumenta nonnulla sunt pro illa opinione, & primum. Quod factum est non debet videri ita infirmum. Si enim non imaginaremur gratiam esse habitum, sed hominem esse gratum Deo per voluntatem diuinam, quæ habet illum acceptum, sicut homo est gratus regi non per aliquem habitum, facile esset intelligere quomodo per paruas offensas videlicet, peccata venialia, homo redderetur minus gratus, sicut etiam homo est minus gratus amico per multiplicationem etiam leuiũ offensarum. Et certè si licet arguere ab humanis ad diuina, non est dubiũ, quin hoc sit in vsu hominum etiam bonorum, vt minuatur amicitia per multiplicationem etiam leuium offensarum, quę tamen non sufficiunt tollere amicitiam. Nescio

ergo

ergo vnde nos diuinamus quòd simus ita amici dei & ita grati post infinitam multitudinem peccatorum venialium.

Item pro eadem opinione arguitur, quia ex multiplicatione peccatorum venialium redditur homo minus prõptus ad actus charitatis, & aliarum virtutum: minuunt enim feruorem charitatis, vt doctores cõcedunt. Signum est ergo, quòd habitus est minor. Maior enim habitus maiorem feruorem facit, & maiorem promptitudinem, & firmitatem, cuius contrarium experiuntur, qui habent consuetudinem peccandi venialiter.

Ad argumentum in contrarium, quando arguitur, sequitur quòd per multiplicationem venialium tandem tolleretur charitas & gratia: aliqui dicunt, quòd quando gratia peruenit ad illũ gradum, qui possit tolli per vnum veniale, iam id veniale fit mortale ex illa circunstantia.

Contra hoc tamen est argumentum, quia quilibet inuincibiliter ignorat illam circunstantiam Nullus enim potest scire, quando gratia est in tali statu. Item oporteret confiteri de tali mortali peccato, quod non est dubium, quin inueniretur in multis, qui cauentes à mortalibus, tamen habent magnam consuetudinem venialium. Nullus autem hactenus inuentus est, qui de hoc confiteretur, nec doleret, nec quisquam tale consilium dedit, ergo.

Item

Item arguitur, quia peccatum mortale, quod tollit gratiam, non est grauius mortaliter seipso sine tali circunstantia. Occidere enim hominem in eo qui erat in gratia, non est grauius, vel saltē non est grauius mortaliter, quàm in eo, qui est extra gratiam: ergo per hoc, quòd veniale tolleret gratiam, non mutaret speciem, nec esset in infinitū grauius. Item arguitur. Præsupponitur vnū falsissimum, quòd aliquis teneatur ad conseruationem gratiæ ex speciali præcepto: quod nō est verum. Qui enim est in gratia & adulterat, non peccat contra duo præcepta, sed solum contra præceptum non adulterandi. Et ideo alij aliter respondent, q̄ secundū peccatum, etiam si sit æquale cum primo, non tantum tollit sicut primum, sed solum proportionabiliter, puta si primum tollit vnum gradum, secundum tollit dimidium, & tertium quartam partem gradus. Et sic consequēter. Et clarum est, quòd si ita fieret, etiam si in infinitum multiplicarentur peccata venialia, nunquàm omnino tolleretur gratia. Sed isti nullàm rationem afferunt, quare secundum peccatum non auferat tantum sicut primum, nisi solū, quia sequitur inconueniens: quod non est satisfacere ad argumenta, & videtur voluntaria solutio. Et ideo aliter dico, quòd * nullum peccatum venia- 22
le potest tollere gratiam, etiā si posset tollere partem gratiæ. Et ratio est, quia sicut augmentum

gratiç

gratiæ est quodammodo præmiũ, ita diminũtio est pœna. Si autem aliquod veniale omnino tolleret gratiã, id puniretur plus quàm omnia venialia præcedentia. Manifestum est enim, q̃ maius malũ & grauior pœna est priuari vno gradu gratiæ apud eum, qui solum habet illum gradum, q̃ priuari centum gradibus apud illum, qui habet ducentos, Peius est enim cadere à gratia omnino quàm à magna gratia venire ad minimã. Et sic dicemus, q̃ si quis habet decẽ gradus gratiæ, per peccatum veniale perdit vnum gradũ, & per alia venialia multiplicata possunt perdi octo: sed cum venitur ad decem, nullum veniale, nec quæcunq; venialia possunt tollere totum illum gradum, sed poterit tollere vel dimidium vel tres partes. Nec hoc est voluntarie dictum. Quia grauius est habẽti vnum gradum perdere dimidium, quàm habẽti cẽtum perdere decem: sicut & maior pœna est habenti decem aureos perdere omnes, quàm habenti mille perdere viginti: & grauius est habenti decem perdere nouem, quàm habenti centũ perdere quinquaginta, & hoc modo possemus elabi ex argumento. Si hoc non placet, posset aliter dici, quòd venialia posibilia in tota vita vnius hominis, sunt certa, & determinata, cùm sit certum tempus, & per cõsequens quamuis posset esse immensa multitudo, est tamẽ certa, est enim aliquis determinatus numerus actuum, quos potest aliquis

quis habere in vna hora, & per consequens etiam in tota vita, quæ constat ex finitis horis. Hoc supposito ego dicerem, quòd minima gratia, vt puta baptismalis, vel quæcunq; alia habet plures partes quàm sunt peccata venialia possibilia in tota hominis vita, & vnum peccatum veniale non potest tollere nisi vnam particulam ex illis. Vt si dicamus, quòd venialia possibilia sunt decies centena milia, dico quòd quæcũq; gratia adhuc habet plures gradus, aut particulas, & licet quodlibet veniale posset tollere vnam particulam, nunquàm peruenietur ad vltimum. Neque hoc esset tam absurdum. Et si nec hoc quidem satisfaceret, dicerem adhuc, quòd si quis diu viuit in gratia, & non peccat mortaliter, dato quòd cõmittat multa venialia, impossibile est, quin sæpe mereatur & augeat gratiam, & sic etiam si venialia diminuant charitatem ex alia parte, augebitur plus quàm minuetur. Et sic euadimus illud inconueniens, quod argumentum petebat. Et potest confirmari totum hoc. Quia temperantia acquisita, & aliæ virtutes minuuntur per peccata venialia contraria illis virtutibus, & tamen nunquam possunt totaliter corrumpere virtutes ipsas. Si enim quis semel habeat virtutem temperantiæ, quantumcumq; offendat venialiter in materia temperantiæ, nunquam desinet esse temperatus, & sic posset defendi sententia Altisiodorensis.

Sed

Sed hoc non obstante est secunda propositio. Opinio communis est contra Altisio. & est longè probabilior, & quantum ego puto, verior. Et præter argumenta communia contra Altisio. argumentor sic contra illum, quia sequitur, quòd charitas simul augetur & diminuitur, quia potest quis mereri, & peccare venialiter simul, vt certum est: consequens autem videtur non solum falsum sed impossibile, & malè intelligibile. Quomodo enim potest esse, quòd qualitas non extensa pro eodem instanti augeatur & diminuatur. Et confirmatur, quia si charitas sit vt decem, & peccet quis venialiter peccato, quo meretur perderevnũ gradum, & mereatur augmentum vnius gradus, hic nulla mutatio fiet in charitate, sed manebit vt decem, sicut prius erat, quod videtur ridiculum dicere, quòd mereatur quis augmentum, & non detur ei. Item quia quæro si postea remittitur veniale, an restituatur gradus gratiæ amissus, necne si dicas quòd sic, frustra ergo fingimus illam diminutionem, cùm oporteat concedere, q; quando remittuntur venialia, iterum reditur ad pristinum statum. Si autem neges, contrà, quia non debent esse peioris conditionis venialia, quàm mortalia, sed per pœnitentiam redit homo ad pristinum statũ, & restituitur amissa gratia, ergo multo magis per pœnitentiam venialium restituetur amissa gratia per venialia. Et confirmatur, quia

cùm

cùm venialia remittuntur, & per quodlibet sacramentum, & per dilectionem Dei semper perseuerans in gratia recuperaret totam gratiam amissam ratione venialium, & sic illa diminutio est vana & ficta. & ista sint satis de primo modo diminutionis: de secundo autem, quia nunc non vacat, aliâs disputabimus.

REVERENDI patris fratris Francisci à Victoria, Relectio de Temperantia.

Locus relegendus. Gen. 9.

OMNE, QUOD MOVEtur, & viuit, erit vobis in cibum.

SVMMA.

1 *Vitam suam propriam quilibet tenetur conseruare per alimentum.*

2 *Cibi, aut alimenti nullum genus fuisse, aut esse prohibitum homini iure naturali, ostenditur.*

3 *Carnium vsus, vtrum ante diluuium esset concessus.*

4 *Condimentis, & artificio, an liceat vti ad edendum*

cibos suauiores.

5 *Carnibus humanis an vesci liceat.*

6 *Carnibus humanis vesci, an in extrema necessitate liceat.*

7 *Sacrificare homines deo, vt faciunt barbari, & iure diuino, & naturali prohibitum est.*

8 *Abstinere perpetuò à certo genere alimẽtorum, etiã in extrema necessitate, vtrum sit laudabile Cartusiensi, quòd etiam secluso scandalo non videatur illicitum in extrema necessitate abstinere à carnibus.*

10 *Cartusiensi an liceret in casu necessitatis extremæ carnes comedere.*

11 *Vitam reddere breuiorem per abstinẽtiã, vtrũ liceat.*

12 *Vitam per abstinentiam ex intentione reddere breuiorem, non licet.*

13 *Vitam, quantum quis per alimenta possit protelare, non tenetur.*

14 *Vti alimentis, quibus vita breuior reddatur, quando non esset peccatum.*

15 *Vtens quis singulari inedia, & cibo nocuo, quãdo non excusaretur à mortali peccato.*

PRIMA quæstio, quam in hunc locũ scripturę tractare cõstitui, ea est An sit licitum vesci carnibus humanis? Et videtur quòd sic, primò ex loco citato, vbi nulla fit exceptio, & saltem videtur, q̃ non sit mortale, quia non est cõtra charitatem Dei vel proximi. Secũdo, quia nũ

quam

quam legimus prohibitum saltem lege & iure diuino. Tertiò, quia medici vtuntur in pharmacis carnibus humanis, quas vocant carnemomia. ergo.

In contrarium est ius gentium, apud quas semper fuit abominabile. Item Aristo. 7. Ethi. dicit, q̃ est feritas, vesci carnibus humanis. Duabus partibus circa materiam temperantię prędens quęstio absoluetur. Prima, vtrum homo teneatur conseruare seipsum per alimentũ. Secũda, An teneatur homo conseruare speciem per vsum matrimonij. Circa primam partem quęruntur nouem. Primo An teneatur absolutè, & quo iure. Secundo, Vtrũ liceat vti omnibus alimentis absolutè, excepta carne humana. Tertio, An liceat humana carne vti in alimentum. Quarto, An liceat sacrificare homines Quinto, Vtrum hac ratione liceat barbaros debellare. Sexto, An liceat perpetuo abstinere ab aliquibus alimentis extra extremam necessitatem. Septimo, An liceat abbreuiare vitam per abstinentiam. Octauo, An in extrema necessitate liceat abstinere à certo genere alimentorum. Nono, An ecclesia potuerit prohibere certum genus ciborum & alimentorum. Circa secundam partem quæruntur tria. Primo quæritur, An aliquando fuerit in præcepto dare operam liberis. Secundo, vtrum nunc sit in præcepto. Tertio, Vtrum si omnino esset peritura progenies hominum, tenerentur homines dare operam

liberis, non obstante voto, aut alijs impedimẽtis consanguinitatis.

De primo, vtrum homo teneatur seruare se per alimentum. Videtur quòd non, quia aliâs ægrotus, qui fastidio ciborum non comederet, damnaretur de mortali. Item eadẽ ratione teneretur sumere pharmacum. cõsequens videtur falsum iuxta illud Agathæ. Medicinam carnalem corpori meo nunquam exhibui. & est inter epistolas Hieronymi ad hoc propositum quædam. Imo nationes sunt, quæ non vtuntur pharmacis. Et Cato videtur condemnare vsum medicorum apud Plin. lib. 29. c. 1. Et primum medicum Romam venisse anno ab vrbe condita 535. Item condemnato ad. mortẽ per iudicem licet non comedere, quia condemnatus ad carcerem, vel ad mortem, non tenetur fugere. Respondetur, & sit prima propositio,

1 Quilibet * tenetur conseruare propriam vitam per alimentum. Probatur primo, facere contra inclinationem naturalem, est illicitum: sed ad conseruationem propriã vescendo est inclinatio naturalis. ergo non cõseruare se est illicitum. Maior probatur, quia inclinatio naturalis, vel sequitur ex iure naturali, vel è contrario ius naturale oritur ex inclinatione naturali, & siue hoc, siue illud sit, facere contra inclinationẽ, naturalẽ est facere cõtra ius naturale: hoc autem est illicitũ: ergo. Minor probatur, qa oĩa animalia naturaliter inclinã

tur

tur ad vtendum alimentis,& inclinatio naturalis est,quam non vsus,aut ratio,sed natura impressit Sicut ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit.Institu.de iustitia & iure.§. ius naturale.&.ff.eodem titulo,leg.ius naturale. Et cõfirmatur,quia hoc modo probamus multa alia esse illicita,sicut probamus quòd grauius peccant parẽtes,si odio habẽt liberos, vel etiam frater fratrem, aut consanguineus consanguineum, quia est cõtra naturalem inclinationem. Secundo, quilibet tenetur diligere seipsum,sed non conseruando vitam suam facit contra dilectionem sui. ergo illud est illicitũ. Maior probatur, quia est præceptum diligere proximum sicut seipsum.Matth.22.Si ergo non teneretur homo diligere se, ergo nec proximum.Tertio,qui non vtitur alimento necessario ad conseruationẽ vitæ,interficit se ipsum:Sed interficere se ipsum est illicitum. ergo maior patet, quia non pascere proximum tempore necessitatis, est occidere illum, iuxta illud Ambrosij, Pasce fame morientem,si non pauisti, occidisti.libro de officijs.& habetur distin.86.Minor autem patet, quia vt Augusti. dicit in primo de ciuitate Dei,Qui dixit,non occides,nõ excepit se ipsum. Vnde cum occidere se ipsum, sit occidere hominem,est illicitum. Item Hieronymus, Nihil interest quo pacto te interimas: quia de rapina holocaustum offert, qui vel ciborum nimia egestate,

vel manducandi penuria immoderatè corpus affligit. Et S. Tho. 1. part. quæst. 97 artic. 3. ad. 3. dicit quòd Adam etiam peccasset, si non sumpsisset cibum necessarium. Ad argumenta in contrarium ad primum dico, primo, quòd si voluntariè quis abstineret se à cibo, vt legimus apud Valerium, & Plinium de aliquibus apud gentiles, non est dubitandum, quin peccarent mortaliter, quamuis illi simul cum alijs erroribus putarent illud esse laudabile. Secundo dico, quòd si ægrotus potest sumere cibum, vel alimentum cum aliqua spe vitæ, tenetur sumere cibum, sicut teneretur dare ægro tanti. Tertio dico, quòd si animi deiectio tanta est, & appetitiuæ virtutis tanta consternatio, vt non nisi per summum laborem, & quasi cruciatum quendam ægrotus possit sumere cibum, iam reputatur quædam impossibilitas, & ideo excusatur, saltem à mortali, maximè vbi est exigua spes vitæ, aut nulla. Ad confirmationem respondetur. Primo, quod non est simile de pharmaco, & alimento. Alimentum enim per se est medium ordinatum ad vitam animalis, & naturale. nō autem pharmacum: nec tenetur homo adhibere omnia media possibilia ad conseruandam vitam, sed media per se ad hoc ordinata. Secundo etiam dicimus, quod aliud est mori ex defectu alimenti, quod imputaretur homini, & esset mors violēta: aliud ex vi morbi naturaliter ingruentis. & sic nō

come

comedere, esset se interficere: non sumere autem pharmacum esset non impedire mortem aliunde imminentem, ad quod nō semper homo tenetur. constat enim quòd aliquando posset quis licitè defendere vitam suam, & non teneturi & aliud est non protelare vitam, & aliud abrumpere. Secundum semper est illicitum, non autē primum. Tertio dicimus, q̄ si quis haberet certitudinem moraliter, q̄ per pharmacum reciperet incolumitatē, sine pharmaco autem moreretur, nō videtur profectò excusari à mortali: quia si nō daret pharmacum proximo sic ægrotanti, peccaret mortaliter & medicina per se etiam ordinata est ad salutem à natura. sed quia hoc vix potest esse certum, ideo non sunt damnandi de mortali, qui in vniuersum decreuerunt abstinere à pharmacis, licet non sit laudabile, cum creauerit Deus medicinā propter necessitatem, vt ait Salomon. De secundo, Vtrū liceat omnibus alimentis vti, & loquimur in genere exceptis carnibus humanis. Primo videtur q̄ non, ex veteri lege, vbi prohibentur multa, vt patet Leuiti. 11. tam ex animantibus terrestribus, quàm ex aquatilibus & volatilibus. Nec satis est dicere quòd erant præcepta cæremonialia. Quor sum enim attinebat prohibere tam multas species quadrupedum, volucrum, & piscium? Nec videntur habere aliquod mysterium saltem omnia, sed videntur præcepta moralia. ergo non

cessauerunt: cæremonialia enim pertinebant ad cultum Dei, Exod. 18. Item Genes. 9. videtur primo concessus vsus animalium. ergo saltem antea erat prohibitus. Et Gen. 1. dicitur, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen. vbi nihil habetur de animalibus, ergo saltem ante diluuium non licuit vti omnibus. Item post legem euangelicam. Act. 15. indictum est etiam his, qui crediderunt ex gentibus, vt abstinerent se à suffocato & sanguine. ergo saltem non licet vesci suffocato & sanguine.

In contrarium est locus propositus pro thema te relectionis, & ibidem legitur, Omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, quasi olera virentia tradidi vobis omnia.

Respondetur, & sit prima propositio, Nullum
2 *cibi, aut alimenti genus fuit, aut est prohibitum homini iure naturali. Probatur, quia omnia sunt propter hominem, iuxta illud, Omnia subiecisti sub pedibus eius, oues, & boues, &c. Sed homo nō potest vti maiori parte illorum, nisi in alimentum ergo nihil est prohibitum. Et confirmatur ex illo Gen. 1. Dominamini piscibus maris, & volatilib⁹, cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram. Sed dominium est ius assumendi aliquid in suam facultatem, & homo non potest vti multis animantibus nisi in alimentum. ergo. Secundo, Quod est prohibitum iure naturali, potest

cogno-

cognoſci ratione naturali: ſed nulla ratione naturali poteſt cognoſci, q̃ ſit aliquod alimentum prohibitum. ergo.

Item quia nõ eſt maior ratio de vno quam de alio, ſi ergo vnum eſſet prohibitum ergo omnia quod non eſt dicendum. Tertio, Deus, & natura nihil faciunt fruſtra, ſed eſſent fruſtra alimenta, ſi non liceret veſci illis. ergo. Quarto, vt ait S. Tho. 1. part. quæſt. 96. arti. 1. Omnia animalia ſunt naturaliter ſubdita homini. Probatur, nam imperfectiora cadunt in vſum perfectiorum, ſicut materia eſt propter formam, & plantæ propter bruta. ergo bruta propter homines. Vnde philoſophus. 1. Politic. infert, quòd venatio ſylueſtrium animalium eſt iuſta, & naturalis, quia per eã vendicat ſibi homo quod eſt naturaliter ſuum: & maiori ratione eſt dñs homo aliarũ rerũ. Dicitur enim Gen. 1. Faciamus hominem, vt præſit vniuerſę creaturę. Et confirmatur. 1. Tim. 4. Omnis creatura dei bona eſt, & nihil reiiciendum quod cum gratiarũ actione percipitur. Moralia autem præcepta non ceſſauerunt. ergo non eſt de iure naturali prohibitus aliquis eſus. Vnde S. Thom. 1. 2. q. 102, art. 6. ad primũ ait, nulla genera ciborum immunda ſunt immunditia culpæ ex natura ſua. Vnde Mat. 15. Non quod intrat in os, coinquinat hominem, &c. & Actuum, 10. cùm Petrus vidiſſet lidteũ, in quo erant omnia quadrupedia, & ſer

pentia terræ, audiuit, Occide, & manduca. Et cũ respondisset Petrus, Absit à me domine, quia nũ quã manducaui cõmune, & immundũ: facta est vox ad eum, Quod deus purificauit, tu commune ne dixeris. Itẽ Aug. contra Faustum lib. 6. Nihil est immundum ex natura sua. & disputat hoc ad longum contra Manichæos.

Itẽ S. Tho. 12. q. 103. ar. 4. ad citãs illud, Omnia munda mundis. Tit. 1.

Augu. libro. 6. contra Faustum. ca. 8. ad hoc sunt, Omnis creatura Dei bona est, omnia enim quæ naturaliter sunt, in ordine suo bona sunt, & nemo in eis peccat. Manichæi autẽ carnes omnes immundas dicebant, & habere animas humanas.

Ad argumẽta in contrarium respondetur. Ad primũ dico, ꝙ omnia illa præcepta cõputantur inter cęremonialia, vt patet ex S. Th. 1. 2. q. 101. ar. 1. Et ad rationẽ in cõtrariũ respondet S. Tho. ibidẽ. Ad primum, quòd ad cultũ diuinum, nõ solũ spectant, sacramenta, & huiusmodi alia, quæ immediatè ad Deum ordinantur, sed etiam debita præparatio colentium Deũ ad cultũ ipsius, quod fit per certam rationem etiam cibi & potus. Sicut etiam ecclesiastica ieiunia in profestis sanctorũ, spectant ad cultum diuinum. Omnes autem cibi, qui prohibentur Iudæis, habent aliquem modum corruptionis & immũditiæ, sicut S. Tho. eleganter declarat ibidẽ, & q. 102. ar. 6. prę

ter

ter hoc, quòd in multis obseruantiis ciborũ etiã continebatur figura & mysterium Christi, & sacramentorum eius. Vel etiam potest dici, quòd erant præcepta iudicialia, quia spectabant ad bonam gubernationem populi.

Ad aliud, quod est maius dubium, augetur dubium, quia illa obseruantia perseuerauit in ecclesia non solum tempore apostolorũ, sed etiã multò post. Erat enim tẽporibus Tertulliani, vt patet in apolog. c. 9. & in Synodo Gangrens. & habetur dis. 30. inter errores illic damnatos. Sic habetur, Si quis carnẽ mãducantẽ ex fide cum religione præter sanguinẽ, & idolo immolatũ, & suffocatum crediderit cõdemnatum, anathema sit. Et idem Rabanus in pœnitentiario, & quotquot ante quadringentos annos fuerunt, imò aiunt Græcos hodie obseruare, & abstinere se à sanguine, & suffocato. Ad hoc respondet San. Thom. 1.2. quæstione. 103. art. 4. ad tertio. quòd hæc sunt prohibita, non ad obseruantiam legalium, sed vt ab initio posset coalescere vnio Gentilium, & Iudæorum. Iudæis enim propter antiquam consuetudinem sanguis & suffocatum erant abominabilia, & ideo interdicta sunt Gentilibus: sed cessante causa, cessauit effectus, adueniente lege libertatis, & luce euangelica, nihil est reijciendũ, quod cum gratiarum actione recipitur. 1. Timo. 4. Idem dicit 4. distin. 1. questione. 2. artic. primo.

Item

Item super Matth.c.15.Licet antiqui dixerint,inquit,q̃ ab his abstinendũ est, adhuc quia immũda sunt Vnde S. Thom. bene viderat Tertullianum,& concilium Gangren,& Rabanum: hoc enim intelligit per antiquos. Ex quo sequitur, quòd illud fuit præceptum iuris apostolici, non diuini.

Sed quæritur,quando cessauit obligare. Respõdetur,primò.Per contrariam consuetudinem potuit abrogari , quia est præceptum humanum, quod per contrariam consuetudinem potest abrogari,vt patet ex S.Tho.1.2.q.97.arti.3.& Doct. in cap.1.de treug.& pac.& c.fin.de consuetudine. & in.l.de quibus.ff.de legibus. Vnde cùm iam ab hinc quadringentis annis sit consuetudo in contrarium,abrogatum est illud pręceptum. Ex quo sequitur,quòd si adhuc apud Græcos durat consuetudo abstinendi à suffocato & sanguine, non esset licitum apud illos frangere illud præceptum apostolorum.Dico si sola consuetudine ablatum est præceptum.Hoc est probabile, sicut in nostra ecclesia fuisset peccatum ante sexcentos annos. Et ideo potest dici secundò , & melius , quòd cessante in vniuersum ratione legis positiuæ, cessat vis legis,etiam sine alia abrogatione legis, nec spectata consuetudine: quia ipso facto , quòd lex est inutilis,non habet vim obligandi:quia si à principio legis ita fuisset irrationabilis esset,& per cõ-

sequens

frequens nec obligatoria, maximè cùm esset onerosa. Sic autem est in proposito. Tota enim ratio legis illius fuit societas, & communicatio conuersorum ex Iudaismo, & gentilitate, quæ ratio iam nulla est. Vnde sequitur, quòd non solum iam inducta consuetudine in ecclesia, sed ante omnem consuetudinem licebat vesci sanguine & suffocato, dũmodo intelligeretur causam cessasse, & ideo S. Tho. vbi suprà, non fundat facultatem vescendi illis in consuetudine, sed in eo, quòd causa legis omnino cessauit. Sicut si in tempore belli fiat aliqua lex, quæ pro illo tempore est necessaria, cessante bello, ipso facto cessat lex, etiam si non exprimatur in lege. imò puto, quòd tempore apostolorum non seruaretur illa lex vbiq;, sed solum vbi erat necessaria ad illam communicationem vtriusque populi. Fortè verum est, sed nescio cùm durauerit tandiu pòst etiam vbi non erant Iudæi. Sed etiam facit, quod. 1. Corin. 10. dicitur, Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Et si quis vocat vos infidelium ad cœnam, & vultis ire, omnè quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiã. Et quòd illa fuerit causa illius præcepti, patet: quia eodẽ cõtextu ꝓhibetur comedere idolothitum siue immolatũ. Sic enim habetur, vt abstineatis vos ab immolato, similiter & sanguine, & suffocato. Sed tota ratio quare prohibebatur

tur comedere immolatum, erat propter conscientias aliorum, non autem quòd de se aliquid mali contineret, vt patet per Apostol. 1. ad Corinth. 8. ergo idem dicendum est de suffocato & sanguine. Et ex eodem patet, quòd etiam tempore apostolorum licuisset gentibus extra communionẽ Iudæorũ viuentibus, comedere suffocatũ, & sanguinem, quia non obstante interdicto de idolothyto, licebat sine scandalo comedere idolothytum, vt patet ex verbis Apostoli. 1. Corint. 8. De his autem, quæ idolis sacrificantur, scimus quia oẽs scientiam habemus. & infrà, Quidam autẽ cũ conscientia vsque nunc, quasi idolothytum manducant, & conscientia ipsorum cum sit infirma, polluitur. esca autem nos non commendat Deo. Videte autem ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam in idolio recumbentem, nónne conscientia eius cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta, & peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est? Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis. Ex quibus verbis manifestè patet, quod vesci immolatis, non erat illicitum, nisi propter scandalum infirmorum: ergo eadem ratione vbi nõ erat opꝰ abstinere à suffocato. Sed licet

cet illud videatur probabile, tamen etiam potest dici, quòd non est simile de idolothyto, & suffocato, & sanguine: quia idolothytum prohibitum est solum propter scandalum, & ideo vbi non erat scandalum, non erat opus illa abstinentia, sed de suffocato alia fuit ratio, scilicet vt coalesceret amicitia inter vtrumq; populum: & quòd licet illa fuerit ratio, tamen mandatum fuit absolutũ, & sic non est simile. Et præterea posset quis respondere, quòd cùm Paulus scripsit epistolam illam, non erat facta prohibitio, cũ cõcilium illud fuerit quindecim annos saltem post passionem Christi, sed ratio temporum non consentit, & certe epistola fuit posterior concilio.

Sed potest aliter probari, quod nõ fuerint propter rationem scandali prohibita: quia eadem ratione prohibita fuissent alia legalia: ergo alia fuit ratio, vt arguit Altisiodor. libro. 4. in propria quæstione de suffocato & sanguine, dicẽs, quod ad literam illud præceptum non fuit de suffocato in illo sensu, sed ne occiderent homines, id est, ne suffocarent minus potentes, & ne effunderent sanguinem humanum. Sed hoc est contra omnes doctores. Et Hieronymus expresse super illud Ezechiel. 44. Omne morticinum, & captum à bestia de pecoribus, & auibus, non comedent sacerdotes: ait. Ne comederent illud, cuius sanguis effusus non est, quod epistola

Apo

Apostolorum decreuerat. Sed contrà arguit Altisio. & bene. Quia si illud præceptum erat cæremoniale, contra, quia beatus Petrus in illo concilio dixit, Quid tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod nec nos, nec patres nostri potuerunt portare? Sed per gratiam domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. Actuum 15. Ex quo patet, quòd sententia Petri fuit, quòd non imponerentur illis ceremonialia. Et Iacobus ibidem dicit, Ego iudico non inquietari eos, qui ex Gentibus conuertuntur ad Deum. Et aliter potest argui, quia profectò si solum illud præceptum erat eis impositum, quia Iudæi abominabantur suffocatum, & sanguinem, & vt possent simul conuiuere Iudæi & Gentiles, contra, multo magis abominabãtur carnes suillas, de quibus tamen nihil prohibetur non ergo videtur illa causa.

Sed certè, quòd liceret est. Clitoueus in antilibr. 1. ca. 21. vbi dicit, quòd non peccabant comedentes de immolatis, nisi illorum manducatio generaret aliis scandalum

Et etiam ex Apostolo ad Rom. 14. videtur haberi vbi per totum capitulum sine exceptione videtur ipse apostolus diffinire, quod nihil est immundum nisi ex conscientia, vel scandalo. Confido, inquit, in domino Iesu, quòd nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat, quid commune

ne esse, illi commune est. Et, S. Thom. dicit illic nihil esse prohibitum. Est etiam determinatio expressa in concilio Florētino, quod vide in doctrina quæ ibi datur Armeniis, vbi sic legitur, Firmiter credimus omnem creaturam Dei bonam esse, nihilq; reiiciēdum quod cum gratiarum actione suscipitur, quia iuxta verbū Domini, nō q̄ intrat p os, coinquinat hominē, illamq; Mosaicæ legis ciborū mundorū & immūdorū differentiam adceremonialia asserit pertinere, quæ surgente euāgelio transierunt. Illam etiam prohibitionem apostolorum ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, dicit illi tempori congruisse, quo ex Iudæis, atque Gentilibus, antea diuersis cæremoniis, moribusq; viuebant et cætera, & determinat, quòd iam cessante causa, cessat effectus & nunc nulla est differentia facienda.

Ad aliud, Vtrum* ante diluuium esset concessus vsus carnium, S. Tho. quidem. 1. 2. q. 102. arti. 6. 3 ad. 2. dicit, quòd esus carniū videtur esse post diluuium introductus. Tūc enim Gen. 9. dictū est, quasi holera virentia dedi vobis omnem carnem. & hoc ideo, quia à terra nascentia magis pertinēt ad simplicitatem vitæ, esus autem carniū ad quasdam delicias, & curiositatem viuendi. & Rom. 14. super illud, Is qui manducat, non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantē nō iudicet. dicit. S. Th. A terra nascentia fuerūt cō

cessa homini ad edendum. Primo secundum illud Genes. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam &c. Sed post diluuium primò legitur concessus vsus carnium. Vnde legitur Gen. 9. quasi olera virentia tradidi vobis omnia, scilicet animalium genera. Ex quibus verbis S. Tho. videtur dicere, quòd ante diluuium non solum non fuerint in vsu carnes, sed nec fuerint licitę. Sed quicquid sit de hoc videtur primùm, quòd de iure naturali nō essent illicitæ, vt suprà probatum est. & confirmatur, quia per legem Christi nō est aliquo modo abrogata lex naturalis: si ergo nunc licet vesci carnibus, non ergo est contra ius naturale, Secundo videtur quòd non fuerit prohibitum lege diuina etiam ante diluuium, Probatur. Primò non habetur talis prohibitio. Secundo illa dicebatur ętas legis naturæ, quia scilicet regebatur lege naturali, sine aliis præceptis, saltem erant pauciscima. Et San. Thom. 1. 2. quæst. 103. artic. 1. ad quartum dicit generaliter, quòd ante legem Moysi nulla lege erat prohibitus vsus carnium aliquorum animalium, sed solum propter abominationem, vel consuetudinem abstinebant homines ab aliquibus. Ita ergo potest dici, quòd si ante diluuiū non erat vsus carnium, hoc erat solum ex consuetudine, non ex aliquo præcepto diuino speciali. Nicolaus tamen Gen. 9. dicit, quòd tunc primò fuit cō cessus vsus carnium, quia terra iam non erat adeo fru-

fructifera, acceperat enim detrimentum magnũ ex diluuio. Idem dicit Abul. ibidem propter eandem rationem, scilicet q̃ ante diluuium non erat concessus vsus carniũ. & Ge. 1. dicit idẽ Abul. Hic taxauit Deus cibos hominibus, vt scilicet carnes non comederent, sed fructibus vescerentur. Et facit q̃ Gen. 1. dicitur, Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ &c. Vnde videtur, q̃ non habuerunt aliud in escam. Cõfirmatur, Ge. 9. ostenditur naturalis esus carniũ. f. ibi carnẽ cum sanguine nõ comedetis. ergo omnino tunc cœpit vsus vel cõcessio. & Ari. 7. Ethico. ca. 5. comedere carnes crudas numerat inter vitia feritatis. Hoc etiam Boët. videtur dicere de Consolatione lib. 1. Felix initium prior ætas contenta dulcibus aruis, nec inerti perdita luxu, facileq̃; fera solebat ieiunia soluere glãde. & Oui. in. 1. Met. Cõtentiq̃; cibis, nullo cogente creatis, Arbuteos fœtus, montanaq̃; fraga legebant, Cornaq̃; & in duris hærentia mora rubetis. Et quæ deciderant, patula iouis arbore glandes, Et pythagoras suos carnibus abstinere docuit. de quo Oui. 10. Met. Parcite mortales, dapibus temerare nefandis Corpora. & alia eleganter dicit. Argumentum est certè, q̃ antiquus ille mos mansit in memoria hominum, nec poëtæ hoc finxerunt,

sed acceperunt ex antiquitate. Solus Caietanus. Ge.9.dicit etiam ante diluuium licitè vsos carnibus. Quod probat, quia Gen.4.laudatur Abel, qui offerebat de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, id est de pinguioribus. Si enim non vescebantur illis, quæ laus erat afferre pinguiores? vel in quem vsum habebant greges? & tamen Heb.11.laudatur Abel, q̃ potiorem hostiam obtulit quam Cain. Sed ad hoc alii respondent, q̃ causa pellium, & vellerum ad vestitum, & etiam lactis, quod edebãt. Sed contrà, etiam lac nõ legitur concessum, ergo non erat vsus propter lac. Itẽ quid de volucribus cicuribus et Gallinis? Quem ad vsum nutrissent? Nam nec ipsa oua concessa fuerant Gen.1. Et posset facere ad Caietanum, quòd Ge.7.dixit Dominus Noë, vt tolleret de animalibus mundis septena, & septena, de immũdis vero, duo & duo. Videtur enim quòd munda vocentur idonea ad vescendum, alia verò immunda. Sed.S.Tho.1.2.q.103.arti.1.ad.4.dicit, q̃ munda, & immunda distinguebãtur quantum ad sacrificium. Sed idem Caiet.2.2.q.148.articu.2.ad.3. Martini, dicit, quòd deus primo Adæ dedit in escam vegetabilia, deinde Noe dedit animalia. Profecto primum videtur certum quòd scilicet in statu innocentiæ non fuissent vsi carnibus in alimẽtum: quia ligna, & plantæ fuissent sufficientia ad vitam. & omnino non videtur dubitandũ, quin

sequu

sequuti fuissent illam institutionem Genesi.1.

Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, vt sint vobis in escam. Secundo apparentiam habet, q̃ ante diluuium non fuissent vsi carnibus, & videtur ex illa prohibitione Gen.9. Carnem cum sanguine non comedetis. Vel enim prius comedebãt carnes aut non. Si comedebant, vel cum sanguine, vel non. Si comedebant carnes, non tamen cũ sanguine, videtur quòd non esset opus illo nouo præcepto. Si cum sanguine, tũc oportebat reddere rationem quare Deus antea permiserat, & tũc de nouo prohibebat. Vnde videtur profecto, q̃ tunc cœpit vsus, & ideo docuit dominus naturalem modum comedendi. Et tunc hoc tenendo oportet dicere, quòd licet non esset prohibitum iure naturali, erat prohibitũ iure diuino. nec enim est dubitandum, quin haberent aliqua præcepta à Deo, quæ tamen non sunt scripta: vel cum conceduntur eis plantæ, videntur negata animalia: vel fortè solum ex consuetudine erat, & non ex aliquo iure. Tertio potest teneri cum Caietano, q̃ erat vsus animalium, licet fortè non ita communis sicut postea fuit; licet Auiceña.1. Canon. dicat veteres non nisi in prandiis vsos carnibus, in cœna vero solo pane. Posset etiam confirmari, quòd non esset licitum ante diluuium vesci car-

nibus. quia Ge. 9. nõ concedũtur plantæ, & ligna, quæ erant prius cõcessa, sed solum animalia, ergo postquã conceduntur animalia, signũ est, q̃ non erant prius concessa. Sed pro opinione Caiet. facit, si ante diluuiũ non sunt vsi carnibus, nec etiã piscibus, quia idem est iudicium, & eodem modo fuerũt de nouo cõcessi. Ge. 9. & Ge. 1. solũ conceduntur, de quo tamẽ doctores nõ faciunt mentionem. Fortè nõ erat præceptum de abstinentia carnium, sed inspiratio interior, quæ non facit præceptũ. Item quid Noë comedebat in arca? Et probatur omnino, quòd esset vsus animalium. Et arguitur, nõ videtur quòd esset vsus in sacrificiis, si non esset vsus & vtilitas rerũ: quia videtur quòd non fit sacrificium de re nullius vtilitatis, videlicet, si quis combureret paleas inutiles, vel serpentem, vel corium, tunc ergo quæritur, vtrum facerẽt sacrificia, vel oblationes columbarum, vel turturum. Si sic, ergo erant vtilia ad aliquos vsus, & non nisi ad edendum, ergo &c. Si non, contrà videtur, quòd fieret sacrificium ex eisdem rebus, ex quibus fiebat in lege scripta. Sed in lege fiebat oblatio columbarum, & turturum, ergo &c. Item Gene. 7. mandatum est Noë, vt tolleret in arca de animalibus mundis septena, & septena, & de immundis duo & duo, & sic vt dicit S. Th. 1. 2. quæst. 103. arti. 3. ad. 4. intelligitur quoad sacrificiũ. Tunc quæro, an ex colũbis, & gallinis fuerint septena

aut

aut bina. Oīno ſeptena, quia oportebat illa plus multiplicari ergo erant mūda. ergo erant in ſacrificiis, & oblationibus: ergo erant inutilia, ſicut cornu, ſed vtilia, ad edendum ſcilicet. & S. Tho. vbi ſupra reſpōdens ad illud Ge. 7. dicit quòd non erāt munda quo ad eſum, ſed quia nulla lege erāt prohibita, videtur q̄ ſimpliciter loquebatur etiā ante diluuiū, quia illa diſtinctio erat ante diluuiū, nec de hoc poteſt haberi maior certitudo, & ſic patet ſolutio argumentorū, & concluſio vniuerſalis, ſcilicet q̄ nullum eſt genus alimenti, nec in animalibus nec in plantis quo non liceat vti, quantū quidem ſpectat ad ius naturale, vel diuinum.

Sed reſtat dubium. Vtrum * liceat vti condi- 4
mentis, & artificio ad edendum cibos ſuauiores. Ad quod breuiter reſpondetur, quòd etiam hoc deſe non eſt illicitum, nam ſponſa optat dare ſpō ſo poculum conditum. Cantic. 8. & ſi licet ſale cō dire, imò præcipitur Leuiti. 2. Sale &c. quare non aromatibus? Item S. Tho. 2. 2. quæſt. 142. ar. 2. ad. 2. dicit, quòd circa naturales concupiſcentias parū peccatur, vt Ariſtot. etiam dicit. 2. Ethic. ſequendo ſcilicet naturalem concupiſcentiam. Sed circa alia incitamentā concupiſcentiæ, quæ hominum curioſitas adinuenit, plurimum peccatur, vt ſunt curioſè præparati cibi, & mulieres ornatę, vnde idem videtur iudicium de vtroque.

Sed venio ad quæſtionem propoſitam, An

5 *liceat vesci carnibus humanis. Prima propositio est, Esus carnis humanæ est prohibitus iure diuino. Hanc propositionem aliqui probant ex eo, quod dicitur Genesi. 9. Omne quod mouetur, & viuit, erit vobis in escam quasi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis. Videtur enim illic prohiberi esus carnis humanæ, ex eo, quod sequitur, Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri & fratris eius requiram animam hominis. Quicunque effuderit sanguinem hominis super terram, fundetur sanguis illius. Itaque non videtur posse haberi alius sensus illius dicti, nisi de esu humanæ carnis. Ita dicit Nicolaus & Burgensis ibidem. Sed contra, quia Leuit. 7. & decimo septimo. prohibetur esus sanguinis, & non est dubium, quòd ad literam intelligitur non de humano sanguine, aut carne, sed de quocunque sanguine, sicut etiam decretum Apostolorum Actuum decimoquinto ergo ita etiam intelligẽdum est illud Genesi. nono, & ita intelligebant Iudæi, vt patet ex Iosepho, libro primo antiquit cap. septimo. vbi describit historiam illam Genesi. nono. Et ideo Caietanus in eodem loco, scilicet Genesi. nono, dicit, quòd prohibetur carnibus vesci humanis illic per verba sequentia, scilicet, Sanguinem animarum vestrarum requiram,

de

de manu cūctarum, beſtiarum & de manu homi nis. De manu viri,& de manu fratris eius requirā animam hominis quicunq; effuderit humanum ſanguinē fundatur ſanguis illius Caietanus enim non vult, quòd illa verba ſint conſequentia, nec pertineant ad præcedentia illa, excepto, ꝙ carnē cum ſanguine non comedetis. Sed eſt noua ſentē tia, & non legit enim,ſed verùm,vel vtiq;, ſangui nem vtique &c. Itaque ſenſus eſt, carnem autem humanam prohibeo vobis &c. & quia quicquid licet ſumere in alimentum, licet præparare, & ſi opus eſt,occidere:prohibeo autem(inquit) vobis vti carne humana in alimentum,quia quicunque effuderit ſanguinem humanum &c. Sed ſeptua-ginta illic legunt,ἡ γαρ, etenim, & ita legunt in-terpretes ex Chaldæo,& Hebræo. Sed adhuc po-teſt bene ſtare ſenſus Caiet ani, & placet. Itaq; in primis verbis, veruntamen carnem cum ſangui-ne non comedetis, oſtendit naturalem vſum co-medendi carnes, ſcilicet, non crudas, ſed coctas, aliud enim eſt barbarum & ferale. Poſtea ſequi-tur,ſanguinem enim animarum veſtrarum.quaſi dicat, iam ſtatui vobis quid comedere liceat vo-bis:non enim concedo vobis carnes humanas,re-quiram enim ſanguinem veſtrum.Et ratione pro batur,vt à principio arguebam. Illud eſt abomi-nabile apud omnes nationes viuentes ciuiliter,& non inhumaniter, ergo eſt iniuſtum. Patet ante-

tecedens ex historia. Nam circa Pontum, & Danubium leguntur fuisse feri homines, qui humanis dapibus vescerentur. Et Sydones populi Danubij accolæ parentum & propinquorum funera victimis & festo cõuentu familiarium celebrabant, cadauera autem laniata, & pecorum visceribus admista, obsonando, epulandoq; consumebant. Et Indorum Massagetæ propinquos cognatosq; cum ad multam senectutẽ peruenerant, vel aliquo casu morti appropinquarent, iugulatos antè magno epularum apparatu alijs edulijs mistos comedebant. Et Vlysses apud Homerũ narrat Lestrygonas immanes homines socios suos verubus affixos comedisse. Et Plinius putat Caietã fuisse Lestrygonum sedem, quales etiam Cyclopas describit Virgilius 3. Aeneidos. Omnes autẽ historici, & poetæ tanquam feritatem & inhumanitatem nefandam talem consuetudinẽ referunt. Consequentia probatur, quia illud dicitur iuris naturalis quod natura dictat, & quod apud omnes est commune, si ergo omnes homines sentiũt hoc esse turpe, ita est etiam de iure naturali. Item probat Caiet. ibidem, quia alimentum ordinatur ad id, cuius est alimentum, & per consequens debet esse ignobilius eo, ergo homo non est alimentum hominis: imò apud Gentiles tanquam infandum scelus habebatur: vnde & Christianis hoc facinus à Paganis imponebatur, q; in nocturnis sacris

eris infantes occisos comederent, vt est apud Tertullianum in apol. c. 5. & apud Eusebium in historia ecclesiastica. Item à posteriori, quia omnino essent causa cędis, & homicidij, vt patet apud Barbaros, qui vescuntur carnibus humanis. Item ius sepulturę videtur esse de iure naturali, vt quilibet sepeliatur vbi voluerit. vt. c. fures. habetur, &c. quæsitum. 13. q. 2. & de pœnit. distin. 6. c. si quis. & de pœnit. & remiss. c. crimen. quod tolleretur, si liceret vesci carnibus humanis. Item fieret iniuria resurrectioni, cùm confunderentur corpora hominum. Item sepelire mortuos est opus misericordiæ, vt patet de Tobia, & Simonide poeta. ergo in sepultos abijcere, est impietas. Item Deut. 21. prohibebantur Iudæi relinquere in sepulta etiã cadauera maleficorũ. Nec solum comedere carnes, sed etiam dare bestijs ad deuorãdũ, est inhumanũ, vt legitur fuisse Caspios, Bactrianos, & Hyrcanos & hoc videtur ex illo loco Ge. 9. Sanguinẽ enim animarum vestrarũ requiram de manu cunctarũ bestiarũ. Vbi nihil aliud videtur, phiberi, nisi ne detur bestijs humana caro in alimentũ, de hoc enim agitur ibi. Itẽ pro diro, & atroci facinore ponitur, & damnatur etiam à Paganis authoribus, potasse humanum sanguinem: vt patet in coniuratione Catilinæ, apud Salustium, & Lucium Florum. Item est pietas naturalis etiam ad mortuos. ergo non licet abuti cadaueribus eorum. Item est peccatum

catum feritatis comedere carnes humanas, vt Aristo. dicit. 7. Ethicorum. c. 5. Sed tota difficultas est,

6 An* in extrema necessitate liceat vesci carnibus humanis. & videtur quòd sic, quia, vt in præsentiarum suppono, liceret vti carnibus suillis in veteri lege (de quo postea) in tali necessitate, nõ obstante præcepto iuris diuini. sed tantam vim habet ius naturale sicut diuinum. ergo etiam liceret vti carne humana.

Item ius naturale est conseruare vitam propriã vt supra concessum est, ergo non obstante alio iure poterunt comedi carnes humanæ ad conseruandam vitam.

Item ita est cõtra ius naturale abscindere proprium membrum, sicut vesci carne humana, sed ad salutem hominis licet abscindere membrum quare ergo non licebit comedere carnes, si est necessarium ad conseruationem vitæ? Item licet vti in medicamentis carne, quam dicũt Medici Momiam ergo in alimentis, si esset omnino necessarium. Hoc tamen non obstante sit conclusio probabilis, ꝙ in quacunq; necessitate non licet vesci carne humana. Patet primo, quia habitũ est tanquam immane, ꝙ aliqui in obsidione vsi sunt tali alimento, vt patet apud historicos. Vide etiã declamationẽ Quintiliani de eo, qui legatus ad frumentum coemendum non venit. Item si licet ergo tenerentur homines in tali necessitate vesci ta

li

li carne. consequens videtur falsum, cùm nunquã fecerint homines, nec aliquis hactenus consuluerit tempore famis, nec obsidionis, nec aliquis hoc auderet. Consequentia communiter probatur, quia si licet, & non est aliud medium, videtur ꝙ tenerentur. Et cõfirmatur ex historia Iosephi de bello Iudaico, lib. 7. c. 8. Vbi Maria Eleazaria filia in extremis quidem angustijs filium occidit, coctumq; comedit medium, reliquias autem scelerati facinoris, nec contaminatissimi, & aliâs immanissimi homines edere sustinuerunt, sed tremore correpti, tales epulas sunt auersati, non obstante extrema necessitate. Caiet. tamen. 2. 2. q. 148. arti. 2. ad secundum Martini dicit, ꝙ est probabile, qđ in extrema necessitate videtur, ꝙ non sit illicitũ vti in cibum hominibus occisis in bello, licet aliâs inquit, sit mortalissimum. Martinus etiam. q. 2. de gula, dicit, ꝙ qui sine necessitate ex sola concupiscentia & delectatione vesceretur carnibus humanis, peccaret mortaliter. Vnde videtur dicere, ꝙ in necessitate non esset mortale, vel non esset peccatum. Abulens. etiam. 4. Regum. 6. tenet, ꝙ in extrema necessitate non est illicitum. sed S. Tho. 2. 2. q. 142. art. 4. ad. 3. dicit, ꝙ illa vitia, quę excedunt humanam naturam, sunt exprobrabilia, sicut si aliquis delectaretur in comestione carnium humanarum, aut in coitu bestiarum, aut masculorum. Ex hoc videtur, ꝙ S. Tho. putet tam malum

come

comedere carnes humanas, ſicut coire cũ beſtijs, quod in nullo caſu eſt admittendum. ergo nec comedere carnes humanas. Facit etiam quod Ariſt. 3. Ethico. c. 1. dicit, Sunt etiam quędam, ob quę nõ licet etiam cõpulſum, ſed potius oportet ſumma perpeſſum tormenta mortem obire. Et certè mirum eſt, q̃ etiam ſi omnium iudicio neceſſarium eſſet ad vitã fornicari, non tamen liceret, & quòd liceat comedere carnes humanas, quod multo grauius eſt per ſe, Sed reſpondent aliqui, quòd fornicatio eſt intrinſece mala, nõ autem eſus carnium. Hoc tamẽ eſt petere principium. Vnde enim habetur illa differẽtia, cùm apud homines omnes ſit abominabilior iſte eſus, quàm fornicatio? Et Almayn in moralibus. c. 3. ponit concluſionem, Nullus metus etiam mortis excuſat actum prohibitũ lege naturæ. Ex quo videtur confirmari concluſio noſtra. Vide illum. Item ſi hoc in extrema neceſsitate eſt licitum, ergo etiam ſi terrore barbarorum aliquis cogeretur comedere: nihil enim facit an timor ſit ab intrinſeco, vel extrinſeco illatus. Et mirum eſt ſi hoc licet, quomodo nũquam fuit permiſſum nec in obſidione Hieroſolymitana ſub Veſpaſiano, vbi tot millia perierũt fame, nec in obſidione Ieruſalẽ ſub Ioram rege Iſrael. 4. reg. 6. vbi tantæ fuerunt anguſtiæ, vt matres paciſcerẽtur de mutuo eſu filiorum, præſertim cùm Eliſeus eſſet præſens, qui eos admonere potuit, nec aliquis

quis hoc vnquam consuluit in vltima famè prouinciarum. ergo nullo modo est licitum.

Quarta quæstio est. Vtrum liceat in sacrificio vti hominis sanguine. Dato quòd ita sit, quòd nõ liceat comedere carnes humanas, an liceat sacrificare vt Barbari faciũt. Et videtur primo quòd hoc nõ sit cõtrà ius naturale. Primùm, quia multę nationes quõdã habuerũt in vsu, vt Scithotauri qui aduenas Dianæ immolabãt, Laodicei virginẽ Palladi, Arcades Ioui Lycæo puerũ, Carthaginenses Saturno pueros etiã regiæ nobilitatis: Sapientes etiã Gallorũ, Druide: Cimbri, Blẽmyę, humanis litabathostijs, de quo vide Alexãdrũ de Alexãdris li. 6. c. 25. Imò ad ꝓpitiãdos deos victi Carthaginẽses ab Agathoele. dicũtur nobilitatis filios mactasse ad aras. Et Germani, & Cimbri, & Senones, & penè oẽs natiões hoc in sacrificijs habuerũt vt mũdarẽtur humano sanguine, imò hac superstitione Romani nõ caruerũt. De quib⁹ legim⁹, ꝙ ex fatalib⁹ libris Gręcũ & Gręcã in foro Boario viuos defoderũt sub terrã ad placãdas, scilicet iras deorũ, licuitq; diu in sacris hominem interimere, & dijs immolare. Factũq; hoc fuit donec ꝑ Cn. Corneliũ Lentulũ, & Publiũ Liciniũ Crassũ Cõsules vetitũ fuit. Itẽ dñs præcepit Abrahæ sacrificare filiũ suũ Isaac, Ge. 22. Nõ ergo debuit credere si erat cõtrà ius naturale. Itẽ Iephte Iudic. 11. obtulit vnicã filiã in holocaustũ, & tñ ꝓnit iter sctõs, Heb. 11. Mirũ

est

est autem si hoc erat contra ius naturale, q̃ ipse non intellexisset, cùm esset fidelis, esse impiũ, vel non admoneretur à sacerdotibus. Et maxime qa habetur, qđ venit spiritus Domini super Iephte, & ex illo spiritu vouit votum, quod postea persoluit. vide S. Tho. 2.2.q.88.art.2.ad.2.&.4.dist.38. q.1.art.1.q.2.ad.3.& Heb.11.lectione.7.& August. quæstionum super Iudic. lib. 7. c. 49. vbi sub dubio reliquit, an peccauerit necne. Item ipse Redemptor noster seipsum sacrificabit in cruce.

In contrarium ponitur conclusio. Prohibitum
7 * est iure diuino & naturali sacrificare homines Deo. Probatur primo apertè Deut.12. Quando disperdiderit dominus Deus tuus ante faciem tuã gentes, ad quas ingredieris possidendas, & posse deris eas, atq; habitaueris in terra earum, caue ne imiteris eas postquam fuerint te introeunte subuersæ, & requiras cæremonias earũ, dicens, sicut coluerunt gentes istæ deos suos, ita & ego colam nõ facies similiter domino deo tuo. Omnes enim abominationes, quas auersatur dominus, fecerũt dijs suis, offerentes filios suos, & filias, & comburentes igne. Item Num.18. Dominus præcipiens, vt omnia primogenita offerrẽtur domino, & spectarent ad sacerdotem, primogenita tamen hominum iubet, vt redimantur. Quicquid enim primũ erumpit de vulua cunctæ carnis, quam offerunt domino, siue ex hominibus, siue ex pecoribus tui

iuris

bus tui iuris erit, ita duntaxat, vt pro hominũ pri mogenitis pretium accipias. Ex quo loco Augus. super Iud. vbi suprà, satis dicit significari, q̃ immolatio quidem humanæ carnis est prohibita, & displicet Deo. Ex quo loco scilicet Deute. 12. non solùm constat esse prohibitum iure diuino, sed na turali, quia Gentes non tenebantur alio iure nisi naturali, & tamen computatur inter abominatio nes eorum immolasse sanguinem humanũ. Sed quæ est ratio? Primùm de innocẽte est clara, quia est contra ius naturale occidere hominem innocentem, cùm sit præceptum decalogi. De nocente autem videtur maius dubium. Quid obstat sicut occiditur taurus in honorem Dei, quin homo aliâs maleficus, & impius, occidatur in honorem Dei? An non pro amore Dei licet occidere infidelem? quare non est sacrificium? Respondetur, sicut patet ex S. Tho. 2. 2. quæst. 85. arti. 3. ad. 3. & clarius quæstio. 86. arti. 1 quòd sacrificium est, cùm aliquid exhibetur in cultum diuinum consu mendum: nõ enim sufficit, quòd offeratur ad cul tum, sed quòd consumatur in honorem Dei, vnde calix oblatus, non est sacrificium, sed eucharistia est sacrificium in missa. Ex quo sic arguitur, Vel nocens est damnatus, vel non: si non, non iustè occiditur, & est contra ius diuinum, imò natu rale. Nullus enim obligatur ad pœnam, antequã condemnetur si autem est damnatus propter de-

lictum, iam non occiditur ad cultū diuinū. Nam si aliâs esset periturus, non occiditur pro Deo, vel honore Dei: sicut nec boues qui occidūtur in macello quantūcunq; lanius diceret, imò vellet occidere pro amore Dei, nō esset sacrificiū, & sic homines nocentes, & cōdemnati. sacrificari nō possunt, nec licitè, nec illicitè. Propriè enim sacrificare hominem Deo est, ꝙ illa sit causa occidendi hominem, quod non est de homine aliâs damnato. Præterea etiam omne sacrificium est oblatio, vt S. Tho. dicit vbi suprà. Non offert autem quis, nec dicitur offerre munus rei aliâs inutilis vel perdendæ. Non enim esset vel munus, vel oblatio, si quis vinum, aut bouem, aut ouem prorsus ad nullos vsus profuturam daret Deo, nō plus, quàm si lapidem, aut arenam. Offerre enim est vt aliquid sibi homo subtrahat, vt Deo tribuat. Cū ergo homo damnatus non sit alicuius pretij, sed pernicio sus, non potest ex illo offerri sacrificium, aut fieri maxime quia Leuit. 22. prohibebatur offerri animal quocunq; modo morbidum. Vnde videtur irreuerentia offerre hominem noxium. Restat ergo vt nec ex homine nocente, nec innocenti possit fieri sacrificium Deo acceptum, & præterea videtur, ꝙ vita hominis non sit ita propriè in potestate hominis, sicut vita aliorum animantiū. Non enim ita est dominus vitæ suæ, vel alienę, sicut est brutorum, quæ pro suo arbitrio potest perdere, &

occidere

occidere sine iniuria: homo autem etiam seipsum occidens, facit iniuriã, & sic videtur, q̃ vita humana potius sit Dei, qui est dominus vitæ & mortis. Cum ergo sacrificiũ debeat fieri ex rebus nostris, quas Deo offerimus, videtur, q̃ non possit fieri sacrificium humanæ vitæ. Et in summa quomodo Deus debeat coli, non possumus scire nisi ab ipso Deo: vbicunq; autem fuit diuina doctrina, & prophetica, nunquã fuerunt huiusmodi sacrificia, ergo omnino nunquã fuerunt Deo grata. Quòd si quis cõtenderet hoc non esse prohibitum iure naturali, excusaremus istos barbaros ab impietate, saltem antequàm esset eis prædicata lex euangelica: quia excusabantur ignorantia iuris euangelici, in quo nõ solum sunt prohibita huiusmodi sacrificia, sed quæcunq; alia, excepto vnico sacrificio missæ, vt patet ex Pau. ad Heb. Quia Christus Iesus introiuit semel in sancta, æterna redẽptione inuenta. Nec solũ de sacrificio hominis, sed nec de quocũq; alio posset reddi ratio aliqua, nisi de? reuelasset: quia cùm bonorũ nostrorum nõ egeat potius videtur absurdũ occidere in gratiam Dei animal quodcũq;. Vnde ex ipso solo sciri potest. Et iccirco in statu innocentiæ nullũ fuisset sacrificium. Ad argumenta in contrariũ. Ad primum patet quid sit dicendum. Primo enim respondetur, q̃ nunquam aliquæ nationes vsæ sunt huiusmodi sacrificio, quin prius essẽt idololatrę. Vnde

post tantum errorem idem dæmon, qui suggessit vt deos falsos colerent, etiam persuasit, vt nefarijs sacrificijs colerent. Quare ille error non inuasit homines, nisi post alios intolerabiles errores vt dicit Paul. ad Roma. 1. Propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum. Secundo patet, quia Deus damnauit sacrilegos illos ritus, vt patet Deuter. 12. Vnde etiam Gn. Cornelio Lentulo, Publio Licinio Crasso consulibus, ne hominem immolare, neue humano sanguine litare liceret, sancitum est. Ad secundum de Abraham beatus Augustinus lib. 7. super Iudic. c. 49. dicit, quòd dato quòd lege generali prohibita sint huiusmodi sacrificia, tamen iubente domino specialiter possunt fieri benè & piè, sicut & seipsum occidere, & innocentes, sicut præceptum est Sauli, vt occideret omnes habitatores Amalech. Vel fortè, inquit putauit Abraham dominum filium suum suscitaturum, & sic nullam faceret Isaac iacturam. Sed quo modo credidit illud esse à Deo, cùm haberet præceptum Dei in contrarium? Respondetur. Illa reuelatio videtur fuisse interior, & cui Abraham resistere non posset. Sed hoc ipso, inquit August. satis ostendit displicere illi huiusmodi sacrificium, quod inhibuit Abraham. Ad tertium de Iephte. beatus Augusti. eodem loco multa dicit. Primum condemnat non solum factum & sacrificium Iepte, sed etiam votum, quia votum per se malum

malum fuit: nam non videtur cogitasse de sacrificio pecoris alicuius. Non enim dixit, Quodcunque exierit obuiam mihi, sed quodcunq; exierit de ianuis domus meæ obuiam mihi reuertenti in pace à filijs Amon, Domino offeram illud in holocaustum. Nec pecora solent occurrere ducibus à bello reuertentibus, nisi fortè canis, qui tamen sacrificio adhiberi non potuit: vnde videtur in ipso voto licet non de filia, tamen de homine cogitasse. Quia ergo de hoc voto, inquit, nec de facto scriptura aliqd diffiniuit, sicut de facto Abrahæ, iudicandum reliquit nobis ex regulis scriptu rarũ. Et possemus (inquit) dicere, Deo displicuisse tale votum, & ideo permisisse, vt vnica filia occurreret, vt de tali voto vindictam sumeret: nec prohibuisse eum. 60. dierũ spatio, sicut Abraham prohibuit, licet infra eodem capitulo dicat, q̃ potest etiam dici, quòd fecit totum ex spiritu domini & votum & factum, & fortasse vt aliqua humana victima, Christi significaretur victima. Quod si verum (inquit) est, non solum eius insipientia culpanda non est, verum eius obedientia laudanda. Sed potius videtur stare in prima solutione.

S. Tho. 2. 2. quæstione. 88. artic. 2. ad. 2. satis concordat cum illa prima solutione, & citat Hieronymum, q̃ in vouendo fuit stultus, & in reddẽdo impius;. videntur tamen S Tho. & Hieronymus non damnare votum: nisi tanquam indiscretum,

quod posset habere malum euentũ. Augustꝰ. autẽ videtur damnare secundũ se, quasi intẽtio Iephte fuerit simpliciter hominẽ sacrificare. Non enim magnũ fuisset, vt pro tali victoria vouisset holocaustũ vnius bouis, aut arietis. Certè aliquod magnũ voluit vouere. Aliter dicit S. Tho. 4. dist. 38. q. 1. art. 1. q. 2. ad. 2. Idem Heb. 11. lectio. 7. Non autem condemnat votum, sed factum, quod secutũ est. Laudatur verò Iephte de fide quam habuit. Sicut & Gedeon eodẽ tenore laudatur à Paulo, qui tamen peccauit tentando Deum in vellere & faciẽdo Ephod, post quod fornicata est multitudo filiorum Israel. Pœnitentiam verò egisse vterq; creditur, vt ait S. Tho.

Sed hoc iam constituto, qꝫ nec sit licitum vesci carnibus humanis, nec sacrificare homines, sequitur quæstio moralis, An si qui habeant hanc sacri legam consuetudinem, vel vt vescantur tali carne vel sacrificijs tam nefandis vtantur, vt sunt barbari isti inuenti in prouincia Yucatan, id est, in noua Hispania, an possint principes Christiani sua authoritate ista ratione bellum illis inferre, & quatenus liceat: & si hoc non possunt sua authoritate an saltem ex authoritate mandato, vel cõmissione summi põtificis hoc possint. Et quidem Aug. Anchona. Archidiac. & Syluester dicunt, qꝫ si quę nationes sint quæ contra ius diuinũ supernaturale, & reuelatũ faciunt coërceri non debẽt, nec possunt

sunt, vt desistãt ab illa violatione, vt si qui peccãt peculiariter contra legem Christianã, vel olim cõtra legẽ Mosaicã. Et ratio est, quia nõ possunt cõuinci manifestè q̃ male faciant, & per cõsequens dãnari iuridice non possunt: & quia nemo indẽnatus põt puniri, ideo nõ posʒũt illa causa, aut bello, aut alia psequutione coerceri à talib⁹ peccatis.

De illo tandem vtrum, * sit laudabile abstinere perpetuo à certo genere alimentorum etiã in extrema necessitate est dubium? Et videtur q̃ non licet, quia (vt suprà probatum est) homo tenetur seruare propriam vitam per alimentum. ergo vbi non est aliud alimentum, nisi huius generis, tenetur illo vti. Arguitur secundo, quia si liceret, maximè ratione voti, quale dicuntur habere Cartusiẽses, Sed hoc non, ergo. Patet minor, quia votum debet esse de meliori bono, vt S. Tho. 2. 2. q. 88. & doctores. 4. d. 38. Et saltem illud quod sine voto est malum, ratione voti non fit bonum: vt si est malum inebriari, ratione voti non est bonum: sed abstinere à cibo in extrema necessitate est mortale, secluso voto, ergo etiam posito voto. Imò tunc videtur egregiè procedere dictum illud, In malis promissis, rescinde fidem. Tertio arguitur, Si quis faceret votum abstinendi à carnibus non regulariter, vel semper, vt Cartusienses, sed solùm in extrema necessitate, profectò votum esset stultum, & illicitum. Sed non videtur quòd reddatur

* 7

melius votum, quia simul cum hoc voueat abstinere etiam extra necessitatẽ, ergo &c. Item plus obligat lex diuina, quàm votum: sed Iudæus in extremo tenebatur comedere carnes prohibitas, ergo etiam Carthusienses. Quarto arguitur, Liceret etiam Carthusiensi in tali necessitate constituto comedere carnes, ergo videtur, q̃ teneretur. quia si habet medium licitum ad conseruandam vitam, facit contra charitatem nõ vtendo illo, ergo, &c. Quinto. Nulla lex humana deobligat à diuina, sed votum est peculiaris lex, ergo, &c.

In contrarium videtur consuetudo & authoritas religiosissimi ordinis Carthusiensis, vbi pro nulla necessitate violatur abstinentia illa à carnibus. Nec valet, dicere, quòd nunquam incidit necessitas, quia certè credendum est, quòd aliqui obierunt, quia non comederunt carnes.

Pro dissolutione quæstionis nota, q̃ Gerson in proprio tractatu de abstinentia Carthusiensiũ ponit duas conclusiones principales in sententia Prima, Carthusiensis in extrema necessitate constitutus, secluso scandalo, tenetur comedere carnes. Secunda, si ex tali esu carnium sequatur scandalũ, puta dissolutio ordinis sui, & religionis, obligatur nõ comedere carnes. Easdem ponit Maior, 4. distinct, 38. quæst. 4. & Martinus quæstione de abstinentia. Primam cõclusionem probant. primo, quia talis occideret seipsum non comedẽdo,

iuxta

iuxta illud Ambrosii, Pasce fame morientem: si non pauisti, occidisti. Item nulla lex humana potest deobligare à diuina, ~~sed iste tenetur lege diuina~~, sed iste tenetur lege diuina in tali necessitate comedere. ergo, &c. Item nulla constitutio contra charitatem habet locũ, sed hæc est contra charitatẽ, ergo, &c.

Sed contra primam conclusionem arguitur. 2. Machabe. 6. Macabæi cum periculo mortis abstinuerunt. ergo licet abstinere saltem Cartusien bus in quacunq; necessitate. Respondet Gerson quod Machabæi tenebantur abstinere, quia obligabantur lege diuina, & non est transgredienda lex diuina pro corporalis vitæ saluatione. Et q̃ Dauid comedendo panes peccasset, nisi habuisset reuelationem. Sed Maior aliter respondet, & dicit, quòd Machabęi tenebantur ratione scandali, aliàs debuissent comedere, vnde illo secluso in necessitate liceret comedere, carnes quia maior est obligatio diuina seruandi vitam suam, quàm alia lex de non comedendo carnem suillã. & ita dicit Almain in Moral. c. 3. imò quòd tenebãtur. Ex quibus infert Gerson, si cõstitutio Cartusiẽsis diceret q̃ nõ comederẽt carnes, etiam in extrema necessitate sub pœna peccati mortalis, nescirem, inquit, fateor, cõstitutionem istam defendere ab iniquitate. Hec determinatio Gersonis, & Maioris, est valde probabilis, & maximè declarando

primam conclusionem per secundam, scilicet quòd ratione scandali potest abstineri in extrema necessitate capiendo largè scandalum, idest si ex hoc, quòd Cartusiensis illa occasione vescerentur carnibus, inciperet dispensatio, in casibus periculosis quidem, sed paulatim traheretur ad multos casus, & omnes graues morbi essent occasio soluendæ abstinẽtiæ, & cùm Medici de industria augeant opinionem & timorem mortis in ægritudinibus, passim in infirmariis Carthusiensis vescerentur carnibus. Fatetur autem Gerson, quod ne hoc eueniat, bene Carthusienses abstinent perpetuò. Sed tamen in casu occulto, vnde non posset nasci occasio, & talis indigeret carnibus, posset comedere vt ait.

9 Sed sicut hæc opinio est probabilis, ita contra eam pono conclusionem probabiliter. Non videtur illicitum Carthusiensi in extrema necessitate abstinere à carnibus, etiam secluso scandalo. Probatur primò. Si comedere carnes in extrema necessitate est præceptum iuris diuini, vt ipsi dicunt. ergo hoc esset scandalum Pharisæorum, de quo non est habenda ratio, iuxta dictum domini, Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Mat. 15. Tunc enim maximè habet locum Gregorii dictum, scilicet, Facilius scandalum nasci permitti tur, quã veritas relinquatur. Et cõfirmatur, quia secundum istos doctores, talis, qui in isto casu ab

stine

ſtineret, faceret contra præceptum negatium ſcilicet. Non occides. Sed certum eſt quod contra præceptum negatiuum non licet agere ratione ſcandali ergo quod liceat Carthuſienſibus abſtinere in tali caſu non eſt ratione ſcandali. Secundo arguitur, Sequeretur, quòd quandocunq; eſſet periculum ne ille moriatur ex abſtinẽtia carnium, tenetur comedere. Conſequens eſt falſum. ergo probatur ſequela, quia extrema neceſsitas in moralibus vt certum eſt, vocatur, quando eſt probabile periculum. Falſitas conſequẽtis patet ex ipſo ritu, & cõſuetudine Cartuſiẽſiũ, qui nũquã de hoc diſputãt, an indigeãt carnibus, nec ne. & dato q̃ medicꝰ dicat eũ aliàs moriturũ, non reſpiciũt ad ſcandalũ, ſed oĩno negãt ſe daturos. Nec valet reſpõſio Arnaldi de Villanoua, q̃ dicit, q̃ qcquid poteſt fieri p eſus carniũ, poteſt fieri p oua ſorbilia. Nã vt dicit Maior, clarũ eſt, q̃ poteſt ex aſſuetudine incidere in faſtidiũ ouorũ, & omnino nõ poſſe comedere, Tertio nõ ſemp̃ qs tenetur ſeruare vitã p̃ omne mediũ licitũ, vt patet in multis caſibus, vbi poſſet qs defendere propriam vitã, & tamẽ ad conſeruationẽ virtutis patientiæ quis poſſet permittere ſe occidi. Item vxor cum periculo vitæ ſuæ poteſt aſsidere, & aſsiſtere viro peſte laboranti, etiam vbi non eſt neceſſe, ſed tantùm ad conſeruationem fidei maritalis. ergo, &c. Quarto non tenetur

quis,

quis, solum ad conseruationem vitæ mutare puta de consilio Medicorum deserere patriam, quia frigida est, vel aliquid huiusmodi ergo nec comedere carnes. Quinto pro defensione patriæ posset quis procedere ad bellum cum probabili mortis periculo, etiam vbi non esset necesse. ergo pro conseruatione & augmento virtutis, & abstinentiæ licet non comedere carnes. Sexto arguitur, q. non plùs liceat comedere secretò, quàm publicè: quia dato quòd illud factum sit secretum, tamen doctrina est publica: & si hoc liceret, nõ debet oppositum doceri, & si scandalizaret factum, etiam doctrina. non enim minorem occasionem ruinæ præbet doctrina, quàm factum. Septimo non solum ad conseruandum, sed ad augendum virtutẽ licet subire mortẽ, vt suppono: sed per hoc, quòd Carthusienses abstineant perpetuò, & in vniuersum, augetur illa abstinentia, & virtus, ergo. Item nullus tenetur ducere vxorem, etiam vbi certò instaret periculum mortis ex castitate, si fecit votũ. ergo, &c. Ad hoc argumẽtum respondent aliqui, negando consequentiam, quia hoc (aiunt) nõ est ordinatum ad conseruandum vitam. Sed profectò non videtur sufficere: nam maritus si indigeret extremè, videtur quòd teneretur accedere ad vxorem. ergo quòd nõ teneatur, est pro bono castitatis, & non quia non ordinatur per se ad vitã.

Tandem pro solutione argumentorum notandum

dum est, quòd aliud est non protelare vitã, aliud est abrumpere. Nam ad primum non semper tenetur homo, & satis est, quòd det operã, perquam homo regulariter potest viuere: nec puto, si æget non posset habere pharmacum nisi daret totam substantiam suam, quòd teneretur facere. Secunda conclusio. In* casu extremæ necessitatis puto- 10
quòd liceret Cartusiensi comedere carnes, aliàs lex esset intolerabilis. Posset aliter ad quæstionẽ responderi, distinguendo de exrema necessitate. Aut enim est ex fame, quia nihil habet quod edat nisi carnes, vt posset cõtingere, & in tali casu posset teneri opinio Gersonis, quòd tenetur comedere, quia tunc fame moritur, quæ est mors violenta, & videtur imputari isti. Alia necessitas potest esse ex ægritudine, & tunc carnes se habent tanquam medicinæ, & posset dici quòd in tali casu non teneretur, quia tunc moritur ex infirmitate, cuius iste non est causa, & sic mors non imputaretur ei. hoc enim non est se interficere, sed non protelare vitam quantum potest, sicut suprà dictum est de aliis medicinis: & sic maneret salua consuetudo Carthusiensium, qui pro nullo periculo infirmitatis comedunt carnes. & hæc esset confirmatio conclusionis primæ, Nam si licet abbreuiare vitam per abstinentiam carnium, vt statim dicemus per decem aut plures annos, quare nõ licebit seni octoginta annorum abbreuiare

vitã

vitam per vnum annum ne comedat carnes.

Ad argumenta in contrarium in principio posita respondetur. Ad primum patet quid dicendum sit, quia tenetur modo regulæ sufficienti, & casus extraordinarii nō cadunt, sub obligatione.

Ad secundum respondetur, q̄ facere votum solum de hoc, quòd in extrema necessitate non vescatur carnibus nihil bonitatis habet, sed absolutè abstinere à carnibus perpetuò, est bonum, & per hoc patet ad tertium.

Ad quartū negatur consequentia.

Ad quintum nego, quòd illud fit contra legē diuinam, imò videtur, q̄ secluso voto si quis proposuisset nunquam comedere carnes, posset abstinere etiam in extrema necessitate. Fateor autē si regulariter & sæpe contingeret, quòd morerentur ægrotantes ex abstinentia carnium, quòd nō deberet seruari, sicut si vt plurimum nauigantes perirent, non esset licitum nauigare, nisi pro maiori bono, quàm sit vita: sed quia hoc non ita frequenter contingit, ferenda est hęc iactura pro maiori cōmodo, quod sequitur ex nauigatione. Ita in proposito, licet sit aliqua iactura, quia aliquando moriuntur Carthusienses ex abstinentia carnium, tamen meritò ferunt hanc iacturā pro maiori bono scilicet virtutis abstinentiæ. Ex hac ratione posset formari aliud argumentum pro conclusione nostra. Quia iste est pars communitatis,

&

& ideo bene facit pro bono spirituali communi subeundo periculũ mortis cum iactura propriæ vitæ, & semper pro maiori bono licet ponere vitam. Sed restat, vt respondeamus ad quoddam argumentum suprà factum de Machabęis, an licuisset comedere suillas carnes sine scandalo in extrema necessitate. Et primò certũ est, quòd in casu Machabæorum erat magnum scandalum, quia exigebatur ab eis in contumeliam legis. Sed si ponatur quòd fame perirent in solitudine, an tũc liceret, Variæ sunt opiniones. Et profectò quicquid dicat Maior, opinio Gersonis est probabilissima, quòd nõ liceret. nam tantæ authoritatis est præceptum diuinum positiuum, sicut naturale: si autẽ ex iure naturali esset illicitũ comedere suillã nõ liceret etiam in extrema necessitate vesci suilla. ergo nec etiam nunc, cum esset de iure positiuo. Sed probabilius videtur, ꝙ vtrunq; liceret in tali necessitate, & comedere propter necessitatẽ & abstinere, ppter reuerentiã legis. Ex cusatur enim Dauid comedẽs panes ,ppositionis propter necessitatem, & discipuli vellentes spicas die festo, Math. 12. vt dicit S. Tho. 3. p. q. 4. ar. 4. ad. 3. & ita Machabæi bene fecerũt die sabbati nõ propulsantes, sed oppetentes mortem ne violarent sabbatum propter reuerentiã legis, & fecerunt bene postea pugnantes die sabbati, ne omnes perirẽt. 1 Mach.

Macha.2.vide S.Tho.12. q.100.ar.8. ad.4.Imò nō condemnantur Gothi,qui in Italia permiſerunt aliquot millia ex exercitu perire ne pugnarent die ſabbati.Sed.S.Tho.22.q.40.arti.4.dicit,quòd eſſet tentare Deum, ſi quis non pugnaret in die ſabbati in neceſsitate.

11 Reſtat quæſtio, Vtrum*liceat abbreuiare vitā per abſtinentiam.Et videtur quòd non,ex illa authoritate Hieronymi.Nihil intereſt,quo pacto te interimas. Item non liceret ſenicentum annorū annorum tollere etiam vnum annum ab vltima parte vitæ,ergo nec ſucceſsiuè perdere decem annos.Reſpondetur quòd ex primæ quæſtionis ſolutione facilè poteſt liquere, quid ad hanc ſit reſpondendum. Breuiter ergo reſpondetur per pro

12 poſitiones. Prima,Non*licet ex intētione abbreuiare vitam per abſtinentiam.Patet, quia eſt contra dilectionem ſui,quia eſt nocuum vitę.Confirmatur.Non liceret ex intentione abbreuiare vitā alterius,cuius aliquis haberet curam,vt filiorum, & ſeruorum.Secundo, Non licet abbreuiare aliis mediis. ergo nec abſtinentia.Vltimò authoritate Auguſtini,qui in regula mandat, ſcilicet, Carnē veſtram domate ieiuniis, & abſtinentia eſcæ & potns quantum valetudo permittit & patet ex prima concluſione ſuprà determinata. Patet ergo,quòd ex intenſione abſtinere contra valetudinem,eſt iliicitum: & cum ſit contra charitatem

vnius

vnius cuiusq; esset mortale. Item August. de moribus ecclesiæ, Et habetur etiam apud Di. Thom. 22. q. 141. art. 6. Regula (inquit) temperantię est ne cescitas præsentis vitæ. Secunda conclusio, Non* 14
tenetur quis protelare vitam per alimenta quantum potest. Patet, quia non tenetur vti cibis optimis, & delicatissimis & prætiosissimis, etiam si ea sint saluberrima, imò hoc est reprehensibile, ergo. Item non tenetur viuere in loco saluberrimo, ergo nec vti cibo saluberrimo. Item hoc esset damnare omnia ieiunia ecclesiastica, & monastica. Item non tenetur abstinere à vino, vt diutius viuat, ergo nec econtrario. Tertia conclusio, * Si 15
quis vtatur alimentis, quibus homines communiter vtuntur, & in quantitate, quæ solet sufficere ad valetudinem conseruandã, dato quòd ex hoc abbreuietur vita, etiam notabiliter, & hoc percipiatur, non peccat. Paret breuiter ex secũda, quia nõ tenetur prolongare, nec mutare solũada liũ salubriorẽ locũ, ergo nec cibũ. Ex quo seqtur corolariũ q̃ nõ tenetur quis vti medicinis, ad prolongandam vitam, etiam vbi esset probabile periculum mortis, puta quotannis sumere pharmacum ad vitandas febres, vel aliquid huiusmodi. Quarta conclusio, Si quis* singulari inedia, vel cibo ita 16
nocuo vteretur, vel scienter, vel propria opinione contra bonorum & sapientium sententiam, vt breui abrũperetur vita, non excusaretur à mor

tali. Hæc patet ex prima conclusione, & ex determinatione primæ quæstionis nisi fortè faceret peculiari consilio, & reuelatione diuina.

REVERENDI patris fratris Francisci à Victoria, Relectio de homicidio.

An sit fortis viri occidere se.

SVMMA.

1 *Mortem sibi conscíscere, quomodo sicut semper impium ita & mortem non solum patienter, sed liberè etiam subire, plerumque consilium, nonnunquam præceptum sit.*

2 *Interficere seipsum, semper est impium. Et multa de inclinatione naturali, peculiariter an sit semper prona ad malum.*

3 *Inclinatio hominis, quatenus homo est, est bona, & ad nullum malum, aut virtuti contrarium inclinat.*

4 *Deus an naturas rerum immutare potuerit, vel abinitio alias facere, quàm nunc sunt.*

Quod

5 *Quòd Deus naturas rerum mutare non possit ab authore probari videtur.*

6 *Deus supposito quòd non possit rerum naturas mutare, quomodo fecerit hominem cum naturali inclinatione ad malum.*

7 *Inclinatio hominis quamuis sit ad malum, tamen non est mala malitia morali, quandiu manet intra terminos appetitus.*

8 *Deus creauit hominem sine inclinatione mala qua appetitus inclinat ad malum.*

9 *Deus dedit appetitui naturalem inclinationem vt obediret voluntati.*

10 *Homo non inclinetur ad diligendum se plus quàm deum, vel proprium bonum plus quàm cummune.*

11 *Præcepto, Non occides, quid & qualiter homicidium prohibeatur. Et de triplici opinione ibi recitata.*

12 *Præceptum de non occidendo, est iuris naturalis, & non positiui, sicut etiam alia præcepta Decalogi, secundum authorem.*

13 *Præceptum de non occidendo: semper fuit æquale & ante legem, & in lege, & tempore Euangelii.*

14 *Interficere si licebat adulteram, aut furem in lege Moysi etiàm, licuit ante legem, & licet in lege euangelica.*

15 *Præcepto hoc, Non occides, quomodo prohibeatur omnehomicidium, quod stando in lege naturæ sola, est malum, & irrationabile.*

16 *Præcepto de non occidendo: non magis prohi-*

betur homicidium authorite publica, quàm priuata.

17 Occidi quomodo dupliciter potest homo, scilicet ex intentione, & præter intentionem.

18 Occidere hominem reipub. nocuum ex intentione, stando in iure diuino & naturali licet ipsi reip.

19 Homicidiũ de iure naturali & diuino permissum, quibus sit commissum.

20 Homicidium omne ex intentione, præcepto de non occidendo est prohibitum seu publicæ, seu priuatæ personæ, præter quàm id, quod reip. aut publicis magistratibus, & principatibus fuerit commissum.

21 Interficere seipsum quare non liceat.

22 Obiectum voluntatis non est solum verum bonum.

23 Deus solus est vitæ & mortis dominus, non homo, qui quantum ad hoc, est peculiariter seruus Dei vnde occidere seipsum est deo iniuriam facere.

24 Homo in multis casibus quamuis licitis uiis possit vitam seruare, quomodo tamen non teneatur.

25 Quòd homo, semper tenetur defendere vitam proximi, etiam quandocunque licet, non est exploratum

26 Panem licet alteri cedere cũ certa perniciẽ ꝓpriæ vitæ

27 Animam ponere pro amicis licet sit stultitia huius mundi, tamen est sapientia apud Deum.

28 Damnato ad mortem non licet se fame interficere.

29 Damnato ad mortem licet fugere, & mortem non expectare.

30 Damnato ad mortem per cicutæ seu veneni haustum, licet illud haurire, nec videtur ad succi mortem cooperari

rari.

31 *Auxiliari licet amico etiam cum quantocunque vitæ discrimine. Et quid dicendum de vxore, quæ etiam cũ magno periculo marito peste laboranti adsideret.*

32 *Nauigare, & artem militarem exercere etiam cum magno vitæ periculo seruatis circunstantiis quæ magis & vt plurimum contingunt, licet.*

33 *Vitam abbreuiare nullo modo licet, etsi non teneatur homo omnia media licita etiam facere, vt sibi vitam reddat longiorem.*

34 *Alimentis insalubribus & nocuis vitam reddere breuiorem, quis non licet, neq; tamen vti tenetur quis optimis.*

35 *Vitæ conseruandæ ratione non sunt omnia media adhibenda necessario, sed solum illa, quæ ad hoc sunt dese & ordinata, & congrua.*

36 *Brutus, Cato, Decius, & alii innumeri, qui sibi mortẽ consciuerunt, vtrum excusationem habebunt, eò quòd putabant in hoc se fortiter & laudabiliter agere. Et quid de Samsone, Rasia, & Saule.*

NOn de nihilo dixit Ecclesiastes, Qui addit scientiam, addit & laborem. Habent agricolæ sua otia, habent operarii, habent omnes opifices, & cũ diebus operosis victum parauerint, festis diebus requiem habent, & pro suo arbitrio remittunt, & oblectant animos, & corda oblita

laborum. Nobis neque festis, neq; profestis licet esse otiosos nullas habemus studiorum ferias, nullam vacationem ab exercitiis literarum. Ecce cõuenimus patres religiosissimi, virique spectatissimi in festo tam celebri ad hanc relectionem, cùm mihi non licuerit non solum in sequentem annũ vt putaram. sed neque in alium quidem diem proferre. Ergo, ne supra laborẽ necessarium, nouum etiam in procœmiis assumamus, rem ipsam superis præeuntibus aggrediamur. Argumentum à me tractandum in præsenti relectione, non est aliquis nouus locus ad hoc designatus & in ordinariis lectionibus prætermissus, vt in aliis relectionibus à me factum est, sed vt non nomine tantum, sed & re etiam sit relectio, constitui tractare aliqua prius in meis lectionibus disputata, non tamen multa, nec enim possem. Sed consilium meũ fuit impræsentiarum disputare quæstionem, An sit fortis viri occidere se ipsum, vel cùm conseruare vitam posset, mortem oppetere & quando, & quatenus hoc aut licitum, aut laudabile sit. Ad quam quæstionem commodius tractandam & examinandam tanquam fundamentum totius huius relectionis sequẽtem conclusionem à principio pono.

1 Prima conclusio, Sicut* mortem sibi consciscere semper impium est, ita mortem non solum patienter tolerare, sed libere etiam subire plerunq; con-

consilium, nonnunquam præceptum est. Hanc conclusionem pro temporis angustia, pro quæ tenui mea eruditione quã potero perspicuè & clarè, variè versabo, immoraboŕq; circa singulas partes, primo illam probando, deinde argumenta in contrarium obiiciendo, illaq; pro captu ingenii diluendo, ac dissoluendo, quod interim dum facio, vos patres obseruandissimi virique ornatissimi oratos velim, vt me non tam attentè, quàm benevolè, & amicè audiatis.

Prima ergo pars conclusionis est, quòd semper est impium, interficere se ipsum. Hoc primò probatur, quia* occidere seipsum est contra naturalem inclinationem hominis: sed facere aliquid contra inclinationẽ naturalem, est peccatum. ergo occidere se semper est peccatum. 2

Maior est manifesta, non enim homo solum omniaque animantia, sed res omnes resistunt suæ corruptioni, & pro viribus adnituntur conseruare se in rerum natura, vt dicitur in secundo de generatione, & experiẽtia apertius docet, quã vt probatione res indigeat, nec opus est in re non dubia argumentis vti non necessariis. Est ergo cõtra naturalẽ inclinationem hominis, vt se interimat. Quid autẽ inclinationi naturali aduersari & repugnare sit illicitum, exploratum est valde atque in confesso. Si enim naturalis inclinatio semper in bonum & honestum propensa est,

atque adeò nunquam malum ſuggerit, profectò huiuſmodi inclinationi repugnare, aut in contrarium tendere, ſemper illicitum erit. Quemadmodum enim virtuti quicquam contrarium facere ſemper illicitum eſt, quòd ea non niſi ad honeſtum inducat: ita prorſus ſi id, ad quod homo ſua pte natura & inclinatione fertur, ſemper bonum eſt, huiuſmodi inclinationi contrauenire malum erit. Bono enim non niſi contrarium malum eſſe poteſt. Quare cùm hic ſit vel primus locus, & præcipuum argumentum, quo hanc cõcluſionem doctores probare contendunt, operæpretium erit, ſi de hac ipſa re vberius diſſeruerimus. Et quidẽ ſunt nonnulli, nec vulgares, neque contemnendi, ſed primi etiam Ariſtotelis expoſitores, quibus non videtur verum, naturam ſemper ad bonum inclinare, & honeſtum, ſed potius credunt naturam & gratiam, legem & naturalem inclinationem contrarias eſſe, ſibiq́ue inuicem repugnare, quod multis tum argumentis, tum etiam teſtimoniis ſuadere conantur. Et primò argumentatur. Appetitus enim humanus fertur naturaliter in omne bonũ, bonum autem delectabile eſt bonum quoddam: fertur ergo appetitus in bonũ delectabile naturaliter, bonum autem delectabile plerunque eſt contrarium virtuti, ergo naturaliter homo appetit cõtrariũ virtuti atq; adeò peccatũ & malum. Secũdo, virtus omnis verſatur circa

dif

difficile (ex autoritate Arist. 2. Ethic.) q̃ si natura inclinaret in bonum virtutis, certè huiusmodi bonum difficile non esset. Nihil enim aliud inclinatio virtutis facit, nisi reddere facile & iucundum ipsum bonum, quod alioqui difficile erat, non ergo natura inclinat de se ad bonum, inclinat autẽ, ergo inclinat ad malum. Et confirmatur. Si enim homo sua natura inclinaretur ad bonum, non essent necessariæ virtutes, quarum hoc vnum officium est, tollere difficultatem illam & molestiam bonorum operũ. Atq; adeo qui probabilius philosophantur, negant necessariam esse aliquã virtutem, anteponẽdam quidem ad ea bona ad quæ homines sua natura feruntur & inclinantur. Nemo enim tam ingenio tardus est, qui putet virtutem esse aliquam, vt homines cupiant felices esse oderint autem miseriam. Tertio, Theologi ponunt motus subitos tam in volũtate, quàm in appetitu sensitiuo, nihil verò aliud sunt tales motus quàm inclinationes quædam naturales in malũ. ergo, natura inclinat, ad malum. Quarto, Nam ad hoc, vel solùm, vel certè potissimum ponebatur iustitia originalis in primis parentibus, aut appetitus sensitiuus contineretur in officio, & voluntati sine difficultate pareret, & voluntatem ipsam rationi, rationemq́; diuinæ legi & voluntati subiectam efficeret. quòd si humanus appetitus non sua natura aduersaretur vel rationi vel legi diui-

næ, nullum fuisset aut munus aut opus ipsius iustitiæ originalis. Quinto, Homo secundum virtutem & legem Dei tenetur diligere Deum plus quàm se, & commune bonum præferre bono priuato. Non enim charitas iuxta Apostolum, quærit quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, & tamẽ homo naturaliter diligit bonum propriũ: & est valde difficile Deum plus quàm se diligere, quia homo, vt à principio dictum est, naturaliter inclinatur ad conseruationem propriam. ergo natura inclinat contra charitatem & legem Dei. Sexto, Inclinatio appetitus sensitiui est naturalis, cùm ipse sit potentia naturalis, nec eius inclinatio sit aliud ab appetitu sensitiuo, & tamen appetitus nõ obedit rationi, sed tendit in contrarium. ergo inducit in malum. Et confirmatur. Obiectum appetitus sensitiui est bonum delectabile, hoc autem plurimum est contrarium virtuti & legi Dei. ergo appetitus sensitiuus naturaliter fertur in malum. Septimo, Fomes inclinat ad peccatum, vt Theologi diffiniunt secundo Sententiarum. & tamẽ fomes nihil aliud dicit præter naturam & naturales potentias hominis destitutas dono iustitiæ originalis, vt in eodem loco Theologi defendũt. ergo homo per naturales potẽtias fertur & inclinatur in malum. Et cõfirmatur hoc. Si enim homo produceretur in puris naturalibus, hoc est, sine iustitia, & sine peccato, eodem modo inclinaretur ad malum,

lum, ſicut nũc inclinatur ex fomite, ergo inclinatio naturalis eſt ad malũ. Adducunt deinde & aduocant in fauorem huius ſententiæ ſcripturarum teſtimonia. Et in primis dictum Domini Geneſ. 8. Senſus, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcẽtia. Ex quo videtur, quòd natura humana ſit pro cliuis & inclinata ad malum. Dominus item apud Matth. Spiritus promptus eſt, caro autẽ infirma. quod exponens Apoſtolus ad Galath. 5. Caro (inquit) concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Et Roma. 7. Video aliam legem in membris meis. & plura in hanc ſententiam. Et rurſum alibi. Si ſecundum carnem vixeritis, moriemini. Et iterum, Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Ex quibus omnibus manifeſtè conſtat, carnis appetitum eſſe in malum, & contrarium ſpiritui & legi Dei. Deſideria autem carnis ſunt naturalia, cùm ſint apud omnes. ergo prorſus naturalis inclinatio eſt in malum & in peccatum. Item Ariſto. 2. Ethico. dicit, Quòd ad hoc, quòd homo fiat ſtudioſus, oportet vt ſeruet ſe ab his, ad quæ natura maximè inclinat vt S. Thom. 2. 2. q. 166. artic. 2. ad tertium adducit.

His & alijs rationibus & teſtimonijs authores illi ſententiam ſuam tuẽtur. Vnde etiam in naturam ipſam, illæ quærelæ exortę ſunt, vt alij nouercam, alij inimicam, alij ſcelerum altricem, alij malorum

lorũ parentem, alijsq; inuidiosis, odiosisq; nominibus appellent, ac dehoneſtent. Inde etiam illud q̃ homo ex ſe non poteſt niſi malum. Inde adhuc ille odioſior, & omnibus mortalib⁹ inſigniter iniurioſior error, q̃ omnia omnium hominum opera ſunt peccata, & æterno ſupplicio digna, niſi miſericordia Dei venialia fierent, vnum ex dogmatibus Luteranorum. Verum bona venia tã torum virorum & pace, non adducor nec propoſitis, neque quibuſcunq; alijs argumentis, vt credam humanam naturam, quam omnipotens & ſapientiſſimus Deus ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condidit, tam malo genio, & prauis conditionibus formatam, & conſtitutam, vt cùm reliquę res omnes in fines & operationes ſibi conuenientes ſuo ingenio & natura ferantur, ſolus homo nõ niſi in mala, atq; adeo in perniciem ſuam & condẽ-
3 nationem feratur & inclinetur. Quare * in prę ſentiarum defendo inclinationem hominis, quatenus quidem homo eſt, bonam eſſe, atq; adeò ad nullum malum, aut virtuti contrarium inclinare: quod poſtquam autoritate probare non ſufficio, argumẽtis nõ infirmis probabile facere contẽdã.

Et primò quidem ſic arguo. Inclinatio naturæ humanæ eſt immediatè ab ipſo Deo. ergo nõ poteſt eſſe ad malum. Antecedens eſt notum, cùm Deus ſit author ipſius naturæ, atq; adeò omnium quæ cõſequuntur naturã, cuius in primis eſt incli-

na-

natio naturalis. Qui enim (vt verbis Aristo. vtar) dat formam, dat consequentia ad formam. Est ergo Deus solus author & causa humanæ inclinationis. Cõsequentia vero probatur. Motus enim naturalis siue ex naturali inclinatione, attribuitur & imputatur generanti, id est, authori, & causæ ipsius naturalis inclinationis, vt Aristoteli merito placuit. 8. Physic. simulq; multis grauissimis Philosophis. Grauia enim & leuia hac vna ratione à generante, & non à se ipsis moueri dicuntur, q̃ eam inclinationem, atq; adeò necessitatem ad motum vel sursum, vel deorsum à generante acceperint. Si ergo homo ad malum naturaliter inclinatur, illa inclinatio, & motus sequens talẽ inclinationem in peccatum, imputarẽtur ipsi Deo, quod prorsus dicere, vel cogitare impium est. Certè si motus lapidis deorsum, aut motus ignis sursum peccatum esset, nulli dubium quin hoc peccatum Deo potius tribuendum esset, quàm ipsis grauibus & leuibus, quæ talem à Deo inclinationem acceperunt. Et similiter si homini peccatum esset appetere felicitatem, non tam imputandum esset illi, quàm Deo, qui sic hominem constituit vt naturaliter appeteret felicitatem. Quare hæc ratio efficax est ad probandum aliquem actum non esse peccatum, quia procedit ex inclinatione hominis à Deo sibi data. Ex quo etiam loco arguit S. Tho. & alij Theologi graues non inualidè

ad

ad probandum, quòd prima operatio angeli non potuit esse mala. Cum enim prima operatio sit dilectio sui, omnes enim aliæ operationes ex ista proficiscuntur, vt Arist. docet in Ethicis, Amicabilia, inquit quæ sunt ad alterum, sunt ex amicabilibus quæ sunt ad nos primam operationem angeli: oportet fuisse amorem sui: Cùm ergo ex naturali inclinatione ad talem amorem inclinaretur, fieri nõ potuit, vt ille amor malus esset. Et sic prima operatio angeli nõ potuit esse peccatum.

Secundo probatur idem. Non posset Deus producere in anima habitum vitiosum inclinantem ad peccatum: hoc enim repugnat diuinæ bonitati: ergo neq; potuit dare animæ rationali aut homini vitiosam inclinationem, qua scilicet ad peccatum inclinaretur: nõ enim minus esset causa inclinatio vitiosa mali actus, quàm vitiosus habit⁹.

Tertio, Non posset Deus producere habitũ inclinantem ad falsum, ergo nec inclinationem ad malum. Patet consequentia. Nam non minus repugnat Deo inclinare ad peccatum, quàm ad falsum, imò multo plus: qui ergo non potest producere inclinationẽ ad falsum, multo minus potuisset dedisse inclinationem ad peccatum. Assumptum autem patet: ea enim est vna probatio Doctorum, quòd fidei non potest subesse falsum, qa scilicet est infusa à Deo, non ergo potest Deus infundere habitum ad falsum inclinantem. atq; ista

ratione

ratione probari quoddam modo possunt prima principia, quanuis per se nota. Quid enim, si quis fateretur quidem se cogi ad assentiendum huic principio, omne totum est maius sua parte, diceret tamen se timere ne fortè deciperetur, quemad modum & homo aliquando cogitur ad credendum aliquid hominum authoritate, quibus fidē non habere homo non potest, & tamen fieri potest vt decipiatur? Quid inquā, si quis diceret ita de primis principijs, an non aliqua ratione induci posset ad assentiendum illis? Ego vero puto, si quis mihi recipiat, Deum neq; mentiri, neq; decipere posse, concedat etiam necesse esse naturam rationalem esse à Deo creatam cum hac necessitate, & inclinatione consentiendi his principijs, manifestè etiam conuinci talia principia vera esse. Si enim falsa sunt, & Deus humanum intellectum cogit ad assentiendum illis, apertè constat Deum homines decipere, & per consequens mentiri. Simili ergo modo, si Deus produceret quencunq; habitum inclinantem ad falsum, meritò & mendacij & deceptionis argueretur.

Quarto, Si homo induceret alium ad peccandum, peccaret, ergo similiter si Deus inclinat homines ad peccandum, peccat. Quamuis enim nō valeat apud Theologos consequentia, Deus concurrit cum homine ad peccandū, ergo peccat. Tamen recipient istā, Deus se solo inducit homines

ad

ad peccandū, ergo peccat. Nam sicut consequens est impossibile, ita & antecedens, Deus autem se solo est causa inclinationis naturalis hominis: si ergo per talem inclinationem homo induceretur ad peccandum, videtur etiam ꝙ Deus inducat ad tale peccatum.

Quintò voluntas humana non fertur in obiectum, nisi mediante ratione: ratio autem semper inclinat ad iudicandum, ꝙ omne malum est euitandum: ergo voluntas non inclinat ad malum.

Sexto si inclinatio ad malum est à solo Deo, vt isti fatentur, non uideo quomodo negent, quòd Deus sit causa pecati, quod omnes Theologi tanquam impium semper reiecerunt. Quòd si rationes nostræ, vt videmus, superiores, & probabiliores sunt, ne testibus etiam deficiamur aliquid, de scripturis etiam oportet adducere. Et primo omnium facit authoritas Iacobi Nemo, inquit, cùm tentatur, dicat, ꝙ à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est. Ex quo loco sic arguitur est. Si inclinatio naturalis esset ad malū, Deꝰ esset tentator malorum, quod est contra Apostolum, ergo impossibile est, ꝙ natura tentet seu inclinet ad malum. Assumptum probatur. Nihil enim aliud est tētare, nisi facere inclinationem ad malum. Si ergo Deus fecit & dedit talem inclinationem homini ad malum, qualem isti dicunt esse naturalē inclinationem, cur ergo Deus tentare non dicere

tur?

tur? Confirmatur. Si dæmon inijceret talem inclinationem homini ad malum, qualem isti asserũt esse naturalẽ, certe dæmon tentaret, ergo & Deus diceretur tentator. Secundo, Ecclesiastes. 7. dicitur. Fecit Deus hominem rectum. & ipse immiscuit se infinitis quæstionibus. Non autem videtur Deum hominẽ rectum fecisse, si cùm ista pessima inclinatione & maledictione creauit, qua sua natura ferretur ad malum. ergo.

Sed in primis videtur facere, quòd Sapientia diuina attingit à fine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter, vt per Salomonem ipse testatur. Non esset verò suauis dispositio, si cùm Deus homini legem & præcepta dedisset, naturã in cõtrarium trahentem, vocantem & allicientem dedisset. Cùm enim Deus hominem condiderit ad laudandum creatorem suum, vitãq; æternam ab illo promerendum, non vtiq; tanquam sapiens architector hominem fabricauit, si naturã fini repugnantem, & incommodam illi dederit, cùm tamen viderit Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona. Et alibi, Dei perfecta sunt opera. Profectò non videretur opus aut valde bonum, aut perfectum, si hominem cum huiusmodi inclinatione fecisset.

Et demum, vt quid Deus hominem non fecit propẽsum, & procliuem ad bonum potius quàm ad malum? ad legem suam quàm ad transgressio-

nem legis? an quia nō potuit? Hoc verò quid stultius, quid indignius diuinæ maiestati excogitari posset? An quia nō voluit? Inuidit ergo Deꝰ mortalibus hanc felicitatem, quā tamen maximè ad diuinorum præceptorum vsuri essent obseruantiam. Angelos certè Deus non hac conditione creauit, vt non nisi ad peccatū & malum tantum inclinarentur. Quæ ergo ratio esse potuit, vt hac parte tanto benignior & æquior angelis esset, q̄ hominibus, qui de Deo quidem non poterant melius esse meriti?

Videmur igitur ex parte probasse hominē sua natura non inclinari ad malum, sed relictum potius in manu consilij sui, vt vtrumlibet pro suo arbitrio sequeretur, siue bonum, siue malum. Superest vt argumentis in contrarium adductis vtcunque satisfaciamus, ad quorum expeditionem illud in primis meminisse oportet, hominem esse compositum ex duabus naturis, rationali, scilicet ac sensitiua, quas apostolus ad Roma. 12. interiorem, & exteriorem hominem vocat: quod non est sic intelligendum, vt anima ipsa sit interior homo, aut natura rationalis, corpus verò natura sensitiua: sed totus homo secundum spiritum est homo interior idem verò secundum carnem est homo exterior, & natura sensitiua. Secundo est aduertendum, quòd quia homo est homo simpliciter in quantum rationalis, non in quantum sensitiuus

sitiuus: inclinatio hominis absolutè est inclinatio hominis in quantum homo est, scilicet, inclinatio voluntatis, & intellectus, & nõ inclinatio partis sensitiuæ, quæ aut non est inclinatio hominis, aut non in quantum homo est, sed secundũ quid, & non absolutè. Comparatur enim appetitus sensitiuus ad hominem quasi aliquod extrinsecum, nec plus debet dici inclinatio hominis, inclinatio appetitus sensitiui, quàm inclinatio dęmonis aut mundi. Cupit enim & mundus & dęmon trahere humanam voluntatem ad malum, cupit etiã nũc appetitus sensitiuus. Sed sicut non interest nostra quid aut mundus, aut dæmon suggerat, sed quid ipsi per voluntatẽ & rationem prosequamur, ita eadem ratio est de appetitu, ac si esset à nobis separatus. Nec enim qđ caro nobis suadet, imputatur, nec opus nostrũ, aut desiderium dicitur, sed id tãtum, quod per liberum arbitrium acceptum habuerimus, & secuti fuerimus. Quare quanquam sint nonnulli, qui etiam defendere velint, nec ipsum etiam appetitum inclinare ad malum ex specie aut natura sua, sed ex peculiaribus vniuscuiusque conditionibus, quas non à Deo, sed à patria, vel à parentibus, vel astris vnusquisque contraxit: tamen ego non nego quidem sensualitatem trahere & tendere ad malum, & peccatum ex specie, & natura sua, sed nego eam esse humanam inclinationem aut conditionem: imò

contrariam, quemadmodum nec motus appetitus voluntatem præcedentes, actus humani dicũtur, atq; adeò simul verum est, q̃ appetitus sensitiuus inclinatur contra virtutem: homo verò interior, qui simpliciter est homo, inclinatur ad virtutem. Vtrunq; Apostolus, signanter & disertè expressit ad Rom. 12. Condelector, inquit, legi Dei, secundum interiorem hominẽ: video autem aliã legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Quod tamen Paul. non aliter ad se pertinere arbitratur, quàm angelum sathanæ, qui eum colaphizabat. Et sicut manente vera inclinatione hominis ad virtutẽ erat angelus sathanæ, eum colaphizãs, ita aduersante, & cõtraueniẽte appetitu sensitiuo manet integritas humanæ volũtatis quę est hominis integritas, in quãtum homo est.

Verũ restat scrupulus ex hac responsione. Nã æquè est à Deo inclinatio appetitus sensitiui, sicut & voluntatis: si ergo inconueniens dicitur, q̃ Deus sit causa inclinationis volũtatis ad malum, quare non idem habeatur pro inconuenienti de appetitu sensitiuo? quare inquam sapientissimus creator, & conditor rerum malam inclinationem dedit appetitui, & carni, & non potius bonã, quę magis conuenire videbatur illi infinitæ bonitati? Dico primum omnium, dubium est certè inter
4 Theologos, & Philosophos, An * naturas rerum
Deus immutare possit, vel potuerit, vel ab initio
aliàs

aliâs facere, quàm nunc sunt. Et quidem sunt qui putent cum Gabri. 4. dist. 1. quæst. 1. Quãuis Deus species quidem rerum, & essentias variare nõ potuerit, neque enim potuit aut hominem, aut bouem alterius speciei facere, quàm fecit potuit tamen proprietates, & inclinationes naturales immutare, potuit (inquam) ignem frigidum naturaliter facere, & aquam calidam, ac rursum nigram niuem, & album coruum. Quod tali ratione probatur. Nam posse Deum ignem frigidum facere, aut calidam aquam, & cætera huiusmodi, dubitari non potest. Potuit ergo Deus ab initio aquam calidam facere, aut frigidum ignem, leuem terram, grauem aerem, & legem ponere, vt sic perpetuò perseuerarent. Qua lege posita, illud esset proprium, aut naturale talium rerũ. Nihil enim aliud est rerum natura, quàm id quod ab initio (vt Augustinus ait) Deus rebus dare voluit. ergo potuit Deus contrarias naturas & inclinationes dare rebus quàm dedit. Et confirmatur. Nam potuit Deus res nudas creare, id est, essentias, sine quibuscunque accidentibus, aut proprietatibus: ergo non necessario creauit cum his conditionibus & proprietatibus, quas nunc habent. Hanc sententiam quanquam Theologi & authores nonnulli, qui in pretio habentur, defendunt, non puto esse probabilem, nec verisimilem. Vnde puto, quòd* Deus non potuerit quidem ignem cali- 5

dum naturaliter frigidum facere, aut non naturaliter calidum, aut niuem nigram, aut leuem terram, & vniuersum naturales inclinationes tollere, aut mutare. Quod sic probatur. Nam primum omnium, multæ sunt proprietates, & aptitudines rerum, quæ secundum communem opinionem, non conueniunt rebus per aliquas qualitates superadditas, sed immediatè per suas essentias: vt verbi gratia, Si risibile non conuenit homini per aliquam qualitatem superadditam secundum opinionem istorum, sed per essentiam, potuit quidem Deus facere, quòd homo nunquam rideret, non autem quòd non esset natura risibilis: quia Deus non potest tollere effectum causæ formalis, manente causa formali. Si ergo homo est formaliter risibilis per suam essentiam, non potuit Deus facere quòd sua natura non esset risibilis. Secundo sic arguo, Aqua cum concursu Dei generali producit frigiditatem in se, vt patet in aqua reducente se ad frigiditatem. Ergo Deus non potuit facere quin cum tali concursu esset frigida, & per consequens naturaliter frigida. Consequentia probatur. Nam detur oppositum puta, quòd Faceret Deus, quòd aqua naturaliter esset calida, quæro, an aqua cum concursu Dei generali potuerit reducere se ad frigiditatem, vel non. Si potuit, ergo non erat naturaliter calida, si non potuit, ergo nec nunc po-

potest, quia concursus generalis Dei non potuit esse maioris actiuitatis, quàm nunc est, & ab eisdem causis semper producitur similis effectus. nec Deus potest facere, quòd causa naturalis, quæ nunc non potest in aliquem effectum, cum concursu generali posit in illum cum eodem concursu. Verbi gratia, nunc non potest homo suscitare hominem cum concursu generali Dei. ergo Deus non potest facere, quòd homo id posit cum tali concursu: nec Deus ipse posset cum generali concursu facere quod nunc non facit. Sicut ergo Deus non potuit facere vt homo naturaliter posset suscitare mortuum, ita non potest facere quòd aqua produceret calorem, aut quòd naturaliter lapis ascenderet sursum. Et confirmatur. Aut essentiæ rerum, aut species de se sunt indifferentes ad quamlibet proprietatem, aut non. Si non, ergo non potuit fieri, quin id, ad quod essentia magis inclinatur, sit magis naturale. Si sint indifferentes. Verbi gratia, Si natura ignis nuda, est indifferens ad calorem, & frigus. Ergo cum concursu generali non plus produceret calorem, quàm frigus, & per consequens non poterit esse magis naturale vnum quàm aliud. Et confirmatur exemplo. Deus non poterat facere, quòd coelum naturaliter inclinaretur ad quietem vel ad motum à Septentrione ad Meridiem, ergo

nec alias naturas rerum potuit mutare. Antecedens probatur, Si cœlum naturaliter inclinaretur ad motum contrarium isti quem nunc habet, vel ad quietem, non posset cum concursu generali moueri motu isto, quem nũc habet, sicut è contrario. Et confirmatur validè, quia si potest Deus mutare naturas rerum, faciat ergo, quòd aqua sit naturaliter calida. Sic arguo, Calor nunc cum concursu generali sufficit corrumpere aquam. ergo cum simili concursu potuisset tunc corrumpere. ergo non est ei calor naturalis. non enim posset nunc Deus cum solo concursu generali impedire ne calor corrumperet aquam, & non est impotentior quàm à principio. ergo nec tunc potuit. Certè puto quòd argumentum concludit. Item Deus non potuit hominem naturaliter facere incorruptibilem. Item non posset agens naturale cum concursu generali inducere formam aquæ in materiam indispositam per calorem & siccitatem. Ergo, calor & siccitas non possunt esse naturales aquæ. Vt enim arguebatur, quicquid creatura potuit posse (vt ita dicam) cũ concursu generali Dei, potest nunc cum simili
6 concursu. Hoc ergo supposito, quòd * non potest Deus naturas rerũ mutare', dico, quòd Deus fecit hominem, cum hac naturali inclinatione appetitus sensitiui, quia aliter fieri non poterat.
7 Secundo dico, quòd * talis inclinatio quamuis

sit

sit ad malum, non tamen est mala quaudiu quidem manet intra terminos appetitus sensitiui: malum inquam malitia morali: nam malitia pœnæ non inconuenit, cuius deus semper est causa: sicut non dicitur mala inclinatio qua Leo inclinatur ad homicidium. Sicut enim appetitus inclinat hominem ad malum, ita etiam obiectum ipsum, vt delectabile, aut vtile inclinat etiam ad malum, & tamen natura ipsius auri. verbi gratia aut cibi dulcis bona prorsus est. Neque vnquam aliquis conqueritur de deo, quòd aurum pulcherrimum fecerit, aut vinum suaue. Ita prorsus de appetitu sensitiuo qui mouet hominem ad malum, non aliter quàm ipsum obiectum, vnde nulla malitia existit appetitus sensitiui aut rerum ipsarum Tertio dico, q̃ appetitus inclinat ad malũ, nõ ipsi' appetitus sed hominis semp̃ enim naturalis est cõueniẽs, vt S.th. dic. 1. p, q. 31. ar. 1. Quartò dico, q̃

8 *Deus hominem creauit sine tali inclinatione mala, creauit enim eum cum iustitia originali, quæ appetitum subiiciebat rationi, & nullo modo inclinabat ad malum: quòd si postea sua culpa incidit in hunc laborem, sibi potius, quàm diuinæ sapientiæ imputandum est, Nec plus sanè, quàm si oculos sibi erueret, quos illi creator dedisset, conqueri de creatore suo posset. Quintò dico, quòd

9 *dedit appetitui naturalem inclinationẽ vt obediret rationi, & sic tandem tota inclinatio est bo-

na. Et ista pro argumentis satis esse videntur, quatenus ad inclinationem appetitus sensitiui spectabat.

Sed aliunde arguebatur, quia scilicet homo tenetur diligere Deum plus quàm seipsum, & commune plus quàm priuatum bonum, & tamen inclinatio hominis naturalis est in contrarium, atque adeò in malum. Ad hoc quanquam sint clari philosophi & theologi, qui ita esse arbitrentur, ego* verò nego hominem inclinari ad diligendum se plus quàm Deum, vel proprium bonum plusquam commune. Sicut enim membrum plus inclinatur ad bonum totius, quàm ad bonum proprium, periclitatur enim manus pro salute totius ita etiam ex naturali inclinatione homo, quem Deus fecit partem reipublicæ, natura inclinatur ad bonum publicum plus quàm ad priuatum: & cùm deus sit bonum vniuersale, plus etiam homo diligit Deum, quàm seipsum, sicut nota experientia docet, quòd aqua ascẽdit, deferens conueniẽs sibi bonum propter integritatem & continuitatem vniuersi. Non est autem consenta neũ vt deus rebus inanimatis aut membris corporis inclinationem dederit conueniẽtem suo fini vni autem homini negauerit. Sunt verò qui hoc ipsum negant, scilicet, membrum plus inclinari ad bonum totius, quàm ad proprium, nec membrum se exponit (vt aiunt) periculo pro salute totius, sed ipsum

sum totum membrum tremens & resistens opponit pro se. Sed certè hoc ipsum est incõsonum rationi, & est condemnare industriam diuinam, dicere, quòd Deus cùm mẽbra corporis fecerit solũ propter bonum totius, & non propter se, tamen membris dederit inclinationem contrariam bono totius, quasi verò pedes sibi, & nõ homini ambularent, & aures sibi, & non homini audirent, & oculi, &c. Et vt de membris hominis donemus hoc illis quid de aqua dicturi sunt, cùm sursum ascendit, an non ipsa se sursum mouet? an potius imaginandum est totum vniuersum concurrere vt aquam moueat? Profectò dicendum non est. Quod si ita est, vt certè est, cùm Deus fecerit hominem potius propter se, quàm propter hominẽ, fibsurdum est dicere non dedisse inclinationẽ suo fini conuenientem, quia plus ipsum Deum, quàm se diligeret.

Error tamen iste emanauit, quòd viderent hominem cum magna difficultate, aut vitam, aut etiam bona temporalia ponere pro Deo, aut pro bono publico: quare ex hoc arguunt non inclinari naturaliter ad bonum publicum. Sed hoc perinde est, ac si quis dicat, hominem non amare propriam vitam plus quàm vnum membrũ, cùm videant granari nimis, & cũ magna molestia, & difficultate secare aut vrere mẽbrum propter salutẽ totius: aut si is qs neget aliquẽ cupidũ esse vitę, ideo

quis

quia potionem amaram non libenter sumit. Ita nõ statim si quis ęgrè & molestè ferat aut vitã aut fortunas perdere, ꝓpter Deũ, aut propter bonũ publicum, non inquàm statim arguendũ est, hominem non plus naturaliter Deum aut commune bonum diligere, quàm priuatum. Vt enim Doctores docent, gratia non est cõtraria naturæ, sed perficit naturam, & naturalem inclinationem: difficultas autem prouenit tum ex appetitu, tum etiam quia licet plus inclinetur ad bonum tamen etiam inclinatur ad alia bona, & sic patitur difficultatem, sicut de proiiciente merces in mare. Atque id demum cogitandum est, non esse Deum deteriorem artificem ipso homine, cùm tamen artifex homo, si quod instrumentum ad aliquem finem fingat, curet omnem aptitudinẽ ad talem finem instrumento dare, idoneumq́ue suo fini facere: quare ergo Deus, qui omnia fecit propter se, non talem inclinationẽ suæ creaturæ credatur dedisse, qualem ad illum finem conuenire nouerat? Nos ergo amoliamur huiusmodi querelas de summo artifice, ac conditore, credamusq; naturam nõ nisi ad bonum inclinare, atque ideo omne quod est contrarium naturali inclinationi, esse malum. Perditio enim tua ex te Israel. Salus autem ex me. Osee. 13. Cum ergo, vt à principio arguebam, interficere seipsum sit contra naturalem inclinationem consequens est esse illicitum,

quod

quod erat primum argumentum ad probationẽ conclusionis.

Secundo principaliter probatur eadem conclusio. Occidens seipsum, facit cõtra præceptum decalogi, Non occides: quod habetur Exo. 20. & Deutero. 5. ergo peccat & mortaliter. Hoc est argumentum beati Augustini. 1. de ciuitate ad probandum, quòd occidere seipsum, sit illicitum. Sed vt apertius constet quamvim habeat argumentũ sicut etiam de primo fecimus, operæpretium est etiam examinare quid prohibetur in illo præcepto, Non occides: cum in scriptura non inueniatur alibi prohibitum, aut reprehẽsum seipsum occidere. aut ex illo præcepto oportet esse illicitum aut reuocari in dubium potest, an liceat se interficere. Cum enim præceptum sit absolutum, Non occides, & in multis casibus licitum sit occidere, vt certò cõstat, dubitari* merito potest, qd illo prę 11
cepto & qualiter homicidium prohibeatur. Quidam ergo ita intelligunt præceptum illud, vt absolutè prohibeatur occisio cuiuscunque hominis siue priuata authoritate, siue publica, siue nocentis, siue innocentis. Sed ab eo præcepto tanquam à canone generali excipiuntur lege diuina aliqui casus, in quibus licet occidere: verbi gratia, vt homicida iuste à magistratu occidatur. Sed dicunt, quòd nisi hanc facultatem haberent à deo ex sacra scriptura, quæ iubet, vt qui occiderit hominem

minem, occidatur, vt patet Leuit. 24. magistratus occidens latronem faceret contra illud præceptũ, Non occides. Itaq; sine quocunq; alio præcepto præter id, Non occides, erat sufficienter prohibitũ regi occidere etiam malefactorem, nisi dominus excepisset de homicida, & quibusdam aliis malefactoribus. Et sic apud istos in nullo casu licet etiam publicis potestatibus occidere, nisi in casibus expressis â iure diuino. Vnde ortum habuit illa opinio, quòd non licet interficere aut adulteram, aut simplicem furem, quia non est expressum in iure diuino de adulterio & licet fuerit expressum in veteri Testamento, tamen est reuocatum â Domino per illa verba Ioan. 8. Nemo te condẽnauit mulier, neque ego te cõdemnabo.

Sed contra hanc sententiam arguitur, Illud qi est de se licitum, & per se bonum, non est prohibitum præcepto diuino, sed occidere hominem in casu, est per se bonum, videlicet in defensionẽ sui, ergo non est prohibitum illo præcepto, Non occides. neque indiget excipi à regula id, quod nullo modo potuit cadere sub regula. Si ergo occidere inuasorem non potuit cadere sub præcepto, Non occides: nõ est factum licitum, quia exceptum sit ab illo præcepto. Itẽ in lege data Moysi fuit aliquando licitum occidere, aliquando nõ & tamen non erat facta talis exceptio in iure diuino plus de homicida, quàm de adultera, ergo

vel

vel vtrumque licebit, vel neutrum. Et quæro, ante legem Moysi, an licebat interficere blasphemum & homicidam, vel non? Si non, cõtrà. Quicquid non licuit in lege naturæ, nunquam licuit. Non enim lex Moysi, aut lex gratiæ sunt dispensationes legis naturæ, sed potius econtrario, multa licebant in lege naturæ, quę in lege Moysi prohibita sunt: si ergo licebat interficere in lege naturæ adulteram, sine exceptione & expressione iuris diuini licuit in lege Moysi. Et ideo alii dicunt, quòd in præcepto, Non occides, prohibetur solum occisio innocentis. & illud præceptum Exod. 20. Non occides, videtur explicatum Exod. vigesimotertio. Insontem & iustum non occides.

Sed contra hoc est, quòd priuatus occidẽs peccatorem, & sontem, facit contra illud præceptum Non occides: si enim non peccat contra id præceptum, Non occides, nusquam alibi in iure prohibetur occisio nocentis hominis. Quare cùm certum sit etiam apud istos priuatum hominem reũ esse homicidii, etiam si nocentissimum occidat, certum est illo præcepto non prohiberi solum innocentis occisionem plusquam nocentis. Et ideo alii, qui propius ad veritatem accedunr, dicunt, quòd prohibetur illo præcepto occisio hominis priuata authoritate: sed neque isti quidem sufficientem vim illius præcepti explicarunt. Si enim

respu

respublica, aut rex innocentem hominem occide
ret, faceret contra illud prçceptum, vt certum est
ergo non prohibetur absolutè priuata authorita
te occidere aut permittitur occidere publica. Ne-
que valet dicere, quòd qui interficit se defenden-
do, occidit publica authoritate: quia habet autho
ritatem a Deo per ius naturale. Hoc enim ineptũ
& ridiculum est. Nam hoc modo neque comede-
re, aut bibere nisi publica authoritate liceret. Nõ
enim liceret, nisi à iure diuino esset permissum.

Et ideo dimissis variis opinionibus, dico pri-
12 mò, quòd *hoc præceptum est iuris naturalis, &
non positiui, sicut etiam alia præcepta decalogi.
Quod patet, quia in lumine naturali semper fuit
notum homicidium esse culpabile, & illicitum.
13 Secundo infertur ex hoc, quòd * hoc præceptum
semper fuit æquale, & ante legem, & in lege, & tẽ
pore Euangelii. Patet, quia lex naturalis nunquã
mutatur. Nec enim abrogatur, aut limitatur, aut
extenditur. Est enim lumen signatum super nos
14 à principio. Tertio infero, quòd *si licebat interfi
cere adulteram, aut furem in lege Moysi, etiam li
cuit ante legem, & licet in lege Euangelica. Quar
to dico, & infero, quòd *illo præcepto prohibetur
omne homicidium, quòd stando in lege naturæ
sola, est malum, & irrationabile, & ad hoc solum
oportet respicere, & non ad exceptiones, vel per
missiones factas in lege. Omnio enim illa vel so-

lum

lum sunt iudicialia, quæ iã cessauerunt: aut si sunt moralia sũt explicatiua iuris naturalis. Quare ad id est vltimo referẽdũ, quãdo licet occidere, & quãdo nõ. Ad q; tamẽ iuuat scripturas cõsulere, neq; hoc est (vt aiunt) explicare idem per seipsum, aut ignotum per ignotius. Non est enim homicidiũ malum, quia prohibitum: sed prohibitum, quia malum. Quare ad intelligendum quid sit prohibitum per illud præceptum, Non occides, optimè respondetur, & per causam, quòd omne illud homicidium quod est iure naturali malum. Quinto dico, quòd* in illo præcepto non magis prohibetur homicidium authoritate publica quàm priuata. Alia enim quæstio est, quem, & quando licet occidere: & alia quæstio est, cui licet occidere, nã aliquando est malũ publica authoritate occidere. 16

Sexto, dico quòd* dupliciter potest occidi homo. Vno modo ex intentione, & certo proposito, vt iudex intendit priuare vita malefactorẽ. Alio modo præter intentionem, non dico solùm à casu, & inuoluntariè, propter alium finem, quem si posset occidens aliter consequi, non occideret: sicut cùm quis in defensionem sui, vel etiam Reip. occidit inuasorem, quem non occideret, si aliter posset defendere. Septimo dico, quòd* ex intentione licitum est stando in iure diuino solum & naturali occidere hominem nociuum Reipublicæ, quia, homo est membrum communitatis: Et ideo 17 18

ſicut licitum eſt abſcindere membrum corruptũ & nociuum toti corpori, ita eſt licitum iure diuino & naturali hominem pernicioſum, & boni communis corruptorem interficere, etiam ſi hoc nunquam ſit expreſſum iu iure diuino ſcripto: quia hoc eſt notum in lumine naturali, quod maius bonum debet præferri minori bono, & priuato bono publicum bonum. Octauo dico,
19 quòd * tale homicidium de iure naturali & diuino eſt ſolum commiſſum Reipublicæ. aut publicis magiſtratibus, & principibus, qui habent curam Reipublicæ. vt patet ex Paul. ad Roman. decimo tertio Non ſine cauſa gladium portat, vindex enim eſt.

20 Nono dico, quòd * ex intentione occidere hominem ſemper eſt prohibitum homini priuato. nunquam enim licet niſi in caſu præmiſſo. Non autem eſt commiſſa cura publici boni defendendi, niſi publicis perſonis. ergo nulli priuato ſua authoritate licet ex intentione occi-
21 dere. Vltimo dico, quòd * omne aliud homicidium ex intentione, eſt illo præcepto prohibitum, ſeu publicæ, ſeu priuatæ perſonæ, præterquam in caſu præmiſſo, quando vita alicuius propter peccatum eius eſt pernicioſa Reipublicæ. Nam de homicidio non ex intentione, quale eſt in defenſione ſui, aut Reipublicæ. latior eſt diſputatio: quòd licet etiam ex iure naturali cogno-

ſci

sci posset, tamen quia non est præsentis speculationis, missum facio. Ex his patet quam vim habet argumentum ex illo præcepto ad probandum, quod non licet interficere seipsum. Cùm* enim nemo sit iudex suiipsius, neque habeat authoritatem in seipsum, nunquam licebit se interficere, etiam si dignus morte esset, & pernicioſus Reipubl.

Tertio arguitur, & probatur conclusio, Se occidens facit iniuriam reipublicæ. ergo peccat. Consequentia est clara. Antecedens patet, Quia quicquid homo est, est ipsius Reipublicæ, sicut pars sui est totius. ergo qui se occidit, aufert à Republicæ. quod suum est.

Quarto & vltimo probatur, Quia occidens se, facit contra præceptum de charitate. ergo peccat. Consequentia est nota, & antecedens probatur, quia non minus homo tenetur se dilegere, quàm proximum, sicut seipsum: sed si occideret proximum, semper esset contra charitatem proximi. ergo se occidens, facit contra charitatem sui. Isto duo argumenta, non carent difficultatibus, & dubiis, possent que examinari sicut præcedentia.

Sed quia impugnando conclusionem ipsam, cõmodius veritas ipsius explicabitur, nec tempus nobis suppeteret, si vtrunq; vellem prosequi, ideo hoc relicto, contra cõclusionẽ arguitur, & primo

sic, Nemo potest se saltem de industria & volens occidere, ergo conclusio includit falsum, scilicet inueniri posse tale delictum & crimen. Antecedens probatur, Quia voluntas non potest velle ni si bonum, vt aristoteles habet, & impræsentiarũ pro rato hãbemus: sed non esse, aut desinere esse nõ est bonum, imò potius malum, ergo nullus seipsum potest interficere. Neq; sufficit dicere, q̃ cùm anima sit immortalis, non desinit esse saltem meliori sui parte qui se interficit. Saltem enim argumentum procedit de illo, qui non haberet spẽ alterius vitæ, qui non posset seipsum interficere, cuius oppositum ex historia constat. Et confirmatur, quia impossibile est q̃ aliquis nolit esse beatus, vt diserte Augustt. tenet. 17. de Ciuitate Dei. Sed qui vult esse beatus vult esse, cùm non possit esse beatus si non sit, ergo non potest aliquis nolle esse, & per consequens neq; se interficere. Secundo arguitur, Nulli facit iniuriam qui se interficit, ergo non peccat se interficiendo. Antecedẽs patet, quia nõ sibi, volẽti enim nõ fit iniuria, ipse autem volens patitur. ergo non patitur iniuriam. Nec sufficit, dicere, quòd facit iniuriam reipublicæ, quia saltem qui bona venia reipublicæ, vel adepti licentiam à republica (sicut mos apud aliquas nationes fuit) se interficerent, non peccarẽt. Et confirmatur, quia qui bona temporalia volẽs perderet, neque sibi, neque reipublicæ iniuriam fa-

facer et, vt si quis equum suum occideret, & tamẽ non minus res temporales sunt reipublicę, quàm hominis vita, imò multo plus. ergo nec se interficiens facit iniuriam reipublicæ aut sibi. Item licet nõ se defendere à latrone inuadente, quãdo non potest vitam tueri nisi alterum occidat, ergo licet se interficere. Cõsequentia probatur, Eodem præcepto tenetur quis defendere propriam vitam, quo tenetur se nõ occidere, & si se posset defendere & non se defenderet, esset cõtra præceptum de non se occidendo. Quarto, licet duobus existentibus in extrema necessitate, & habentibus solum vnicum panem, vnde alter posset tantum vitam conseruare, licet inquam alteri habenti panem cedere alteri, & hoc est se interficere. ergo. Quinto, si seruus esset cum rege in naufragio, & essent in tabula, vel nauicula, quæ vtrumq; non posset sustinere, licet seruo desilire in mare sine spe euadẽdi, vt regem seruet à morte. ergo licitum est in casu se interficere. Sexto, licitũ est damnato ad mortem, vt fame conficiatur, oblato pane non comedere, ergo licitum est se interficere. Antecedens patet, quia licitum est, & potest parere sententiæ, cui adiudicatus est, Septimo, licet dãnato ad mortem habita etiam opportunitate fugiẽdi nõ fugere, sed expectare, sic dat operam morti propriç. ergo Octauo, licet damnato ad mortẽ veneni hausti, haurire venenum. ergo licet se interficere.

Nono licet cum manifesto periculo mortis tempore pestis visitare amicos, ergo. Decimo, Licet nauigare cum manifesto periculo mortis. ergo. Vndecimo, Licita sunt exercita militaria, & taurorum exagitatio, etiam cum periculo mortis. ergo seipsum interficere. Probatur consequentia, quia in omnibus his tribus argumentis est eadem ratio, quia eodem præcepto generaliter prohibetur interficere alium, & exponere se periculo occidendi. ergo etiam de seipso. Duodecimo, Licet vitam breuiorem facere abstinentiis, & duro victu, & aliis vitæ austerioris rigoribus. ergo se interficere. Consequentia probatur ex dicto Hieronymi, Nihil interest paruo an magno tempore te interimas. Et antecedens probatur, & patet de monasteriis, vbi certum est vitam esse breuiorem, quàm extra. Decimotertio, Non tenetur aliquis constitutus in extremo periculo redimere salutem quacunque pecunia, vel toto patrimonio. ergo non tenetur conseruare vitam suam. Antecedens patet, Si enim quis indigeret ad salutem herba aliqua, vt (exempli gratia) radice pontica, quam non posset habere, nisi daret suum regnum, aut principatum, non teneretur dare. ergo. Decimoquarto, Semper est licitum subire minus malum, ad euitandum maius malum: sed maius malum videtur in fama, & ignominia, quàm

mors ergo saltem ad vitandum ignominiam, & infamiam licitum erit subire mortem, & se interficere. Decimoquinto, saltem hoc, scilicet non licitum esse se occidere, non est ita per se notum, quin possit ignorari, cum apud multos, qui reputati sunt sapientes, fuerit laudatum. ergo saltem excusabuntur illi, qui putant se fortiter & laudabiliter agere, se interficiendo, vt Cato, Brutus, & similes. Decimosexto, Legitur de quibusdam sanctis fœminis, quòd cum essent à Tyranno damnatæ vt igne comburerentur, ipsæ se in eum præcipitauerunt. ergo, licet se interficere. Decimoseptimo, Samson, Saul, Rasias, Eleazarus, se interfecerunt, qui non solum non vituperantur in Scriptura, sed certè Samson inter sanctos refertur ab Apostolo ad Hebræos. vndecimo. Et Razia & Eleazarus laudantur. Et idem argumentum potest fieri de virginibus: quæ fugientes Romanorum iniuriam, apud Aquileiam se in flumen præcipitauerunt.

Pro solutione istorum argumentorum multa & varia possent adduci, quæ si tempus ferret, nõ essent inutilia vel iniucunda tractatu, sed pro temporis breuitate solutionem illorum in pauciſsima verba conferam. Pro elucidatione ergo primi argumenti est aduertendum, quòd* obiectum voluntatis non est solum verum bonum.

Cum enim obiectum non moueat voluntatem ni si mediante cognitione, nihil refert ad mouendũ volunratem an sit verum bonum, aut æstimetur verum bonum. Itaque cùm interficere seipsum, aut prorsus non esse, possit æstimari bonum, ex hac parte nõ impeditur, quin possit aliquis sciẽs, & volens seipsum interficere, cùm possit errare, & æstimare sibi bonum non esse. Sed quoniam ista solutio solummodo ostendit aliquem ex errore posse velle non esse, & per consequens se interficere, dico secundo, quòd non inconuenit aliquem sine errore quocunque velle non esse.

Pro quo aduertendum, quòd sicut non inconuenit aliquid esse secundum se bonum, & tamen ex aliqua circunstantia fieri malum, ita econtrario aliquid, quod absolutè est malum, potest ex aliquo adiuncto fieri bonum. Atque in proposito, non esse, licet absolutè sit malum, tamen tanquam medium ad vitandas miserias non solum potest æstimari bonum, sed re vera esse bonum. Et quamuis esse secundum se sit bonum, tamen coniunctum cum aliquo malo, potest non solum æstimari, sed fieri re vera malum. Vnde dico, quòd damnati sine quocunque errore cupiunt non esse. Quanquam enim esse absolutè esset eis bonum, tamen tale esse, scilicet cum summa miseria, re vera est eis malum, & melius esset eis non esse, quàm sic esse. Quod Dominus

in

in Euangelio satis apertè ostendit dictum de Iuda traditore, Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Luc. 23. Quamuis enim aliqui ita hunc locum intelligunt, vt melius quidem fuisset Iudæ non nasci, non tamen melius non concipi, aut non esse, Tamen non puto Christum habuisse respectum ad differentiam illam inter natum esse, & cõceptum esse, & prorsus esse, sed absolutè protulit, melius futurum illi omnino non esse, quàm ita perditum esse. Vnde Ecclesiasti. 30. Melius est mors, quàm vita amara. Quare damnati non errãtes, sed rectè eligentes, cupiunt non esse. Et hoc plusquam satis ad primum argumentum.

Sed instabat in cõfirmatione, quòd omnis homo necessario appetit beatitudinem, quam non potest habere si non sit: & per consequens videtur quòd necessariò vellet esse, neq; posset velle non esse. Ad hoc argumentum quamuis multifariam possit responderi, tamẽ in presentia dico, ꝙ nullus potest velle absolute quod scit se nũquam adepturum, & per consequens nec medium eligere, ad consequendum illud, quod consequi nõ sperat. Quare cùm damnati firmiter credant se nunquam futuros felices, fit vt nec etiam esse velint, quod tamen necessarium est ad felicitatem: & eo ipso quòd damnati cupiunt felices esse, cupiunt miserias vitare, quas fugere non possunt, ac per consequens vellent non esse.

Pro secundo argumento, eiusq; confirmatione est notandum, quòd differentia est inter alias res corporales, & inter vitam hominis. Est enim homo ita verus dominus aliarum rerum, vt possit pro suo arbitrio vti omnibus illis. Omnia enim Dominus subiecit pedibus eius: quare non tenetur homo ad conseruationem rerum temporaliũ, sed potest pro sua voluntate, vel tenere, vel dimittere. Vnde occidens proprium equum, aut comburens propriam domum, nulli facit iniuriã: non est autem ita dominus, aut corporis, aut vitæ propriæ. Est enim solus Deus dominus vitæ & mortis, & quantum ad hoc homo peculiariter est seruus Dei: vnde occidens seipsum, occidit alicui seruum, & facit iniuriam Deo, à quo tãtum donum vtendum accepit, non perdendum. Et sicut non est immunis ab iniuria qui alium interficit, etiam alio petente, quia scilicet ille non est ita dominus vitæ suæ, vt possit facultatem cuiquam dare sibi vitam eripiendi: ita & qui seipsum interficit, iniuriæ reus est. Vt enim apud Ciceronem Pythagoras ait, Prohibentur mortales sine iussu imperatoris vel dñi de præsidio & statione vitæ discedere.

Pro tertio argumento, Quamuis nonnulli in illa sint opinione, vt putent hominem teneri ad tuendam vitam, quandocunque licitè potest: tamen dico, quòd * non solum in isto, sed in multis alijs casibus homo posset licitis medijs vitam

24

seruare

seruare, & tamen non tenetur. Vnde si inuasus à latrone, aliter non posset se defendere, quàm latronem interficiendo, non dubito, quin sit opus consilij, & perfectionis, permittere se occidere potius, quàm latronem in tali statu mittere in perditionem. Quod probatur. Si enim Christianus deprehensus in solitudine à Pagano inuaderetur, eo quòd Christianus esset, dato quòd posset se ab illo defendere, etiam licitè, & sine scandalo fidei: tamen nemo dubitaret, quin esset opus patientiæ, ferre æquanimiter mortem in testimonium fidei. Probatur secundo, Christus licitè se poterat defendere à Iudæis vel Gentilibus, qui tyrannicè oppresserunt illum nec tamen fecit ergo non quicunque licitè potest saluare vitam suam, tenetur. Item decem millia martyrum, qui pro Christo mortui sunt, non videtur quòd non potuissent se defendere licitè, & pugnare aduersus tyrannos, sicut & nunc Christiani se tuentur contra Paganos. Vnde non dubito, quin plerunque martyrium sit sub consilio, & quòd multi martyres se vltro martyrio obtulerunt, cùm ad hoc non obligarentur: quod satis consonum videtur consilio Apostoli ad Roma. 12. Non vos defendentes charissimi, sed date locum iræ. Et Dominus in Euangelio Matthæ. 5. Ego autem dico vobis, nō resistere malo. Imò iste videtur error Iudæorum, quem Dominus apud

Matth.

Matth.5.capite elidit, quòd putabant nõ esse laudabile, si quis iniurias patiẽter toleraret. Pro quo est considerandum, quòd licet (vt dictum est) homo non sit dominus sui corporis, aut vitæ suæ, sicut aliarum rerum, tamen aliquid dominij & iuris habet in vita sua, ratione cuius qui nocet in corpore, non solum facit Deo, qui est supremus dominus vitæ, sed etiam ipsi homini priuato iniuriam. Hoc ergo ius, quod homo habet in proprium corpus, potest homo laudabiliter dimittere, & perdere, quamuis habeat ius se defendendi, & sic patienter ferre mortem.

Contra hanc tamen solutionem potest instari. Quilibet tenetur defendere vitam innocentis, si quis per violentiam velit eum interficere. Vnicuiq; enim Deus mandauit de proximo suo. Et prouerbio.24. Erue eos, qui ducuntur ad mortem & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Vnde si quis posset innocẽtem eripere de manu inuasoris, & non faceret, esset reus homicidij. Ex hoc sic arguitur, plus tenetur homo seruare propriam vitam quàm vitam proximi: si ergo tenetur homo defendere vitam proximi ab iniusto inuasore, ergo etiam propriam vitam. Ad hoc primo dico, quòd non est ita exploratum, quòd
25 * semper homo teneatur defendere vitam proximi, etiam quandocunq; licet. Si enim Christianus se vltrò offerret tyranno, ad augmentum fi-

dei,

dei, etiam extra tempus necessitatis, quando scilicet est opus consilij, dato, quòd Christiani possent illum eripere de manu tyranni, & liceret sine scandalo, credo quòd non tenerentur, & sic non est vniuersaliter verum, quòd quilibet tenetur defendere vitam innocentis, etiam cum licitè potest, vt patet de Petro Apostolo quem Dominus repræhendit, quia volebat eum eripere de manibus Iudæorum. Secundo dico negando consequentiam, si teneor defendere vitam proximi, q̃ tenear defendere meam. possum enim, vt dictum est, cedere iuri meo, non autem iuri fratris mei. Exemplum est clarum. Certum est enim quòd non teneor defendere bona temporalia mea, iuxta id, si quis petierit à te tunicam, da ei & pallium Et tamen si possem sine periculo meo defendere bona innocentis à raptore, & latrone, certum est quòd teneor. Simili ergo modo quamuis possum non defendere vitam meam, non possum non defendere vitam proximi.

Pro quarto argumento licet multi vertant in dubium, an liceat pro priuata persona ponere vitam, & plures partem negatiuam defendant, tamen vt aliâs à me disputatum est, puto probabilius hoc esse laudabile, & videtur laudatum à Domino in illo loco, Maiorem dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis &c. vbi non distinguit de priuata persona,

aut

aut publica. & Ioan. In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Neq; videtur solum loqui pro spirituali bono proximorum. Statim enim subditur, Qui habet substantiam huiusmodi, & videt fratrem suũ necessitatem habere, &c. Et Cantic. 8. Fortis est vt mors dilectio, quia scilicet facit pro amico mori. Et ad Ephes. 5. Viri diligite vxores vestras, sicut Christus dilexit ecclesiã, & semetipsum tradidit pro ea. & infra. Ita viri debẽt diligere vxores suas, sicut corpora sua. Et item, Vnusquisq; vxorẽ suã diligat sicut seipsum. & Arist. 9. Ethi. Omnino decet maximam honestatem esse, mortem etiã oppetere pro amicis: & filium patrem potius, quàm se redimere, & honestius esse, parentibus alimentis opitulari, quàm sibi ipsis: ꝙ si in extrema necessitate licet panem vitæ necessariũ patri relinquere, non est dubium, quin etiam liceat amico dare.

26 Quare * omnino concedo in casu proposito in argumento, ꝙ licet panem alteri cedere cum certa pernicie propriæ vitæ. Sed contra hoc vehementer illud vrget. Sit enim casus. ꝙ sint in extrema necessitate filius cum patre, & alio extraneo, & filius habeat vnicum panẽ. Sic arguitur, Sequitur, ꝙ filius potest dare panẽ extraneo, relicto patre. Consequens autem est cõtra ordinem charitatis. ergo non sufficienter respondetur ad argumẽtũ.

Conse-

Consequentia probatur, quia postquam filius habet ius seruandi sibi soli panem, si potest iuri suo cedere, ergo relinquere extraneo, & nullam iniuriã facit patri, cùm pater nihil iuris habeat in pane illo. Ad hoc nego consequentiam. Quanquam enim filius possit sibi panẽ retinere, & potest cedere iuri suo, non tamen cui vult, sed tenetur ex ordine charitaris subuenire potius patri, quàm extraneo: & eo quòd panis est in potestate filij, pater habet maius ius ad panẽ, quàm extraneus.

Et per hoc patet ad quintum argumentũ. Credo enim quòd in illo casu seruus possit relinquere nauiculam, aut tabulam, certus mortis, & non solum pro rege hoc esset laudabile, sed pro quocunque etiam amico, aut proximo, quod Lactantius libr. 5. de iustitia, cap. 18. disertè commendat. Quid (inquit) iustus faciet, si nactus fuerit aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? non inuitus, confiteor, morietur potius, quàm occidet. At stultitia est, inquiunt, alienæ animæ parcere cum pernicie suæ, nunc etiam pro amicitia perire stultum iudicabitur. Et reliqua, quæ in hunc locum eloquentissimè congerit. Est sine * dubio 27
pro amicis animam ponere stultitia huius mundi, quæ tamen sapientia est apud Deum.

Pro sexto argumẽto dico, * q̃ talis tenetur co 28
medere. & sanẽt. Thom. 2. 2. q. 69. artic. 4. ad. 2. dicit. Quòd si non comederet, se interficeret, quod

proba-

probatur, quia tenetur vti ad conseruandam vitam omnibus medijs à iudice non prohibitis: iudex autem non prohibuit, imo neq; potuit quidem prohibere, ne oblato pane non ederet: non enim damnauit eum vt mortem sibi daret, sed solùm vt pateretur: vt patet, quia comedens non facit contra sententiam iudicis. ergo non est pœna inflicta à iudice, vt ipse se ab esu abstineat. Itaq; si licet ei comedere in casu posito, quod pro confesso video inter omnes constare, omnino videtur quòd tenetur.

Pro septimo argumento similiter dico sicut ad
29 sextum, quòd * talis tenetur fugere, quia non est pars pœnæ inflictæ à iudice, vt maneat in carcere ad minus dico, q̃ idem est iudicium de eo, qui est in carcere, & de eo qui est in sua libertate, & si latro peccat, vltro se offerẽdo iudici & carceri, etiã peccat si libere potest fugere & non fugit.

30 Pro octauo, certè * non video quare id sit negandum licere. etenim sicut sunt alia supplicia decreta contra nocentes, quare non posset id institui vt veneno tollerẽtur, quod si illud suppliciũ potest esse iustum, cùm aliter illa pœna irrogari non potest, nisi vt ille venenum epotet, nihil videtur cur non liceat ei haurire venenum. Sicut licet damnato ad supplicium ascẽdere scalas, & ei qui damnatus est gladio, parare iugulum. neq; enim vnus magis cooperatur morti suæ, quàm alius.

Quòd

Quòd si datur non posse tale supplicium constitui, consequenter dicendum est non esse licitũ venenum sumere damnato à tyranno, sicut neq; se iugulare, aut gladio incũbere: hoc autẽ est probabiliter dictũ. Non tenetur enim sibi aliquis pœnam inferre, sed solùm ferre: vnde nõ videtur posse cõstitui pœna, ad quã necessariũ sit ipsum nocentẽ cooperari. Mihi tamen primũ magis placet quã hoc, neq; valet: ergo posset dãnari vt seipsum iugulet, hoc enim potest fieri per alium quod nõ est de haustu veneni, sed de hoc disputari potest.

Ad nonum patet ex solutione ad quartum & quintum, Vbi * enim amicus meus indigeret auxilio meo, vel obsequio in ægritudine vel consilio meo in conscientia, non dubito quin possem consulere illi, cum quantocunq; periculo meo, ꝙ si nihil essem profuturus, profectò nõ videtur carere temeritate exponere mẽ periculo graui sine vllo fructu: quanquam hoc ipsum scilicet amicitiam, & fidem in amicis seruare magnus fructus est. nec vellem vxorem damnare, quæ etiam cum magno periculo marito peste laboranti assideret etiam si hoc officium nõ esset illo vllo pacto profuturum, sed vt pereunti viro officium & consolationem prestare. 31

Ad decimum & vndecimum est *aduertendũ, ꝙ ad cognoscendum quid in hoc casu liceat, non oportet solùm habere respectũ ad circunstantias 32

pro tẽpore occurrentes, sed magis, quid plurimũ contingat: neq; respectus habendus magis est ad bonũ vel malum priuatum, quàm ad bonum vel malum publicũ & cõmune, nauigatio etiam pro tempore periculoso est vtilis bono communi. Ex cõmunicatione enim nationũ & prouinciarũ respub. magna cõmoda accipit & in pace & in bello. Quare si propter periculum tempestatũ homines deterrerentur à nauigatione, fieret magna iactura publici boni, cùm aut vix, aut nunquã, nauigari sine magno periculo possit, & eodẽ modo de exercitijs militaribus dicendũ: omnino enim est necessariũ reipub. milites habere ad defendẽdum patriã, qui sine militari exercitio inutiles bello essent. Sunt autem quædã exercitia militaria parũ periculosa, vt sunt equestria, & alia multa, quę sufficiunt ad exercẽdos milites, & ideo alijs multùm periculosis vti illicitũ esset: verum si non possent milites exerceri sine etiã magno & graui periculo, non ideo ommittenda essent bellica exercitia. Minus enim malũ temporale tolerandum esset ad euitẽdũ maius, ne scilicet patria perdatur, & tyrãni occupẽt illã, aut in bello victores hostes multo plures cædant, quia nõ sunt exercitati milites.

33 Ad duodecimum argumentum dico, ꝙ * nullo modo licet abbreuiare vitã, sed est cõsiderandũ, ꝙ (sicut in materia de abstinẽtia late dixerui) aliud est vitã minuere, aliud non proferre. Secundò est aduer-

aduertendum, quòd homo, licet teneatur non abrumpere vitam, non tamen tenetur omnia media etiam licita, quærere vt longiorem vitam faciat. Quod manifestè patet, dato enim quòd aliquis certò sciat, quòd in India est salubrior & clementior aura, & quòd ibi diutiùs viueret quàm in patria, non tenetur nauigare in Indiam, imò nec de vna ciuitate ad aliã salubriorem. Nec enim Deus voluit nos tam solicitos esse de longa vita. Similiter dico de alimentis, quòd quædã sunt, quæ non sunt propriè alimenta, quia de se sunt insalubria, & nociua humanæ valetudini, & istis vti esset interficere se, nec solùm intelligo de venenis, sed etiam de alijs insalubribus cibis, vt si quis velit victitare fungis, aut crudis herbis, & acerbis, aut alijs similibus. Alia sunt alimenta, quæ licet non sint ita salubria sicut alia, non tamen sunt contraria vitæ humanæ, vt pisces, oua, lacticinia, & potus aquæ. Item dico, quòd oportet respicere ad id quod communiter accidit. Est autem commune, vt plures in iuuentute reperiãtur ex lautis, quàm ex pœnitẽtib⁹, plures enim interficit gula, quàm gladius. Istis præmissis dico ad argumentum, q⁹ non est licitum vitam breuiorem, reddere alimẽ- 34
tis insalubribus & nociuis. Secundò, quòd non tenetur homo vti alimentis optimis, nõ nociuis, vt piscibus. Neq; enim si medicus cõsuluit, q⁹ si quis bibat vinum, viuet diutiùs decẽ annis, quàm cum

aqua, ideo nõ licebit abstinere à vino: potus enim aquæ non est contrarius vitæ, neq; hoc est vitam minuere, sed non producere, ad quod nõ tenetur quisquam. Hoc dico de sanis & bene habentibus. ægrotantibus enim aliqui sunt insalubres, & nocui, qui sanis sunt salubres. Vnde ęgrotis non esset licitum huiusmodi alimentis vti: sed de hoc in materia de abstinentia latiùs. Et idem est de inedijs, & alijs pœnitentiæ exercitijs iudicium.

Per hoc etiam patet ad decimumtertium. Non
35 enim * tenetur quis, vt dixi, omnia media ponere ad seruandum vitam, sed satis est ponere media ad hoc de se ordinata, & congruentia. Vnde in casu posito credo, ꝙ non tenetur ille dare totum patrimonium pro vita seruanda. & reputatur nõ habere remedium, & alius qui negat remedium, est homicida. Ex quo etiã infertur, ꝙ cùm aliquis sine spe vitæ ægrotat, dato quòd aliquo pharmaco pretioso posset producere vitã aliquot horas, aut etiam dies, non tenetur illud emere, sed satis erit vti remedijs communibus, & illæ reputatur quasi mortuus.

36 Ad decimumquartum dico, ꝙ vita * est maius bonum, quàm bona temporalia, inter quę gloria, honor, & fama reponuntur. Cuncta enim quę habet homo, pro anima sua dabit: omnia siquidẽ illa ordinãtur ad vitam humanam sicut ad finem. Vnde Salomon dicit, Curam habe de bono nomi

ne:

ne: hoc enim permanebit tibi magis, quàm mille thesauri. Non enim comparat bonum nomen ad vitam, sed ad thesauros. & alibi, Melius est nomẽ bonum, quàm diuitiæ multę. & Eccle. 30. Non est census super censum salutis corporis. Dico ergo, quòd non licet ponere vitam pro fama aut gloria Vnde non solùm qui se interficiunt, sed qui sine alio titulo ponunt vitam in magno periculo propter gloriam humanam, grauiter delinquunt. Et Arist. 3. Ethico. ait, Vltimum malorum mors. Pro his omnibus quatuordecim argumentis est considerandum, quòd in eis omnibus non est tractatũ, an aliquis ex intentione, & volens, possit se occidere, sed solùm præter intentionem. vt patet in omnibus illis, & ideo nihil possunt probare contra intentionem cõclusionis propositæ. Vnde solùm concedimus, quòd non possit quis se interficere ex intentione vt se interficiat. Quare siue id, quod in argumentis propositum fuit, sit licitum, siue non, nihil procedunt contra conclusionem, non enim id est se interficere, vt in proposito accipimus, sed solum mors imperata, ex tali actu volo me occidere.

Et ideo grauius argumentum est decimũquintum, Vtrum * Brutus, Cato, Decius, & alij innu- 37
meri, qui se occiderunt, poterant ignorare inculpabiliter talem mortẽ esse illicitã, cùm ipsi omnino crederẽt esse optimã, & honestissimã, & à viris

qui pro sapientibus habiti sunt, laudentur. Respõ detur, Non videtur maius dubiũ, quàm de alijs diuinis præceptis. Multa enim sunt præcepta diuina, quæ apud paganos fuerũt, & hodie sunt ignorata, vt de fornicatione, de vindicatione iniuriæ, in quibus tamen non damus ignorantiam inuincibilem, sed dicimus cum beato Paul. ad Roma. 1. q̃ in pœnam perfidiæ suæ & impietatis tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciãt ea quæ non cõueniunt, repletos, omni iniquitate, malitia fornicatione, homicidijs, &c. & sic q̃ nõ excusantur, sed est sapientia huius mundi, quę est stultitia apud Deum. Quòd autem in lumine naturali cognosci possit, illicitũ esse seipsum interficere, patet, quia philosophi studiosi virtutis, id docuerũt, vt patet ex Arist. 3. Ethi. dicente, q̃ est non magnanimi mortẽ sibi consciscere, sed pusillanimi, & nõ potentis ferre vitæ labores. & Cicero, mortem (inquit) cur mihi consciscerem, cùm causam nullam habeam? cur optarẽ multas? quã quam hoc ipsum sapienter, sapientis enim est neque optare mortem, neque timere.

Ad vltimum de Samsone, Rasia, Saule, &c. non similiter de omnibus dicẽdũ videtur. Samsonem enim necessarium est excusare, quem Paulus retulit inter iustos. Vnde August. dicit Samsonem hac ratione excusari, quia spiritu Dei motus fecit, nec hoc est diuinare, sed habetur expressè ex historia

Iu-

Iudicum, vbi dicitur orasse Dominum, vt redderet ei pristinã fortitudinẽ, vt vlcisceretur se de inimicis suis: quãuis posset & alia solutio dari. Non enim interfecit se ex intentione, sed voluit hostes opprimere, & interficere, ad qđ secuta est mors ipsius. ipse enim bene optasset alios perdere se saluo, si fieri potuisset: hoc autẽ sine noua reuelatione videtur licitũ. Quis enim dubitat, quin aliquis in prelio, vel defendẽdo ciuitatẽ, posset certus de morte facinus aggredi, quod sit quidẽ patriæ saluti, hostibus autẽ magnum detrimẽtũ futurum? vt de Eleazaro legitur. 1. Macha. 6. qui ingressus sub ventrẽ elephãtis, cui regem Antiochum insidere credebat, elephãtem quidem gladio cõfodit, ipse verò bestiæ ruina oppressus, præclaram mortẽ inuenit, quia se libẽter (vt dicit scriptura) pro populo suo posuit. quod factum adeò nõ vituperatur, vt Ambro. lib. de officijs. c. de fortitudine, Eleazarum mirificis efferat laudibus. Atque ita videtur posse excũsari Sãson sine recursu ad instinctũ cælestẽ. Eodẽ enim modo Eleazarus se interfecit, sicut Sãson. De Saule verò non est idẽ iudiciũ: cùm enim dimissus esset, imò repulsus à gratia Dei nõ est necesse quærere excusationes. Sabellicus scribit Saulẽ nõ se interfecisse, sed cogitasse quidẽ de morte sibi cõscisc̃da: verùm qa visum est impiũ vitã violẽter abrũpere, ab Amalecita quodã ignorante quis esset, interfectum. Sed est turpis lapsus

Christiani historici, cum primi Regum vltimo legatur Saulem incubuisse super gladium suum, & sic vitam finijsse. Razias verò probabilius posset excusari, quamuis S. Tho. secũda secundæ. q. 64. art. 5. non excuset illum. super qua re est contentio inter Nicolaum & Burgensem, quos videre poteritis ad longum. Et ista quantum ad præsentem relectionem sufficiant.

REVERENDI Patris Fratris Francisci à Victoria Relectio de Simonia.

Locus relegendus est Matth. 10.

Gratis accepistis, gratis date.

SVMMA.

1 *An licitum sit dare aliquid temporale pro spirituali*
2 *Simoniæ definitio. Et vnde sit dicta simonia.*
3 *Simoniæ obiectum circa quod versatur.*
4 *Spirituale quid dicatur in materia simoniaca.*
5 *Simonia, non committitur nec circa scientiam, aut doctrinam, nec circa aliud spirituale à spiritu creato.*

6 *Spirituale: in hoc proposito vocatur donum spiritus sancti.*

7 *In Simoniæ definitione, quid per emptionem & venditionem intelligitur.*

8 *Emptio, & venditio rerum spiritualiũ non solùm est simoniaca, sed omnino dispensatio, & permutatio nõ gratuita.*

9 *Quod Simonia sit illicita.*

10 *Simonia: diuino iure prohibita est.*

11 *Simonia, iure naturali prohibita est.*

12 *Simonia omnis an sit iure diuino prohibita, & an aliqua sit solùm iure positiuo.*

13 *Contractus aliquis, qui nunc non est simoniacus, an sit vel possit iure positiuo fieri simoniacus.*

14 *Spiritualia, sunt aliqua iure positiuo, Et quæ sint.*

15 *Emptio, aut venditio eorum, quæ iure positiuo sunt spiritualia iure diuino prohibita est.*

16 *Simonia aliqua: omnino præcisè de iure positiuo est.*

17 *Simonia an sit aliqua circa ea quæ sunt vere spiritualia, & secundum se & de iure positiuo. Et quomodo contractus aliquis, vel permutatio spiritualis secundũ se de iure positiuo sit simonia.*

18 *Simoniæ peccatum: in lege scripta & potuit esse, & fuit.*

19 *Simoniæ peccatũ in lege naturæ potuit esse, aut fuit.*

20 *Simoniæ crimen: an inter paganos, & idololatras esse potuerit.*

21 *Emptio, aut venditio, non solum ex intentione apud*

idololatras fuit crimen simoniæ verum, sed etiam ex obiecto.

22 Simoniacus an sit is, qui timore, consanguinitate, precibus, & fauore, aut obsequio administrat spiritualia.

23 Simoniacum non est conferre spirituale sine respectu ad cõmodum, vel incommodum, timore indignationis.

24 Spirituale dare ex timore alicui digno, videtur non esse malum.

25 Spirituale dare digno ex timore mali temporalis, vt vitæ, aut exilii, aut carceris, dũmodo hoc non redundet in aliquod cõmodum tẽporale, vel sit ex pacto, aut aliquo modo per modum prætii: non videtur esse malum.

26 Collatio spiritualis rationa consanguinitatis an sit simonia.

27 Conferre beneficium intuitu consanguinitatis, non est simoniacum.

28 Beneficium si quis conferat consanguineo, aliàs idoneo, quantumcunque motus à consanguinitate: non peccat mortaliter.

29 Pontifices parati ad dandum beneficia consanguineis sine delectu peccant mortaliter,

30 Beneficia conferre propter præces principaliter, an sit simonia.

31 Conferre spiritualia ad captandum quodcunque commodum non spirituale: siue digno, siue indigno illicitum est.

32 Conferre spiritualia ad captandum quodcunque commodum non spirituale, an sit mortale, si alias collatio

fiat

fiat digno.

33 *Conferre spiritualia ad captandum quodcunque commodum non spirituale si fiat digno, non putat autor esse propriè simoniam.*

34 *Simonia: quomodo esset, si fauor, vel preces, vel laus resoluerentur tanquam pretium in aliquod temporale.*

35 *Simonia, quomodo fortè esset, si preces, fauor, vel laus, & amicitia deducerentur in pactum.*

36 *Simoniacum est, conferre officium ecclesiasticum pro obsequio, quum tale obsequium est pecunia æstimabile, ita quòd tandem resoluitur in commodum temporale. Et quid si non adsit pactum expressum, vel tacitum.*

37 *Præstare obsequium pontificì, vt illa ratione posset quis consequi beneficium, an, & quando esset simoniacum.*

38 *An possit summus Pontifex esse simoniacus.*

39 *Papa, in simonia, quæ est iuris diuini, æquè, vel grauius possit esse simoniacus, sicut alius homo.*

40 *Vtrum sit simoniacum sperare beneficium spirituale ex officio temporali.*

41 *Spiritualia promittere, an sit simonia.*

42 *An omnis simonia in ecclesiastico beneficio sit de iure positiuo tantum.*

43 *Vendere Canonicatum simplicem non minus est simonia, quàm vendere beneficium cum cura animarum.*

44 *Papa: non possit vendere sine vitio simoniæ ex quacunque causa quodcunque beneficium eccl esiasticum.*

An

45 An præbendæ omnes militares: quas commendas vocant, authoritate Papæ possint vendi pro temporali sine vitio simoniæ.

46 Commendæ, pro beneficio commutari non possunt, etiã ex authoritate Papæ.

47 Simonia an contingat circa pensiones.

48 Pensio, quæ assignatur alicui super beneficium alterius ratione alicuius ministerii spiritualis, licita est, & honesta.

49 Beneficium habens, cui per aliquod tempus ministrauit, licitè possit authoritate Papæ cedere beneficio, retenta certa pensione super beneficium, & sine quocũque onerali officio spirituali.

50 Papa, non possit dare alicui pensionẽ aliquam super beneficio ecclesiastico, qui nullum ministerium neque temporale, neque spirituale conferat in ecclesia, vel alio pio titulo.

51 Quod Papa det clerico pensionem aliquam in alieno beneficio solùm, quia sit clericus, non videtur irrationabile.

52 Si Papa alicui iusto vel iniusto titulo concedat pensionem sine obligatione ad aliquod ministerium spirituale, neque ratione alicuius tituli spiritualis, talis pensio merè temporalis est. Et quomodo vendere talẽ pensionem aut redimere pretio quolibet tẽporali non sit simoniacum.

53 Si quis contulit beneficium, aut permutauit pro pensione, etiam authoritate apostolica: an talis pensio possit

sit vendi: aut pecunia redimi

54 *Pensio quæcunque: quam Papa imponit, vel ex officio suo: vel ad alterius supplicationem, modò non sit causa permutationis, & sine obligatione ad aliquod officiũ vel ministerium spirituale: possit vendi & sine simonia redimi. Et an talis pensionarius teneatur ad officium canonicum.*

SVper hunc locum ponitur quæstio in præsenti differenda, An licitum sit dare aliquid temporale pro spirituali. Pro parte affirmatiua arguitur, Licet recipere pecuniam pro administratione sacramentorum, & illa sunt maxime spiritualia. ergo licitum est pro spirituali tẽporale recipere. Antecedens patet ex consuetudine per totam ecclesiam approbata de recipiendo aliquid pro sacramẽto missæ, pro administratione sacramentorum, pro prædicatione, & similibus: ergo. Confirmatur, quia prophetæ receperunt pecunias pro actu prophetandi, & tamen actus prophetandi ponitur inter spiritualia, & inter dona Dei: ergo. Maior patet, quia vt dicitur. 1. Reg. 9. Saül dedit pecuniam Samueli, vt indicaret ei asinas patris sui. vbi sic habetur, quòd puer respondit Sauli, Ecce inuenta est in manu mea. 4. pars stateris argenti, demus homini Dei, vt indicet nobis viam nostram. Idem patet. 3. Reg. 14.

de

de vxore Hieroboan, quæ attulit munera ad Abiam prophetam, vt indicaret ei quid futurum esset de filio ægrotanti. Et. 4. Regum. 8. legitur, q̃ Elisæus venit Damascum, & Benadab rex Syriæ ægrotabat. anuntiaueruntq̃ue ei dicentes, Venit vir dei huc, & ait rex ad Azael, Tolle tecum munera, & vade in occursum viri Dei, & consule per eum dominum, dicens, Si euadere potero de infirmitate mea hac? Fuit igitur Azael habens secum munera, & omnia bona Damasci onera. 40. camelorum. Et quamuis non legamus, quòd Elisæus ea acceperit, non tamen legimus quòd reprehendit, nec scriptura reprehendit.

Secundò, Licet recipere pecuniam pro sepultura, pro dote sacelli, etiã cum pacto. Ergo Confirmatur, quia Abrahã emit sepulturam, & habetur Gene. 22. Iacob etiam emit ius primogenituræ cui eodem tempore videtur fuisse annexum sacerdotium Gene. 25.

Tertiò, Licet præstare obsequium cardinalibus & episcopis, solùm ea ratione & spe, vt obtineantur beneficia. ergo.

Quarto, Licet emere, aut vendere calices, & ornamenta. 10. q. 2. c. circa. ergo.

Quintò, Licet dare pecuniam pro ingressu religionis, vt patet de monasteriis virginum, nec satis est dicere quòd recipiunt ad sustentationem, quia cõstat q̃ sæpe recipiunt plus quàm opus si

ad

ad sustentationē virginis monasteria aliàs opulē ta,& hoc cum pacto,alias nō recipiūt huiusmodi virgines aut puellæ.

Sextò,Licet sperare spirituale pro temporali, vt patet de famulis episcoporum,ergo.

Septimò,In matrimonio interuenit pecunia, & cū pacto, & est verum sacramētum.ergo licet etiam dare pro aliis. Proposui tot argumenta, quia ex solutione istorum dependet magna ex parte solutio & explicatio materiæ de simonia.

In contrarium sufficit locus propositus Matthæi.10. Quatuor partes habebit relectio. Prima de peccato simonię. secunda de pœna simoniæ. tertia de restitutione acquisitorum per simoniā. quarta respondebit ad argumenta proposita.

Pro solutione quæstionis notandū, ꝙ simonia à doctoribus sic definitur. Simonia* est studiosa 2 volūtas emēdi aut vēdendi aliquid spirituale, vel spirituali annexū. Hæc diffinitio ponitur à San. Tho.& prius ab Altisiodorensi lib.3. tractatu.21. & ponitur ab Hostiensi & communiter à doctoribus in iure canonico, & sumitur secundum omnes ex c.quicunque studet.1.q.2.vt ait frater Martinus in Margarita decreti.Panor.in c.nemo.de simonia addit in diffinitione,opere subsequuto.Et etiam Hostiens.& dicit Panor.notari in definitione in c.insinuasti.1.q.1.Sed tamen vide Armacha. lib.10.c.12.expresse probantem non opus esse illa

par-

particula. Et probat ex facto Simonis, Actorum tertio: & ita dicit, ꝙ simonia dicta à facto Simonis, est velle communicare gratiã & potestatẽ petitam, siue pro ea habenda offerre pecuniam.

Pro cuius declaratione dubitatur, quid in definitione dicatur spirituale. hoc enim ante omnia operæpretium est vt cognoscamus: quid est obiectum simoniæ. Et vt aliqua certa ratione & velut quibusdam numeris procedamus distinctiùs, sit

3 prima conclusio,

Obiectum* circa quod versatur simonia, est res spiritualis. In qua conclusione omnes conueniunt. Et probatur, Actorum. 8. dicit Petrus, Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri. sed donũ dei vocatur aliquid spirituale, & ab eo conatu Simonis vocatur simonia. ergo simonia est circa aliquid spirituale. vide de hac authoritate Armacha. lib. 10. c. 12. Voluit enim Simon emere potestatem, seu facultatem, vt cuicunque manus imponeret, acciperet Spiritum sanctũ. Præterea ratione probatur, Quia nihil est temporale, quod non videatur posse cadere licitè sub pretio, sed in hoc consistit simonia, quòd aliquid prætio æstimatur, quod non licet æstimare. ergo obiectum

4 simoniæ non potest esse aliquid temporale. Sed hoc ipsum reuocatur in dubium, quid* in proposito dicatur spirituale. Cum enim spirituale multi-

fa

fariè dicatur, non sine causa disputatur cuiusmodi spirituale sit materia, vel obiectum simoniæ. Pro quo est considerandum, quòd vt dicit S. Th. in. 1. senten. d. 10. artic. 4. spiritus priùs dicitur de corporeis rebus, quàm de incorporeis. Dicitur enim spiritus ab spirando, quod est halitum emittere, atque adeò spiritus id videtur ex primaria significatione, quod halitus: quod adeò verũ est, vt grammatici nostræ ætatis non probent, aut recipiant vt vel Deus, vel angeli, vel omnino aliquid incorporeum, dicantur Latinè spiritus, aut spiritualia quo nomine etiã Baptistæ mantuano Itali negotiũ facessiuerunt, quod in suis poematibus in illa significatione frequenter vsurpauerat. Sed defenditur à viro eruditissimo Ptolomæo fratre. Et certè præterquam q̃ ita illa voce vsi sint vetustissimi Christianorum non minus eruditione quàm religione insignes, cuiusmodi fuerunt Cyprianus, Lactãtius, Hieronymus, Ambrosius, Prudentius, Sedulius, & ante eos Tertullianus, à quibus (bona vel mala venia istorũ dixerim) omnes grammatici nostri latinitatem discere potuerũt: sed præter hoc inquam libenter ab illis quærerẽ, qua ratione, aut quibus verbis illi nouum testamentum, aut totũ etiam vetus ex Septuaginta interpretib⁹ traducere possent vbi pneuma & pneumatica pro incorporalibus vsurpãtur, vt nunquã aliis vocabulis signentur. Dubitandum autem nõ

est, quin ipse Cicero si ex Græco traduceret, non aliter quàm spiritus, aut spiritualia verteret. Vnde cum S Tho. est notandum. 1.p.q.36.arti.1.& in 1.senten. vbi suprà, quòd licet ita sit, q̃ nomen spiritus primaria impositione impositum fuerit ad significandum aliquid inorporeum, tamen quia spiritus subtile quoddam & inuisibile est, factum est, vt illud nomen deriuatum esset ad omnia subtilia, & inuisibilia, vt sunt deus, angelus, & anima, & omnia quæ in eis sunt. Quare cùm tã latè pateat nomẽ spiritus & spirituale in materia & proposito de simonia, doctores distinguunt, q̃ spirituale vel dicitur à spiritu creato vel increato. non enim dicitur spirituale propter ordinem ad Spiritum sanctũ. Gratia verò spiritualis est spirituale à spiritu increato. Burida. 2. de anima. q. 22. dicit, q̃ hoc nomẽ spiritus priùs fuit impositum ad significandũ res inuisibiles, sicut Deũ & angelos, & postea trãslatũ est ad significandũ corpora subtilia. Est ergo opinio aliquorum, quòd in definitione simoniæ nõ solùm capiatur spirituale à spiritu creato, sed etiam à spiritu increato. Vnde dicunt quòd emere, aut vendere scientiam naturalem, simoniacum est, cuius sententiæ fuit Altisiodorens. libr. 3. tract. 21. & sequitur eum Sylvest. verbo simonia. §. 10. vnde dicunt, quòd vendere veritatẽ non solũ in scientia theologica, sed etiam in aliis sciẽtiis, est simoniacum, Idem habet Alexan.

Al.

Al.2.p.q.135.membro tertio: & eadē videtur sententia glossæ in c.non licet.11.q.3.vbi dicit,q̄ si advocatus potest ferre patrocinium causæ iustæ sine labore reuoluendi libros, quòd tenetur gratis dare consilium.Et posset suaderi opinio,quia nulla scientia est æstimabilis prętio.Prouer.17.Quid prodest stulto habere diuitias,cùm sapientiam emere non possit? & Prouerb.23. Noli sapientiam vendere,& doctrinam,& intelligentiam.

Sēd contra istam opinionem sit secunda conclusio,Simonia* nō committitur nec circa scientiam,aut doctrinam, nec circa aliud spirituale à spiritu creato.Huius opinionis fuit Duran.4.di.25.q.3. quòd absolutè docere, consulere pro prętio,non est simonia.Idem habet Ricard.4.d.25.& Palud.ibidem quæst.5.Adrian.quolib.9.articu.1. idem videtur tenere Armacha.libr.10. cap.2. nullam enim videtur facere mentionem de spirituali alio,nisi pro dono Dei.& capi. 9. ponit tres rationes.quare dona dei,qui gratis acceperunt, gratis debeant impendere. Verum est, quòd S.Tho. in.4.d.25.q.3.articu.2.q.2.ad.8.dicit, quòd magistris artium licet vendere labores suos, sed non scientiam,siue veritatem,quæ spiritualis est. Vnde dicitur Prouerb.23. Noli vendere sciētiam.Sed in2.2.q.100.nullam fecit mētionem de hoc. Et sic non dubito illum reliquisse opinionem illā antiquorū. Atque adeò pro certo habeo nec simoniā

nec aliud peccatum cõmitti, si quis quomodocũ que componat de pretio doctrinæ, aut scientiæ. Imò S. Tho. 2. 2. q. 100. ar. 3. ad tertium videtur idẽ dicere, quod in quartò loco citato. sunt verba eius, Ille autem qui habet scientiam, & nõ susci pit cũ hoc officium ex quo obligetur, alii vsum scien tiæ licitè impendere potest, & prætium suæ doctrinæ, vel consilii accipere, non quasi veritatem aut scientiam vendens, sed quasi operas suas locans. Idem videtur expressè dicere quolibeto. 8. q. 6. ar. 5. & Adria. vbi supra. sed nihilominus probatur conclusio, Quia in scriptura nunquam prohibetur emptio, aut vẽditio rei, eo quòd spiritualis sit, sed quia donum Dei, vt patet Actorum. 8. & Matthæ. 10. dicitur. Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum, infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite, gratis accepistis, gratis date. Præterea quia si eodem modo esset prohibitum vendere hęc spiritualia sicut alia, non solùm veritatem ipsam, sed nec laborem annexum, nec effectum doctrinæ liceret vendere sicut nec licet sacerdoti vendere laborem circa sacramentum, nec effectũ sacramenti, & tamen licet medico vendere laborem docendi, & effectũ artis, scilicet curationem infirmi. Præterea, quia si non liceret vendere, ergo nec emere. vtrumq; enim est æqualiter illicitum, & tamen Prouer. 23. dici-

dicitur, Veriratem eme. Verum est etiam q̃ Turre cremata in c. qui studiũ. 1. q. 1. tenet, q̃ scientiã vendere, est simonia. Et citat Hugonem, imò sanitatem vendere. Sed Caiet. in summa titulo de simonia. in principio. expressè tenet, quòd non dicitur res spiritualis, nisi â spiritu sancto: licet infrà regula sexta videatur dicere, quòd non licet vendere veritatem scientiarum. Et idem habet. 22. q. 100. ar. 3. ad secũdum dubium. sed contra istos omnes sunt rationes factæ.

Dubium tamen peculiare est de scientia theologica, An liceat vendere doctrinam theologicã secundum se. Et quidem Hostien. in cap. quia nõ nullis, de magistris dicit, quòd theologus habens præbendam, si aliquid exigat, est simoniacus, & Palud. vbi supra concedens de aliis scientiis, de Theologica dicit, quòd videtur quòd accipere aliquid pro theologia, sit simonia. Quod sequitur Sylvest. vbi supra. Concurrentibus tamen duobus, primò quòd legatur ex officio magisterii, secundo, quòd incidat pactum vel exactio. sed idẽ puto dicendum quod de aliis scientiis, si intentio solùm feratur ad tradendum doctrinam, & non per modum consilii spiritualis, qui non est donũ Dei plusquã philosophica disciplina, Et Duran. & Adria. indistinctè loquitur de scientia. Præterea, quia cùm temporale est annexum spirituali, non potest vendi temporale ratione spiritualis,

sed solũ ratione sui, vt patet. Atqui in ecclesia labor doctrinę nil valet, nisi ratione doctrinę. ergo.

Tertia cõclusio, Spirituale* in ppositio est, q vocatur donũ spiritus sancti, quia Actorũ. 8. de hoc cõdemnatur Simõ, quia voluit emere signũ spiritus sancti: & Matt. 10. præcipitur apostolis gratis dare, quia gratis acceperunt.

Vnde sequitur primũ corol. Oĩa quæ apostol' numerat. 1. ad Cor. 12. & ad Ephe. 4. sunt spiritualia isto modo. Diuisiones (inquit gratiarũ sũt, idẽ autẽ spiritus, diuisiones ministrationũ sunt. & infrà, Vnicuiq; autẽ datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, alii quidem sermo sapiẽtiæ, alii sermo scientiæ, alteri fides, alii gratia sanitatũ, alii operatio virtutũ, alii prophetia, alii discretio spirituum alii genera linguarũ, alii interpretatio sermonũ. Et ad Ephes. 4. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Et ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, quosdam verò euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad cõsummationem sanctorum, in opus ministerii. Omnia enim hæc sunt gratia & dona Spiritus sancti.

Secundũ corol. Omnia quæ spectãt ad salutem animæ dicuntur spiritualia in proposito. patet. quia oĩa quæ spectãt ad salutem animæ spiritualẽ, sunt dona dei, vel spectãt atq; ordinãtur ad dona, vel procedunt ex ipsis. Confirmatur cõclusio

cum

cũ corollariis, Vbicũq; in scriptura reprehẽditur emptio aut vẽditio alicuius, semper est de aliquo spirituali, hoc modo. vt patet de Balaã, de quo habetur nu. 22. & Deu. 23. q̃ cõdemnatur à beato Petro. 1. Petri. 2. ide, qa mercede cõductus, voluit maledicere filiis Israël. & de Giezi. 4. Reg. & de Hieroboã legitur. 3. Re. 13. p̃ cõstituebat sacerdotes pecunia & pretio. In omnibus aũt illis erat aliqd spirituale, vt gratia sanitatis, spiritus ꝓpheticus, authoritas sacerdotii, quæ oĩa sunt spiritualia hoc modo. ergo ita capiendũ est spirituale in materia simoniæ. Et confirmatur, quia ꝓhibitio simoniæ sumpta est ex scriptura. sed nec scięntia, nec aliqđ aliud bonũ acquisitũ in scriptura vocatur donũ dei, nec spirituale: imò nec sancti antiquiores vnquã dicerẽt geometriã esse bonũ spirituale. ergo nulla ratione simonia cõsistit circa illã. Cõfirmatur secũdo, Nã si quis daret beneficiũ ꝓ scięntia geometriæ aut medicinæ, esset simoniacus. ergo scięntia nõ est spirituale, sed tẽporale bonũ. Et ꝓfectò si geometria est spiritualis, non licet eam vendere, ergo nec artes mechanicæ, scilicet sartoriæ, sutoriæ possunt vendi. His accedit q̃. S. Tho. 2. 2. q. 71. ar. 4. dicit, quòd aduocatus in causa iusta potest vẽdere auxiliũ, & patrocinium, & consilium.

Secũdum dubiũ ꝓ declaratione definitionis est Quid* ꝓ emptionẽ & vẽditionẽ intelligatur in definitiõe simonię, vtrũ scilicet itelligatur solꝫ cõtra

ctus, vbi interuenit aliquid temporale, vel absolu
tè prohibeatur omnis contractus nõ gratuitus. Et
quidem videtur primum, quia Act. 8. vbi primò
videtur damnatum hoc crimẽ in nouo testamẽto
solũ prohibetur pactũ temporale. & Matt. 10. sa-
tis ostẽdit dominus idẽ, phiberi. statim enim sub-
iũgit, Nolite possidere aurũ, neq; argentum. Et
in veteri testamẽto vt patet in locis vbi sepra, nõ
damnatur nisi temporalis merces pro beneficio
spirituali, vt de Giezi patet, & Balaam, & Hiero-
boam. Sed hoc non ostante est conclusio.

8 Non* solùm emptio & vẽditio rerum spiritua
lium, sed omnino dispensatio, & permutatio nõ
gratuita, est simoniaca. Hæc conclusio est S. Tho.
quæst. 100. artic. 1. ad. 5. & Adria. quotlibe. 9. artic.
2. & Ricard. in. 4. distin. 25. & Palud. distin. 5. & Syl
uest. verbo permutatio. §. 4. & fuit antiquissima.
vnde etiam Cantor Parisiensis doctor antiquus
definit simoniam, quòd est spiritualium acceptio
vel collatio non gratuita. Et Ricard. specialiter
dicit, quòd non licet duobus adultis paciſci inter
se, vt inuicem baptizentur. Probatur conclusio
ex cap. quæsitum de rerum permutatione: vbi di
citur quòd continetur, quòd permutationes præbenda
rum cõtinent ex pactiõne partiũ labem simoniæ.
Et c. cùm olim. Innocẽtus. 3. reprobauit Archidia
conum & Præpositum ex eo, quòd inter se com-
mutassent. & ratio est, quia talis permutatio non

gra-

gratis fit, & per cõsequens prohibetur Matth. 10. Præterea illud est vitiosum, & non videtur aliud peccatũ, quàm simoniæ. ergo est simonia. Maior patebit inferiùs latiùs. Sed in præsentia probatur quia spiritualia dantur propter vtilitatem cõmunem, vt Apostolus ait. 1. ad Corint. 12. & ad Ephe. 4. Ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi. Sed si liceret huiusmodi commutationes facere potestates spirituales non distribuerentur pro vtilitate communi, sed in fauorem priuatorum hominum ergo illud est illicitum. de quo tamen vberius paulo pòst differemus.

Sequitur in definitione, Vel annexium spirituali. De hoc, vt nil sit extra controuersiam, sunt etiam variæ opiniones. Nam quidam intelligũt per spirituale, quod ex natura rei est spirituale, vt sacramenta, & eorum effectus. per annexum autem spirituali illud quod per accidens, id est de iure positiuo, habet aliquid spiritualitatis. Sed communior expositio doctorum est, vt per annexum spirituale intelligantur illa quæ ad spiritualia ordinantur, vt vasa, & ornamenta sacra. Ita exponit S. Tho. 2. 2. quæstio. 100. art. 4.

Restat in definitione illa particula, studiosa voluntas, in qua illud solùm dubitari potest, cur potius simonia diffiniatur per actum voluntatis, q̃ homicidium, aut alia vitia, cùm æquè ex sola elec-

ctione volũtatis sint aliqui rei homicidij aut adulterij secundum illud, Qui odit fratrem suum, homicida est. aut, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est, &c. Ad hoc dico, quòd occasio huius fuit, quòd Simon magus conatus quidem fuerit donum dei pecunia possidere, sed opere non perfecerit. ideo in definitione simoniæ ponitur, Non opus ipsum, sed voluntas, vel studium. hæc spectant ad qualemcunq; diffinitionis intelligentiam. Nunc redeundo ad quæstionem principalem, Vtrum simonia sit licita, sit prima, conclusio.

10 Simonia * est illicita. Hæc est nota ex euangelio, & ex sententia omnium Sanctorum & doctorum: sed quo iure, sit secunda conclusio.

11 Simonia * est prohibita iure diuino. hæc etiam est nota, tum ex veteri, tum ex nouo testamento, vt patet ex locis superiùs allegatis Matth. 10. Act. 8. 1. Petri. 2. Dãnatur Balaam. Errauerunt, inquit, secuti viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit. Et de eodẽ Iudas in epistola. Væ illis, qui in via Cain abierunt, & in errore Balaam mercede effusi sunt. & Iohan. 2. Cum feciſſet dominus quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoq;, & boues, & mensas nũmulariorũ subuertit, & his qui vendebant colũbas, dixit, Auferte ista hinc, & nolite facere domũ patris mei domũ negotiationis. simoniaci autem isti videntur

dẽtur esse pernicioſiſsimi negotiatores in domo Dei. Imò quibuſdam non ſine cauſa Iudæ videntur esse non diſsimiles: ille enim redemptorem Chriſtum vendidit, iſti dona illius.

Tertia concluſio, Simonia * eſt prohibita iure naturali. Probatur, quia lex noua nulla præcepta negatiua continet præter præcepta legis naturæ, vt S. Tho. videtur ſentire, tum alibi, tum. 12. q. 108. artic. 1. & 2. nec etiam prẽcepit affirmatiuum niſi de ſacramentis, & de fide. ideo vocatur lex libertatis Iacob. 1. ergo prohibitio ſimonię non eſt ſuper addita in nouo teſtamẽto, de iure naturali. Et mirum eſſet, q̃ hoc ſolum nouum mandatũ inueniretur in nouo teſtamento, nec Balaam itẽ peccaſſet hoc peccatum, qui ſolum lege naturali tenebatur. Præterea ſi hoc fuiſſet nouum prẽceptũ, merito Simon magus excuſari potuit, ſcilicet per ignorãtiam. Præterea rationes, quæ fiunt à doctoribus de Simonia, procedunt iure naturali. Quarum prima eſt, quia ſpirituale non poteſt cõpenſari aliquo temporali. vnde de ſapientia dicitur Prouerb. 3. quòd pretioſior eſt cunctis opibus. Et idem iudicium eſt de quocunq; dono diuino. Secunda, Quia homo non eſt dominus bonorũ ſpiritualium ſecundùm illud. 1. ad Corint. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorũ Dei. Tertia, quia quæ gratis accepta ſunt, ſicut & alia, quæ ſola benignitate mortalibus

12

talibus sunt collata, debent gratis communicari, vt aqua, sol, & alia quæ sine operibus nostris constant. Quarta, quia data sunt à solo Deo. Nam videtur iure gentium, q̃ pisces maris, & feræ omnibus sint communes. Præterea si omnia dona Dei data sunt ad vtilitatem communem, vt patet. 1. ad Corinth. 12. & ad Ephes. 4. ergo iniuriam facit, qui in priuatam commoditatem vult ea vendicare. Præterea à posteriori, quia si permitteretur huiusmodi emptio, & venditio, esset calamitas, & perditio rerum ecclesiasticarum, quarum dominatores, gubernatores, & administratores non essent meliores, sed ditiores, & auidiores. Omnes, in quâ hæ rationes procedũt stando in iure naturali. Ista est conclusio communis omnium doctorum, S. Tho. 22. quæstio. 100. art. 2. & Armacha. lib. 10. c. 9. & Adria. quotlib. 9.

12 Sed maius dubiũ est, Vtrum * simonia omnis sit prohibita iure diuino, an aliqua sit solùm iure positiuo. Durand. quidem in. 4. dist. 25. q. 5. negat esse aliquam simoniam solùm de iure positiuo. Et probat aliquot rationibus: sed duæ sunt potissimę. prima, Si aliquid est malum solùm quia prohibitum iure positiuo, nõ est in alia specie nisi solùm in obedientiæ. si ergo esset aliqua emptio, & venditio illicita, solùm, quia ecclesia prohibuit, nõ esset vitium simoniæ, sed solùm peccatum inobedientiæ. Et potest confirmari, Ecclesia prohi-

bet

bet vendi bona temporalia ecclesiarum,& mona steriorum, & tamen talis venditio etiam contra ius,non est simonia.Et hoc videtur dicere S.Tho. 2.2.q.10.arti.2.ad secundum.Secunda ratio, Nam simonia non potest esse nisi de spirituali re. sed non est ex institutione ecclesiæ, sed suapte natura ꝙ aliquid sit spirituale, nec ne, ergo nulla simonia est solùm de iure positiuo.

In contrarium est communis sententia doctorum,qui ponunt distinctionem,ꝙ aliqua sunt simoniaca de iure diuino, & aliqua de iure positiuo.Hæc est distinctio glossę in c. ex parte de officio delegati.quam sequitur Ioan.And.& Hostiē: idem dicit Antonius de Butri.& Ioan.de Imol.c. 1. de simonia. eandem ponit Archid. & Adria. & Syluest.§.2.&.4.& Caieta. opus.de simonia.& in summa.& videtur excepta ex cap.Saluator.1.q.3. vbi Vrbanus papa determinat simoniā esse emere, aut vēdere quamlibet rerum ecclesiasticarum, inter quas, aliquas numerat, quæ profectò nihil spirituale videtur habere,vt est præpositura, œconomia, castaldatus, & aliqua huiusmodi. Palud. distin.25.q.4. respondet quidem ad rationes Durand. sed putat opinionem eius esse probabiliorem, & tutiorem: ego credo quòd distinctio iuristarum in hac materia est bona.& necessaria.Quare notādum,ꝙ quæstio proposita, Vtrum omnis simonia sit de iure diuino,potest dupliciter intelligi.

ligi. Vno modo in sensu composito. Vtrum sit in potestate Ecclesiæ, quòd aliquis contractus sit simoniacus, & tamen non sit illicitus, & quantum ad hoc sit prima conclusio.

13 Nulla * simonia isto modo est prohibita solùm iure positiuo. Hæc patet clarè, Quia non dicitur simonia, nisi sit indebita emptio aut venditio rei ecclesiasticæ, & si est legitima non est simonia, nec hæc quæstio habet locum in isto sensu, sed solùm in sensu diuiso. hoc est, an aliquis contractus qui nunc non est simoniacus, sit simoniacus, vel possit fieri per ius positiuum. Et de hoc sit secunda conclusio.

14 Aliqua * sunt spiritualia, & solùm iure positiuo. Probatur, Sunt enim in ecclesia, Vasa sacra, & vestes sacræ, in quarum emptione non committeretur simonia, nisi haberent aliquid spiritualitatis, ex hoc, q̃ ordinantur, & dicãtur ad sacra, quæ solùm habent ex institutione ecclesiæ. & ecclesia posset facere, vt ista non essent dicata illi ministerio, nec essent vasa ad illum vsum. Prẽterea illa habent id ex dono Dei, & calix, & ara habent deuotionem, sicut templum.

15 Tertia conclusio. Emptio * aut venditio istorũ est prohibita iure diuino. Hęc conclusio est cõtra doctores, ponẽtes illam distinctionẽ, qui illam simoniã prohibitam solùm ponũt iure positiuo, vt vendere calices, & ornamẽta. Sed probatur cõclu

sio,

ſio, quia miniſteriũ, & officiũ illorũ eſt verè ſpirituale. ergo ſi ratione illius vendũtur, aut emũtur, eſt ſimonia, ſicut benedictio aquę eſt ſolũ de iure poſitiuo, & tamẽ eſt vere ſpiritualis, & ſi ratione illius emeretur, eſſet vera ſimonia prohibita iure diuino, ſicut ſiquis emeret ipſum ſacramẽtũ. & ita ponit Maior & Sylueſt. & Ant. de But. & alij, qui vocãt ſimoniã ſolùm iuris diuini, quãdo eſt ſpirituale ex natura ſua. Cõfirmatur clarè, quia etiam ſubdiaconatus, & fortaſſe diaconatus ſunt in eccleſia ſolùm de iure poſitiuo, & tñ dõ eſt dubitandũ, quin cõſecratio illius miniſterij empta, aut vẽdita, ſit ſimoniãca de iure diuino, & ita eſt ſpũalis conſecratio ipſa calicis, ſicut cõſecratio diaconi.

Vnde infero corollarium, quòd non minus eſt ſimoniacum de iure diuino recipere aliquid pro conſecratione calicis, aut benedictione veſtium, quàm pro conſecratione ſacerdotis.

Quarta concluſio, Aliqua * ſimonia eſt omnino præciſe de iure poſitiuo. Quia aliqua ſunt, circa quæ contingit ſimonia, quæ re vera nihil ſpirituale continent, neq; ordinantur propriè ad aliquid ſpirituale, ſed ſolum ſunt annexa de iure poſitiuo rebus ſpiritualibus, talia ſunt, quæ continẽtur in illo c. Saluator vt Oeconomia Caſtaldatus, Præpoſitura, quæ oĩa ordinãtur potiùs ad adminiſtrationẽ temporaliũ, q̃ ſpiritualium: præterea adminiſtratio hoſpitaliũ, in qua nihil ſpirituale 16

vide-

videmus contineri. Et fortasse idem iudicium est de sepultura, quia non videtur continere, nec ordinari ad aliquid spirituale: in istis, inquam, nulla est simonia nisi quia propter concomitantiam cum rebus spiritualibus prohibita sunt vendi. Et intelligatur differentia inter hæc & alia (de quibus in proxima conclusione.) Dico quòd si calix consecratur, aut aqua benedicatur, sine quacunq; noua prohibitione ecclesiæ, erit simoniacũ emere, aut vendere illa: sed administrationem hospitalis, aut officium procuratoris, aut œconomiã ecclesiasticam, non erit simoniacum emere, aut vendere, nisi quia ecclesia prohibuit, sicut posset non prohibere. Confirmatur Sicut, simonia est quædam irreuerentia, & violatio rerum sacrarum, ita est sacrilegium: sed est sacrilegium aliquod quia est prohibitum à iure diuino, si quis abutatur sacramentis, aut aliquid de se turpe in loco sacro faceret, aliquando autem est de iure positiuo, vt eripere hominem ab ecclesia, quod est præcisè de iure positiuo: ita ergo non inconuenit, q̃ sit etiam aliqua simonia præcisè de iure positiuo. Verum est, quòd apud doctores antiquos, vt apud Altisiod. Alexand. & d. Thom. non inuenio hanc disputationem, nec vnquam inuenio apud S. Tho. quòd sit simonia emere aut vẽdere huiusmodi officia. Armach. lib. 10. c. 16. dicit, Quòd si qua sunt officia, aut beneficia, quæ nullam curam omnino regi-

regiminis habent annexam, ordinantur omnino ad administrationem spiritualem: non video, inquit, in talium emptione & vēditione simoniam posse committi. Vnde & de præbendis canonicorum nō inuenit modum quo possent emptiones aut venditiones illarum esse simoniacæ, nisi capitula habeant spiritualem iurisdictionem, saltem in eos, qui de collegio suo sunt, & quia habent, vt ipse putat, authoritatem prædicandi. Vnde re vera in illis officijs vbi nihil est propriè spirituale, non est propriè simonia, sed tātum est prohibita iure emptio & venditio. Confirmatur, Nam aliqua est emptio & venditio nunc licita, quam si ecclesia prohiberet, esset simoniaca. Si enim ecclesia prohiberet propter reuerentiam sacramenti, ne calices venderentur, etiam pro materia esset simoniaca. ergo aliqua simonia potest esse solùm de iure positiuo.

Sed est dubium, An * circa ea quæ sunt verè spi- 17
ritualia, & secundum se, & de iure diuino, sit aliqua simonia de iure positiuo, vel omnis sit de iure diuino. Est quinta conclusio, Aliquis contractus, vel permutatio spiritualis secundum se, est simoniaca solùm de iure positiuo. Probatur, Permutatio mutua beneficiorum sine authoritate superioris est simoniaca, vt suprà probatum est, & solum de iure positiuo: & beneficium est res spiritualis, saltem vbi est cura animarum. ergo. Ante-

cedens probatur. Et primo ostendo, q̄ non est ita prohibitum de iure diuino permutare spirituale pro spirituali, sicut spirituale pro tēporali. Patet, quia multa licent in permutatione præbendarū, quæ non licent in ordine ad aliquod temporale. Primū licet dare beneficiū pro spe alterius, quod non licet pro spe temporalis cōmodi. Prętera licet conuenire de permutatione. Præterea licet renuntiare conditionaliter in fauorem alterius, qui permutaturus est, & non aliter. Præterea licet exprimere causam. & in summa licet omnia facere quæ fierent, si cōmutaretur domus pro agro. Hoc excepto, q̄ pro forma (vt aiunt) omnia referātur ad papam, vel episcopū. Hæc autem nec somniare quidē licebit, siquis vellet permutare beneficiū pro agro. ergo nō est idem permutare temporale pro spirituali, & spirituale pro spirituali. dico autē hæc licere, id est, sine vitio simoniæ fieri, nō disputādo de alio peccato. Innoc. in c. quęsitū. tenet q̄ in præbendis eiusdem ecclesiæ potest fieri permutatio sine licētia superioris. Et quāuis hoc non recipiatur, & oppositū teneat Hostiens. & Ioā. de Imola in. c. finali de rerum permutatione. & Ioā. Andreas, Quia in permutatione rerum est noua collatio. vt in c. vnico de rerū permutatione, in 6. tamen signū est q̄ illud de se nō est simoniacum. Præterea doctores concedunt, quòd cùm agitur de sola permutatione, potest fieri talis permuta-

tio

tio eccleſiarū, vt vnus epiſcopus concedat vnā parochiā pro alia ad dirimendas lites. Imo S. Tho. d. 25. q. 3. arti. 3. ad. 8. dicit, q̄ ſi permutationes huiuſmodi fiāt pro aliquo terreno cōmodo ſunt ſimoniacæ, ſecus autem ſi ſint pro cōmodo ſpirituali. vnde ſi eſt periculum de ſimonia, hoc eſt propter tēporale annexū. Præterea quis dubitat, quin iure poſſet concedi, q̄ permutationes, quæ fiunt authoritate ſuperioris, poſſent fieri ſola voluntate partium ſaltem in caſu, & tunc non eſſet ſimonia eo modo quo nūc eſt. Prēterea principaliter probatur concluſio, quia Actorum. 8. certum eſt non condēnari permutationem vnius ſpiritualis pro alio, nec Matth. 10. videtur prohiberi niſi merces, vel pretium temporale. vt patet ex eo, q̄ poſt illa verba Gratis, accepiſtis, ſequitur, Nolite poſſidere aurū, nec argentum. Et ita exponunt illum locum Hiero. Chryſoſto. Greg. Remig. & gloſſa, & alij doctores, nulla mentione facta de alia permutatione ſpiritualis pro ſpirituali. nec in veteri aut nouo teſtamēto locus inuenitur, vnde poſsit dānari, aut reprehēdi huiuſmodi permutatio. Item rationes contra ſimoniam, non videntur procedere contra huiuſmodi permutationes rerū ſpiritualium. non enim videtur quid habeat inhoneſtū, vt cōponam tecum, vt ores pro me, & ego pro te, vt abſoluas me aut audias cōfeſsionē meā, & ſis confeſſor meus, & ego ſim tuus. nec ſufficit dicere, q̄

hoc est per modum pretij, quia certum est, q̃ non licet cõponere, vt absoluas me vt dem tibi pecuniam, eo modo, quo licet paciſci vt ſis confeſſor meus, & ego ſim tuus, maximè vbi iſta fiunt pro maiori vtilitate vtriuſq;. v. g. vt tu legas in parochia mea, & ego prædicẽ in tua. Præterea ex hoc nulla iactura ſequitur in republica Chriſtiana, ſicut in cõmutationibus pro rebus temporalibus. Præterea ſicut ſuperius arguebam, Sicut ſimonia eſt quædam iniuria, & abuſus rerum ſpiritualium: ita ſacrilegium. Sed circa res de ſe ſacras eſt aliquod ſacrilegium ſolum de iure poſitiuo, vt ſi quis celebrauit ſine ara, & ſacris veſtibus, aut non ieiunus cõmunicaret. ergo ſimiliter erit aliqua ſimonia circa ſpiritualia de ſe ſolum cõtra ius poſitiuum. Prẽterea certũ eſt, q̃ aliqua licent nũc circa ſpiritualia per ſe, quæ eſſent ſimoniaca, ſi eccleſia prohiberet, vt exigere ſtipendiũ pro ſacramento aut adminiſtratione ſacramentorũ, aut paciſci de pretio in neceſsitate (vt infrà dicetur) quæ etiã & ſimilia eſſent ſimoniaca, ſi eccleſia prohiberet. Innocent. & Verbericus dicunt, q̃ in collatione beneficiorum poteſt prælatus paciſci, & exigere aliquid ſpirituale. Præterea doctores antiqui nil loquuntur de iſta cõmutatione vnius ſpiritualis pro alio, nec, Magiſter ſententiarũ, nec Armacha. Præterea definitio cõmunis nil dicit de hoc. ergo videtur q̃ ſimonia, quę cõtingit in permutatione

vnius

vnius ſpiritualis p alio, nõ ſit de iure diuino. vnde neſcio an certũ ſit, qđ dicit Ricar. q ſi duo adulti paciſcãtur vt inuicẽ ſe baptizẽt, ſit ſimoniacũ: potius credo, q de ſe non eſſet illicitum: & cũ de hoc non habeatur ſpecialis prohibitio, niſi in materia præbendarum, puto q non eſt formidandum in illis ſpiritualibus cõponere vel paciſci: quare non video q ſimoniacum eſſet, ſi commutaretur calix conſecratus pro ara conſecrata ratione conſecrationis aut reliquiæ beati Petri pro reliquis beati Dominici, Maior in. 4. d. 25. q. 5. ad. 4. dicit, quòd tranſlatio & permutatio beneficiorum non eſt ſimoniaca, ſed propter periculum ſimoniæ, & fraudis, iura hoc prohibent. Et ſimpliciter vnum ſpirituale pro alio non eſt illicitum. Ex his patet, q cõſtantius loquutus eſt Duran. quàm alij, vt Maior. quia Duran. non admittit ſimoniã niſi circa vere ſpiritualia, nec meminit ſimoniæ in alijs officijs, neq; ſpiritualis p ſpirituali. vnde negat diſtinctionem, Et maior, qui negat ſimoniã circa illa officia vel circa ſpiritualia pro ſpirituali, debuit etiã non recipere diſtinctionẽ. Imò Maior diſt. 25. q. 6. dicit, quòd in ſpiritualibus alijs licet cõmutare vnũ ſpirituale pro alio, vt miſſam pro pſalterio.

Ex quibus omnibus ſequitur corollarium primũ, In ſpiritualibus ſolum impropriè, & de iure poſitiuo, vt de hoſpitalibus, de ſepulturis, de officijs eccleſiaſticis, quæ nil ſpirituale de ſe cõtinẽt,

ad iudicandū, an aliquis cōtractus sit simoniacus, habenda est solùm ratio & consideratio iuris positiui, quidquid enim iure cōceditur, permittitur in ecclesia per se loquendo. vnde circa illa quando non est certum vtrum sit simonia, consulendū est ius scriptū, atq; adeò si non cōstet esse simoniā, declinandū est potius in partem mitiorē, & absoluēdum magis, quàm condēnādū, maximè cùm agitur de pœna & restitutione, qcquid dicāt glossæ.

Secundum corollarium, Eodē modo in permutationibus spiritualium pro spirituali si non est damnatū iure positiuo, nō est dānandū, nec extēdēdū, sed potius restringendū, quia est odiosum.

Tertium corol. Circa spiritualia propriè spiritualia, siue de iure diuino, siue positiuo vbicunq; interuenit pretium temporale, nil opus est consulere ius positiuum, sed iudicandū est iure diuino. Ex his patet distinctionem illam Iuristarum de simonia, de iure diuino & positiuo esse necessariā, & vtilem in hac materia, si sanè intelligatur.

Ad argumenta autem in contrariū respondetur. Ad primum, Falsum assumitur, & contra totā philosophiam moralē. Sicut enim lex diuina constituit aliquid non solū in specie obediētiæ, aut in obedientiæ, sed in specie alterius virtutis determinatæ, ita & lex humana. Et sicut adulterium est intemperantia quia prohibitum lege diuina, ita comedere carnes in quadragesima non est inobe

diē

dientia, sed intemperãtia (nisi fiat in contemptũ) sicut extrahere hominem ab ecclesia nõ est inobedientia, sed verum sacrilegium.

Ad confir. dico, q̃ ecclesia non prohibet vendi bona ecclesiastica tanquam sacra, aut ecclesiastica, sed sicut prohibet vendi bona pupillorum: & ideo non est simonia, quia non sunt ad ministeria spiritualia, sed ad sustentationem temporalem.

Ad secundũ, dato. q̃ ita sit, q̃ ecclesia non posset facere spirituale per legem quod non erat spirituale, potest tamen annectere spiritualibus, & eisdem legibus subijcere, & ita facit de aliquibus, vt suprà expositum est, & hoc satis est, vt sit contractus simoniacus, de iure solum positiuo.

Sed an in permutationibus præbendarũ, si aliqua præbẽda est pinguior, possit aliqua pecunia interuenire ad cõpensandum tẽporale, vt de præbenda mille aureorũ in reditu pro præbẽda quingentorum aureorũ, an liceat cõponere, vt des mihi mille aureos, qui dicũtur pẽsio pecuniæ numeratæ? Respõdet Angelus in summa, in verbo, permutatio. §. 6. dicẽs hoc notasse Pano. in c. ad quæs. de rerũ permut. quãdo, scilicet, datur rõne tẽporaliũ, secus si ratione iuriũ, aut dignitatis spiritualis quæ est maior in vno, q̃ in alio. Sed Adri quotl. 9. ad. 8. principale, dicit Angelũ vehemẽter errasse in hoc, nec Panor. vnquã hoc cogitasse, nec tex. loqtur de tali cõpẽsatione vnius præbẽdæ cũ alia,

sed de permutatione possessionum, quæ possidentur iure proprietario, quæ vendi possunt per se, & per consequens permutari, sed nõ beneficijs admixtæ. Probatur. Nam si quis permutaret prębendam nullum habentem reditum, posset dare mille aureos vt haberet prębẽdam ducentorũ aureorum in redditu, non dubito quin sit falsa opinio Angeli. Postquam ergo ita est, quòd simonia est illicita non solum iure diuino, sed humano, dubitatur, quis primus hoc crimen inceperit, Videntur enim doctores dicere, quòd primus author & inuentor fuit Simõ ille damnatus à beato Petro, quod ex ipso nomine apparet: & videtur quòd in lege naturæ cadere non potuerit, cùm illic nõ esset aliqua potestas propriè spiritualis.

Sed his non obstantibus est prima cõclusio. In
18 * lege scripta potuit esse, & fuit hoc vitiũ. Probatur, quia erãt sacramenta, & sacerdotia, quæ licet nõ haberẽt illam efficaciã spiritualẽ, quã habẽt in lege Euangelica, tamẽ erant ordinata ad illum finem spiritualem, & per consequens negotiatio illorũ erat prohibita iure diuino. Et q̃ ita fuerit, patet de Giezi. 4. Reg. 5. de quo legitur, q̃ accepit duo talenta à Naaman principe militiæ regis Syriæ, quẽ Eliseus à lepra curauerat. & de Hieroboã. de quo legitur. 3. Reg. 13. quòd fecit de nouissimis populi sacerdotes excelsorum, & quicunq; volebat, implebat manum suã, & fiebat sacerdos. Et. 2.

Macha-

Machabæorum,4.de Iasone fratre Oniæ legitur, quòd dedit Antiocho argenti talenta trecenta sexaginta,vt fieret sacerdos.&.2.Macha.14.legitur de Alcimo,quòd venit ad regem Demetrium,offerens coronam auream,& palmam,vt constitueretur ab eo summus sacerdos,quod & factum est. Omnes(inquam)illi vno peccato peccauerũt cũ Simone mago,quanquam de omnibus illis,saltẽ de Giezi,Hieroboã & Iasonevideatur posse dubitari.Nam si Giezi fuit simoniacus qui recepit,ergo & Naaman qui dedit duo talenta,qui tamen non reprehenditur à scriptura.Ad hoc respondet Armachanus lib.10.ca.21. quòd(vt constat)Naaman gratis dedit ad sustentationem viri Sancti. Sed Giezi fraude accepit,dicens se ab Elisæo missum,vt peteret ab eo.

Sed maius dubium videtur de Hieroboam & de Iason, qui nullam potestatem emerũt, aut habuerunt,cùm essent Sacerdotes idolorum, & potestatem acceperunt à tyrannis, qui uullam dare poterant.Ad hoc Adria.in quotl.9.de Hierob. & Pasud.in.4.di.25. etiam de Hieroboam & Iasone dicit,quòd re vera ita est,quòd quantum fuit ex obiecto,nullum peccatum fuit simoniæ, sed solũ fuit ex intẽtione; quod sufficit ad peccatũ & quãtum ad speciem,& quantum ad culpam.Vnde & beatus August-1.q.1. Sicut eunuchus dicit quòd ignis sacrificij, qui per septuaginta annos Baby-

Ionicæ captiuitatis sub aquis vixerat, extinctus est Antiocho vendente sacerdotium Iasoni.

19 Secunda conclusio, In* lege naturæ potuit esse aut fuit peccatum simoniæ. Probatur, quia fuit verum Sacerdotium, vt patet de Melchisedec. Gen. 14. & ad Hebræ. 7. & in Psal. 109. ergo negotiatio esset simoniaca: & propterea non est dubitandũ, quin haberent multa sacramenta ordinata dunta xat ad finem & salutem spiritualem, & per consequens emptio aut venditio illorum esset simoniaca de iure diuino. Et quòd etiam fuerit, patet de Balaam propheta, Numer. 22. & 2. Petri. 2. & in Epistola Iudæ. licet de Balaam possit dici, q̃ non peccauit, nisi quia inique voluit agere contra Israel.

20 Dubitatur, an* inter Paganos, & idololatras potuerit esse hoc crimen simoniæ. Videtur enim quòd non, cùm nulla potuerit esse apud eos potestas spiritualis, nec aliquid verè spirituale. Ad hoc respondet tertia conclusio.

21 Emptio* aut venditio sacerdotii apud idololatras non solum fuit ex intẽtione, sed etiam ex obiecto verum crimen simoniæ. Probatur, Nam, vt disputaui in quadam relectione, in lege naturæ erat potestas apud populum, aut apud principes constituendi viros Sacerdotes, quomodo etiam fuit Melchisedec, neq; propter idololatriam amiserant hanc potestatem: ita quòd Sacerdotes gentilium

tilium erant veri Sacerdotes, id est, habebant legitimam facultatem gubernandi populum in spiritualibus, quanquam illi abuterentur illa potestate ad cultum dæmonum: & ita negotiatio, & ambitio illorum protali sacerdotio erat peccatum, & eiusdem rationis, sicut nunc est.

Et nota q̃ Hieroboam & Iason non fuerunt simoniaci nisi solum ex intentione, non, vt putant Adrian. & Palud, propter ea, quod illa essent sacerdotia idolorum, sed reuera: quia nec Hieroboã, neque Antiochus tradere poterant talem potestatem, cùm essent tyranni. Et ex his patet, quòd & Cęsar, & illi, qui per largitionem consequuti sunt inter suos sacerdotia, idem peccatum peccauerũt sicut Simon. Secus autẽ videtur iã vel apud Iudęos vel apud Paganos, apud quos expirauit omnis potestas spiritualis, atque adeò non videtur quòd esse posit peccatum simoniæ ex obiecto.

Sed adhuc circa definitionem propositam, sicut determinatum est quid pro spirituali intelligatur restat dubium lògè grauissimum quid per temporale intelligatur. Postquam constituimus nõ esse simoniacum per se & iure diuino, nisi interueniat aliquid temporale, descendendo distinctius, quæritur, An* si quis timore, consanguinita 22
te, precibus, fauore, aut obsequio recipit aut administrat spũalia, sit simoniac⁹. Et 1. de timore, d. Bona. 4. d. 25. tenet, q̃ dare beneficiũ ratione timoris,

est

est simonia. Præterea Durand. dist. 25. q. 4. dicit q etiam si detur digno, quo ad Deum est simonia. Idem dicit Adria. quotl. 9. arti. 2. & proponit non solum ratione timoris de malo temporali, sed etiam timore indignationis. Idem habet Angelus, verbo, simonia §. 3. & Maior expresse, dist. 25. q. 3. Et sanct. Tho. in. 4. d. 25. q. 3. ad. 3. dicit q si spiritualiter mouetur propter timorem iste qui sic dat, manifestè est simoniacus. Præterea ex ca. nemo. de simonia. Et probatur, quia qui taliter dat non liberaliter dat, ego est simoniacus. & confir. ex Cicero 2. Rhetoricorum. Qui metu mortis facit, non liberaliter facit.

Item. Carere malo esset ratio boni.

Item talis defensio est æstimabilis pretio. Sed hoc non obstante est prima conclusio.

13 Conferre* spirituale sine respectu ad aliud commodum, vel incommodum tẽporale timore indignationis, non est simoniacum. Probatur. Talis dat gratis, id est, non pretio aliquo modo, ergo nõ est simoniacus. Probatur, quia ex hoc, quòd aliquis timeret offendere regem, non recipit, aut amittit aliquid temporale. Præterea si quis timorè orat, celebrat, confitetur, non est simoniacus, neque qui absoluit, & tamen hæc sunt maximè spiritualia.

14 Secunda conclusio, Non* videtur malum dare spirituale, digno ex timore. Probatur eodem mo-

modo, quia neque celebrare, neque cõmunicare ex timore, est peccatũ. Tẽpore enim quo alias nõ teneor communicare, aut confiteri, si timore pœnæ impositæ à prælato confiteor, nullum est peccatum. Suppono enim in præsentia, quòd opus ex timore seruili aliàs bonum, non est peccatum, contra Lutheranos. Præterea facere ista ad vitandum pœnam inferni, non est peccatum, quia timor etiam seruilis est donum Spiritus sancti, secundum. S. Tho. 22. q. 19. articu. 4. &. 6. & glos. ad Rom. 3. Præterea incutere istum timorem, vt arguebam, est bonum. Vt si Papa minaretur Episcopo exilium, aut carcerem, nisi dignos promoueat. ergo.

Tertia conclusio, Idem etiam videtur iuditiũ de timore mali temporalis, vt vitæ, aut exilii, aut carceris, dum modo hoc nõ redundet in aliquod commodum temporale, vel sit ex pacto aut aliquo modo per modum pretii, vt tyrannus comminatur Episcopo exilium, nisi Petrum ordinauerit. Probatur eodem modo, quia gratis dat, Præterea, incutiens timorem, non est simoniacus. ergo nec patiens erit. Præterea, si esset lex, quòd Episcopus prouidens indigno soluat decem marchas argenti, lex esset iusta. ergo Episcopus, qui illo timore prouidit digno, non est simoniacus. Præterea, quia tunc talis collator incurreret pœnas excommunicationis, & alias pœnas iuris, &

re-

recipiens beneficium teneretur restituere. Hęc autem nec authores contrarii audent dicere, neque est in vsu. Probatur consequentia. Nã pœnæ latæ sunt aduersus simoniacos in ordine, aut beneficio absolutè sine distinctione. Præterea, quia in illo cap. Saluator. 1. q. 3. vbi. Vrbanus Papa latè tradit modos & species simoniæ, nullã mentionẽ facit de timore. Præterea, si quis nollet conferre digno nisi timore, quia tamen volitione cõditionata, & vitiosa, hoc nõ esset simoniacũ, sed acceptio personarũ, vel aliud peccatum. Et nihilominus velle dare digno ex timore pœnæ, imò ad vitandũ pœnã aduc esset bonũ. Si autẽ talis timor resolueretur ad commodum, aut ad pretium tẽporale, credo q̃ esset simoniacum, vt si princeps daret Episcopo salarium, aut stipendium, & Episcopus timens perdere, velut de nouo haberet, cõferret beneficium, esset peccatũ simoniæ. Sed nec hoc videtur certum, maximè si iste finis sit mediatus, puta si timeret perdere amicitiã, vel munera Regis, vel sperat fieri amicus.

Ad argumentum ex authoritate Sanct. Thom. respõdeo, quòd intelligit de simonia largo modo, & impropria. Fateor enim quòd cùm respectu aliquo temporali sit administratio spiritualium, est peccatum à fine, sed nõ est simonia damnata à Christo, vel à Petro. Vel dico, quòd reuera San. Tho. in. 4. sequutus est opinionem sui temporis,

quam

quam postea reliquit in Summa. Imò San. Tho. quęst.100.suprà,per hoc probat,vt statim dicam, quòd cõferre ratione consanguinitatis,non est simoniacum,quia nõ est illic emptio, aut venditio sine qua non est simonia, sed neq; quando fit ratione timoris. ergo nec hoc est simonia. Hæc videtur esse sentẽtia Caiet.in summa,ti.de simonia.

Dubitatur,An* collatio spiritualis ratione cõ- 26
sanguinitatis sit simonia,Beatus Bonauent. dist. 25.tenuit q̃ sic.Et fuit opinio Parisiens. vt recitat Altisiodoren.idem Glos.c.vnico. vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, vbi reprehendit Innoc. 3. Archiepiscopũ Mediolan.q̃ beneficium contulerit in fauorem carnis. Glossa autem hoc dicit esse simoniam. & in cap. nemo. de simonia.dicit, quòd est simonia, si quis ex affectu consanguinitatis admittit impœnitentem ad sacramenta.Maior.d.25.q.3.expressè id habet. Nihilominus est prima conclusio.

Conferre* beneficium intuitu consanguinita- 27
tis,non est simoniacum. Hæc est S.Th.q. 100. ar. 5.ad 2.& Altisiod.vbi suprà.Et ratio est, quia gratis datur,& non est emptio,aut vẽditio.Prætea si collator est simoniacus,ergo & qui scienter eo intuitu recipit,q̃ nemo dicit, neq; talis dãnatur ad restitutionẽ.Et in c.illo vnico reprehẽditur Archiepiscopus. Primũ quia retinuit sibi puẽtus beneficii,q̃ cõtulerat: & hoc ibi cõdenatur tanq̃ simonia

niacum. Secundum est, quòd affectu carnali hoc feciſſet, & hoc non dicit pontifex eſſe ſimoniacũ quanquam eſſet turpe, vnde maius argumentum ſumitur ex illo cap. quod non ſit ſimoniacum.

Item dare beneficiũ ex amicitia honeſta, nõ eſt ſimoniacum, ſed amicitia conſanguinitatis eſt honeſta. imò de iure naturali. ergo.

28 Secunda concluſio, Si* quis conferat beneficiũ conſanguineo aliàs idoneo quantumcunque motus à conſanguinitate, non peccat mortaliter. Quod videtur contra Altiſiodoren. qui quamuis dicat non eſſe ſimoniacum, tamen dicit eſſe mortali. Probatur, Actus ex obiecto eſt bonus, & circunſtantia non eſt mortalis. ergo neque actus. Sed opinio Altiſiodor. eſt probabilis, quia videtur notabilis iniuria. Præterea, fundare beneficiũ pro ſanguineis, eſt licitum. ergo. Præterea, lex de patrimonialibus eſt licita. ergo. Præterea, dare extraneo ratione nobilitatis, atque alia humana ratione, nõ eſt mortale. ergo nec ratione conſanguinitatis.

Tertia concluſio. Cæteris paribus prouidere cõ ſanguineis nõ eſt peccatum. De cohabit. clericorum, & mulie. c. Poteſt. Et Silu. ver. Simonia. §. 16. ſaltem ſecluſo ſcandalo. Et probetur. Habere ratione amicitię honeſtę, non eſt peccatum, ſed amicitia conſanguinitate eſt honeſta. Ergo.

29 Quarta concluſio, pontifices* parati ad dan-

dum

dum beneficia consanguineis sine delectu peccāt mortaliter. Probatur, quia cōmuniter omittunt digniores, imò plurimos ꝓmouent qui nō sunt digni & saltē tales Episcopi gerunt propositū cō ferendi consanguineis qualescunque sint. Et prę terea est magnum scandalium in ecclesia, & qui dant dignis dant pluribus occasionem dandi indignis.

Sed dubitatur an* conferre beneficia propter 29
preces principaliter sit simonia? Glossa in c. or. q. 1. dicit esse simoniā, saltē si preces sunt pro se & ꝓbat ex illo c. vbi Grego. quartus dicit, ordinationes pretio, vel prece, vel obsequio factas, esse falsas. Et eadem quęst. c. si nō multi. expressē dicit, ꝙ in ordinationibus pecuniam quidem non recipiunt, sed humanum fauorem, aut gratiam, aut laudem aucupantur, gratis acceperunt, & nō gratis dant Et in cap. Saluator. 1. quæstio. 3. dicitur, quod munus linguæ, vel pecuniæ, vel obsequii facit simoniam. Sed Innocent. c. neque tuam de ætate & qualitate. or. dicit, ꝙ quōmodocunq; interponantur preces, siue pro digno, siue pro indigno, si non interueniat aliud temporale, non est simonia. Quem sequitur Cardin. ibidem. Et Hostiens. licèt sit turpe, (dicit) & quasi simoniacum. & Panorm. eod. titu. capi. tuam. dicit, quòd in eodem casu, in quo glossa dicit esse simoniacum, nō est simonia, nisi quis intendat obligare collatorē.

Adria.tamen in suo quotli.9. sequutus glossam dicit,q̃ inducere preces, vt collator tanquam fauorabiles accipiat,est simoniacum,& collatio simonię,etiam si sint pro digno,&in beneficio simplici.Et probat,quia in dicto. c.tuam.tradunt doctores,q̃ qui propter adulationem dat, est simoniacus.Præterea, quia talis pluris ęstimat precẽ, pecuniam, & fauorem, quã pretium.Et addit Adri.hanc esse opinionem theologorum, vt S. Th. & Duran. Idem habet Maior. q.3. & Palud. Imo addit,si est paratus dare vni,& propter preces det digniori ,.est simoniacus . Hoc videtur concedere Syluest.eo.ti.§.13.&.16. Non refert,inquit,quãtum ad Deum , an pro digno sint preces,vel pro indigno,licet quo ad ecclesiam referat. Et idem expresse tenet Duran. d.25.q.4.vbi dicit,quòd si ue preces fiãt pro digno,siue pro indigno, si principaliter mouetur collator fauore rogantis,quantum ad Dei iudicium, simoniam committit propriè capiendo , atque etiam incurrit pœnam iuris.Idem dicit Palud.q.5.ar.vlt.Idẽ videtur habere Armacha.li.10. ar.18,& certè videtur hoc sentire S.Th.d,25.q.3.art.3.dicit enim, q̃ quicunq; dat spirituale pro tẽporali cõmodo, est simoniacus. Idem videtur habere.2.2.q.100.ar.5.ad.3.Temporale autem cõmodum, inquit vel est ex parte animæ,sicut amicitia,vel fauor aliquis & hoc est munus lingue.Et ad.4.dicit contra canonistas,quod

si col

si collatio fiat propter preces ad habendum fauorem, vel amicitiam, aut laudem, vel vt vitet pericula: manifestè, inquit, est simoniacus, siue pro se, siue pro alio, siue pro digno, siue pro indigno. Nec videtur discessisse ab hac sententia. 2. 2. vbi suprà, vbi videtur idem sentire. Et ratio eius est, quia fauor, vel amicitia humana, aut laus est æstimabilis pretio, & per consequens cadere potest sub ratione emptionis & venditionis. Sed bona venia summorum virorum in hac parte libentius sequerer sententiam canonistarum, & ideo respondeo probabiliter per cõclusiones.

Prima conclusio, Illicitum* est conferre spiri- 31
tualia ad captandum quodcunque commodum non spirituale, siue digno, siue indigno, vt ad captandum amicitiam, laudem, fauorem. Ista est omnium doctorum: & satis probatur ex dictis in ca. Saluator. & in c. nemo. & in c. sunt & nonnulli. & quia videtur esse contra dictũ Domini, Matt. 10. Gratis accep. g. d. Præterea, quia omnes rationes, quæ fiunt contra simoniam pecuniarũ videntur, procedere contra istam. Primo, quia talis dispensator facit iniuriã rebus sacris, tam vili eas æstimando. Præterea, quia hac via ecclesię bona venirent ad potentiores, & non ad meliores. Præterea, quia sunt bona communia, & per consequens est acceptio personarum distribuere per fauores, & amicitias humanas.

32 Secunda conclusio, Nescio * an hoc ipsum sit mortale, si aliàs collatio fiat digno. Probatur, Nã stando saltem in iure diuino, sperare, aut optare laudem humanam, aut fauorem ex aliis actibus spiritualibus, vt ex prædicatione, celebratione sacrificii, & collatione sacramẽtorum, non est mortale peccatum, neque video cur ista condemnentur de mortali, cùm solum videatur vana gloria, quæ est numero venialium. Dixi, stando in iure diuino, quia fortè ecclesia voluit ita expressè prohibere, & arcere, vt videtur ex primis capitulis allegatis, quanquam non constet de hoc.

33 Tertia conclusio, Non * puto hoc peccatum esse propriè simoniam. Dico propriè, quia Dominus non condemnauit, aut beatus Petrus, neque condemnatur ab ecclesia. Hanc puto esse sententiam domini Caieta. in Summa, verbo, simonia, notabili quinto, vbi dicit, quòd triplex est muneris genus, ab obsequio, à lingua, à manu & ad hoc vt simoniam constituat punitam ab ecclesia, exigitur, quòd pretii rationem habeat, & propterea si laus, adulatio, preces non per modum laudis, adulationis, pretii, concurrant, quantumcunque sint nephariæ, carnales, & pro indigno, & efficaces: itaq; inducant prælatum ad donandum beneficium, ad conferendum ordinem; simonia propriè & verè non incurritur, quia nulla est hic emptio, aut venditio. Er primò contra distinctionẽ

glossæ

glossæ arguitur, nam certè si fundere preces pro se est simoniacum, vt ipsa dicit, ergo & pro alio: & si pro digno, ergo & pro indigno. Præterea, ad ministratio aliorum spiritualium propter fauorem, & gratiam consequendam, non est simoniacum, & hæc sunt magis spiritualia, quàm officia ecclesiastica. ergo neque collatio beneficiorum. Præterea, secundum illud essent simoniaci, qui etiam post factum laudarent, aut fauerent alicui ratione prædicationis, aut alterius ministerii spiritualis, quòd nemo concederet. Præterea, si quis offerat sacrificium propter consequendam salutem spiritualem, vel potius temporalem, vel pro fructibus terræ, nullo modo esset simoniacus, quare ergo propter fauorem aut laudem? Præterea, tales non incurrunt pœnas simoniacorum, neque tenentur ad restitutionem. Vnde Palud. vbi suprà dicit, quòd qui consequutus est beneficium pprer preces carnales à seu el ab alio interpositas, si est dignus, non tenetur restituere, sed debet pœnitere de corrupta intentione. Ex quo patet, q̃ irrationabiliter idem ipse dicit, q̃ si est indignus, debet resignare, quia certè nihil facit ad simoniã, an collatio fiat digno, vel indigno, neque est mihi verisimile, quòd ecclesia in hac materia voluerit de nouo aliquid prohibere, præterquam q̃ Christus prohibuit. Imò in dicto. cap. Saluator. 1. quæst. 3. ex illo Matth. 10. Vrbanus Papa probat

triplex munus, scilicet à manu, à lingua, ab obsequio esse simoniam, vnde nihil de nouo videtur constitutum.

36 Quarta conclusio, Si* preces, vel fauor, vel laus resoluerentur tanquam pretium in aliquod temporale. clarum est, quòd esset simoniacum: vt si Pontifex pro collatione beneficii ecclesiastici exigeret fauorem apud principem ad consequendam dignitatem temporalem, aut reditus consanguineis suis, aut laudem ad consequendam pecuniam, vel aliquid simile. Et patet, quia nil refert
37 quod pretium detur mediatè vel immediatè pro re spirituali. Hæc est Innocent. & Cardina. in d. c. tuam. de ætate & qualitate.

Quinta conclusio, Si preces, fauor, vel laus, aut amicitia deduceretur in pactum, fortè esset simonia, quamuis hoc non habeo pro certo. Sed videtur, quia tunc intercederent per modum pretii. Et ita videtur sentire Caietanus vbi suprà. Totum hoc confirmatur de consanguinitate, timore, precibus, quia si ista essent simonia: omnis acceptio personarum, imò omnis inordinata distributio spiritualium, esset simonia, quia semper fit ex aliquo motiuo, & non spirituali.

Ad authoritatem S. Tho. respondeo, q̃ intelligit, cũ preces, & alia interueniunt, sicut in. 4. &. 5. cõclusione dictũ est. Et in summa puto, q̃ tẽpora le ĩ materia de simonia solũ intelligitur, q̃ est sub

ie

iectũ auaritiæ. Nã peccata multa possunt cõtingere in administratione spũalium, Sed in hoc eratũ est, q volũt hi omne peccatũ facere simoniã in hac materia. Itaq; simonia est dare, vel accipere aliquid spirituale, p bono aliquo vtili, hoc est; facere quæstũ de spiritualibus. De munere autẽ ab obsequio, respondeo item per conclusiones.

Prima conclusio, Cũ* obsequiũ est pecunia æ- 36
stimablle, ita q tandẽ resoluitur in cõmodũ tẽporale, pro tali obsequio conferre officiũ ecclesiasti cũ est simoniacũ. Verbi gratia, Si Episcopus releuatur â salario ministrorũ, q aliàs erat daturus, & ea ratione dat beneficia. simoniacus est. Hæc propositio videtur nota, quia nihil videtur referre, an pretiũ tẽporale mediatè vel immediatè interueniat. & vt Arist. dicit. 3. Ethicorũ, quidq d pecunia est æstimabile, pecunia vocatur: & certum est, quòd Episcopus: in tali casu non gratis dat & ministri volunt cum simonia donum Dei pecunia, id est, pecunia æstimabili possidere.

Secunda conclusio, Si non ad sit pactum expressum, vel tacitum, non puto incurreret pœnam iuris, neq; esset obnoxius restitutioni qui id faceret, sed esset simonia mẽtalis, quia releuatur à restitutione. vnde in capitulo mandato. extra. de simonia, nõ cõdẽnatur. Nescio tamẽ an excuse tur à pœna iuris & restitutiõe, q̃do inter alias conpitiones prælatus hoc etiã addit familiari futuro,

habens intentionem prouidendi, Dabo tibi in beneficiis vsque ad centum ducatos, vel dabo tibi salarium quinquaginta aureorum, quousque dedero tibi beneficium centum aureorum, ita quòd alia ratione alius non iret in obsequium & famulatum Episcopi. hæc inquam videntur malè sonãtia, & certè periculosa: quia profectò si talis episcopus illis verbis alliceret, qnenquam vt donaret equum, nõ excusaretur à simonia. ergo si petens salarium illa conditione inducit ad remittẽdum, non videtur excusari.

37 Tertia conclusio, Præstare* obsequium ad consequendam beneuolentiam Pontificis, vt illa ratione posset quis consequi beneficium, quamuis credam esse illicitum, si tamen absit quodcunque pactũ, & obligatio, non est simoniacũ, quia tale obsequiũ nõ interuenit per modũ pretii. Et hoc intelligo, etiã si hac ratione releuetur eps à salariis pecuniariis, & postea beneficiũ cõferat: itaq; postea cõferat, tanq̃ ex beneuolètia, & nõ tanq̃ ex obligatione. Sicut etiã dare episcopo munera ad consequendã beneuolentiã cũ spe consequendi ecclesiastica beneficia cũ tali beneuolentia, vel ex tali beneuolẽtia, turpe quidẽ & nepharium est, sed non simoniacum. Vtraq; cõclusio videtur ex mente Caiet. vbi suprà: dixi verò, quòd est illicitũ quærere hac ratione beneuolentiam: quia si vellet esse familiaris, vt cognosceret facultatem, &

ido

doneitatem eius, vel quia Episcopus etiam conuenienter dignitates non dabit, nisi familiari, nõ videtur illicitum.

Dictum est vtcunq; de peccato simonię in genere. Nam determinare casus in particulari, esset conatus laboris immensi: quanquam ex potioribus, & ex quibus explicatio aliorum possit haberi, aliquid dicemus. Sed prius, quia dictum est, q̃ simonia ex aliqua parte dependet ex iure positiuo, & maximè ex authoritate summi Pontificis.

Dubitatur vtrum* summus Pontifex possit esse simoniacus. Et videtur q̃ non, quia saltem bene ficiorum & officiorum ecclesiasticorum ipse est dominus, sicut domini Iuristæ dicũt quòd potest ea cõferre pro suo arbitrio, neq; tenetur dare gratis. Nam vna ratio, quæ affertur contra simoniacos, est, quia vendunt quod suum non est, quæ ratio non procedit contra Papam. Durã. vbi supra. dicit, quòd in quocunq; casu alius esset simoniacus, similiter summus Pontifex esset. Quem sequitur Palud. vbi suprà. & S. Tho. in. 4. vbi suprà, q. 3. art. 3. ad secundum, sine distinctione dicit, quòd opinio, quę dicit Papam non posse esse simoniacum est erronea, sed quòd potest esse simoniacus sicut alius homo. Sylue. §. 4. post Anto. de But. & Hostiens. dicit, q̃ Papa potest esse simoniacus in his, quæ de se sunt simoniaca. Et est cõmunis opinio Canonistarum & Theologorum in, 4. Ratio 38

est quia leges non obligant legislatores. ff. de legi. lege pricipes. &,6.q.3. c. cuncta. Panor. idem expresse.c.1.de simonia,& Card.ibidem. Respondeo per conclusiones.

39 Prima cõclus.In* simonia quæ est iuris diuini, æquè vel grauius põt papa esse simoniacus, sicut ali⁹homo.Hęc nota est,qa nõ est supra ius diuinũ

Secunda conclusio. In his autem quæ nõ sunt verè spiritualia, sed sunt annexa spiritualibus solùm iure humano,Papa posset ex rationabili causa sine vitio simoniæ conferre pro temporalibus. Hæc probata est suprà, quia nil habent spiritualitatis,vt officium hospitalitatis, vel procuratoris, vt suprà expositum est. Et idem videtur de officio Sacristæ,& fortè de sepultura,& de alijs huiusmodi,quæ profectò pauca sunt,& in illis quãdocunq; alius esset simoniacus,Si Papa sine rationabili causa faciat contractum aliâs simoniacũ,graviter peccaret.Hæc probatur,quia vt Sanct.Tho. probat.12.q.96.arti.5.princeps est solutus suis legibus quo ad vim coercitiuã, sed non quo ad vim directiuam,& est subditus legi,ex æquitate naturali,vt habetur, extra. de constitutione,c. cùm omnes.Quisquis ius in altero statuit,ipsi eodẽ iure vti debet, vt Sapientis dicit authoritas, Patere legem,quam ipse tuleris. Atq; etiam improperantur,qui dicunt,& non faciũt,quia alijs onera grauia imponunt. & ipsi nec digito volũt ea mouere

vt

vt dicitur Mat.23. Vnde, inquit S.Th. quãtum ad iudiciũ Dei princeps non est solutus à lege. & dixi grauiter peccare: quia fortasse neq; à mortali excusatur, & quia vẽdit nõ sua, & ratione scandali, & ratione iniuriæ, quã alijs facit, cogẽdo ad ius, quod ipse tenere nõ vult. Et idem iudicium est de omnibus alijs, quę sunt iuris positiui. Vnde qui sine causa rationabili petunt dispensationes à Pontifice, licet adepti sint dispensationem, fortè excusantur, non tamen excusantur malè petentes, & quia Pontificem inducunt ad peccandum, quanuis Doctores dicant, quòd circa ea, quæ sunt iuris positiui, Papa posset peccare alio peccato, scilicet acceptione personarum, vel auaritiæ, nõ autem simoniæ. Videtur tamẽ, ꝙ illud sit peccatum simoniæ. Nam sicut peccaret peccatum intemperantiæ, si sine rationabili causa non ieiunaret, aut duceret vxorem, quæ sunt de iure positiuo. Ita in proposito dicendum est, licet contra huiusmodi propositiones teneat glossa in illo. c. ex parte. & Anto. de But. & Ioan. de Imola, & Card. in. c. 1. de simonia. Vnde est corollariũ, Eodẽ modo potest Papa dispẽsare ex rationabili causa cũ alijs in his quæ sunt simoniaca iure positiuo, & circa spũtualia, & sine illa nõ excusabit illos a pcto vnde posset dare facultatem cõmutandi sine noua licẽtia.

Sed ex primo dubio de obsequio oritur dubiũ, Vtrũ * hoc ipsum, scilicet sperare beneficiũ spiri 40

tuale

tuale ex officio tẽporali, sit simoniacum. Ad hoc respondent Doctores, quòd sperare principaliter est simoniacum, sed sperare minus principaliter, non est simoniacum. Sed parum refert, quòd sit principaliter, vel minus principaliter. & ideo melius est vt distinguatur, mediatè, vel immediatè: quia si immediatè per obsequium vult habere beneficium, simoniacum est. Si autem vult consequi benevolentiam, ex qua possit habere beneficium, non est simoniacum.

41 Dubitatur, An * promittere spiritualia, sit simonia. Dico, quòd non, licet sit malè factum. sed circa hanc disputationem de simonia iuris diuini & positiui difficultas est, quæ sunt illa, in quibus est spirituale de iure diuino, & quæ in quibus de iure positiuo, vt inde intelligatur in quibus Papa potest dispensare, aut non, Et in primis est cõtrouersia de beneficijs ecclesiasticis, an sint spiritualia ex sua natura, an solum de iure positiuo, & per consequens an vendi possint sine vitio simoniæ.

De qua quæstione sunt opiniones. Prima opi-
42 nio * In beneficijs vniuersaliter simonia est de iure positiuo, & per consequens Papa potest vendere sine rationabili causa, & sine vitio simoniæ, vel ex rationabili causa, & sine vitio simoniæ, vel ex rationabili causæ & sine peccato. Hæc est glossæ in.c.ex parte.de officio delegati, & Antonij de Butr. & Imol. & Cardi.c.1.de simonia. Pro

ista

ista opinione arguitur, Quia omni beneficio sunt simul spirituale, & temporale, & vbicunque hæc duo inueniuntur, potest venditio fieri ratione tẽporalis, dum modo non pluris vendatur res, vt patet de calice, vestibus, sacris. ergo præbenda, quæ habet reditus, potest vendi secundum iustam estimationem temporalis reditus, dum modo gratis detur quod spirituale est in ipso beneficio. Et cõfirmatur. Quia quod hoc temporale sit annexum huic spirituali, solum est de iure positiuo. ergo Papa poterit vendere, ac si non esset annexum, imò vsq; ad Vrbanum primum Ecclesia dicitur nõ habuisse reditus. Præterea ius patronatus est spirituale & annexum temporali, & hoc non obstante, illud temporale potest vendi, vt patet extra. in c. seruire, & ex cap. ex literis. ergo simili ratione temporale adiunctũ spirituali, in præbenda vendi poterit adiunctum cum spirituali. Verum hæc argumenta solum videntur procedere de simplici præbenda, vt canonicatu, aut patronatu, in quibus nil videtur esse spirituale, proprie, cùm neque habeant claues, neque administrationem sacramentorum.

Secunda opinio sequitur aliud extremum, q̃ omnis simonia in beneficio ecclesiastico est prohibita iure diuino, & per consequens vendi non potest sine vitio simoniæ. Hæc est opinio cõmunis theologorum, de qua statim plura.

quòd

Tertia opinio sequitur viam mediam, scilicet q̃ in beneficijs habentibus administrationem ordinis, vel executionem clauium, simonia est de iure diuino, & per consequens Papa non eximitur ab illa, neq; alium eximere potest. In alijs autem non habentibus talem administrationẽ, aut executionem, simonia solum est de iure positiuo, & sic Papa poterit illa vendere sine vitio simoniæ, aliâs flagitiosè peccat. vt de canonicatu, patronatu, & si qua sunt alia similia. Hæc est Panor. c. 1. de simonia, & in receptione. c. vltimo de simonia.

De hac quæstione sit prima conclusio contra
43 Panormi. & Hostiensem, Non * minus est simonia vendere canonicatum simplicem, quàm beneficium cum cura animarum. Probatur, Nam si vẽditur officium, ita est spirituale, sicut aliud: si autem temporale, nõ est magis temporale redditus simplicis præbendæ, quàm beneficij habentis curam animarum. ergo par ratio est de vtroq;. Antecedens autẽ pro prima parte probatur, in qua est difficultas, quia clericatus est res spiritualis: quia quamuis sit ex institutione Ecclesiæ, nihil aliud est, quàm cooptatio ad administrandũ populo, & sacrificijs diuinis. Et Sanctus Thom. 2. 2. quæst. 100. artic. 4. ponit clericatum inter spiritualia, præbenda autem datur clerico, quia clericus est primo ratione officij clericalis, & illo habet ius capiendi fructus præbendæ, quod etiam ius

non

non potest esse, nisi spirituale, cùm fundetur in officio clericali, ratione enim illius officij debetur illi sustentatio à populo de iure diuino, iuxta illud.1.ad Corinth.9. Qui altari seruit, de altari viuere debet: vnde sequitur quòd tam spirituale est officium clericale, & ius recipiendi fructus in simplici præbenda, sicut in episcopatu: & sic nulla videtur differentia inter beneficium simplex, & cum cura animarum. Præterea, ita est de iure positiuo subdiaconatus, sicut simplex clericatus: ergo si propter hoc licet vendere præbendas annexas clericatui simplici, licet vendere præbendas subdiaconatus, si quæ sunt, vt si esset præbenda assignata subdiacono pro officio suo, quod habet.

Secunda conclusio, Papa non potest vendere 44
sine vitio simoniæ ex quacunque causa quodcunque beneficium ecclesiasticũ. Probatur, quia in beneficio non reperiuntur nisi tria, officium, ius recipiendi fructus, & ipsi fructus. Papa autem non potest dare secundum, nisi per primum, quia non competit ius recipiendi, vt dictum est, nisi ratione officij: sed tam primum quàm secundum est spirituale bonum. ergo Papa non potest illa vendere. Hanc habet Palud.4. distinct.25. q.4. & Armacha.lib.10.capit.16. & Adrian.quotlib.9. & Caieta.opusculo proprio de Simonia.

Item arguit Palu. & Armacha. Magis spiritua-

le

le est actus eligendi Episcopum, qui tamen spectat ad canonicos. &c. ergo.

Et præterea, quia non est minus spirituale officium Canonici quãuis sit de iure positiuo, quàm si esset de iure diuino, sicut nõ est minus spirituale officium subdiaconatus de iure positiuo, quàm sacerdotij de iure diuino. sed si canonicatus esset de iure diuino, vendi non posset. ergo neq; & nũc Præterea, quia in canonicatu tria inueniũtur (vt dictum est) clericatus, siue officium, ius recipiendi fructus, & ipsi fructus: quęro vtrum canonicus habuit officium gratis, vel pretio. si secundum, est simonia. Quæro & de secundo, scilicet de iure recipiendi fructus. Aut habeatur gratis, vel pretio. si secundum, est simonia, quia vt probatum est, etiam est ius spirituale, quia ex ratione officij spiritualis, sicut etiam ius decimarum in beneficio curato est spirituale. si autem Papa hoc gratis dedit, iste iam tenet titulum, & ius possessionemq; præbendę, & hoc sufficit ad recipiendum fructus neq; est ibi aliud, quod papa possit vendere. Vnde est implicatio, quòd Papa gratis det, quod est spirituale in præbenda, & vendat quod est tẽporale. & in hoc consistit ratio huius simoniæ. Et cõfirmatur. Nam papa non habet maiorem titulum ad fructus præbẽdarum, quàm ecclesia. sed ecclesia nõ habet nisi ius spirituale, scilicet ratione administrationis spiritualis. ergo neq; papa: ergo nihil

hil habet, quod possit vendere. Et similis calumnia videtur esse, si quis diceret, Ego do tibi gratis titulum ac dominium ad fundum, sed vendo tibi fructus. si enim habeo ius ad fundũ, fructus sunt mei. Præterea, si fructus essent annexi canonicatui, iure diuino, sicut in veteri testamento, nõ possent vẽdi. ergo neq; nunc, quia non minus est officium spirituale clericorũ, quàm erat Leuitarũ.

Item Panormita. arguit pro ea parte, qui est in hac sententia. Nâm in capi. ex diligenti de simonia dicitur, quòd præstatio homagij vel iuramenti pro beneficio acquirendo. diuinis, atq; humanis legibus contraria esse dignoscitur. ergo papa non eximitur ab illo iure. Prẽterea, si papa potest facere. ergo dare facultatem alijs potest: qđ omnino esset absurdissimũ. sed totus iste error pfecto emanauit, quòd isti crediderunt, quòd illa, quæ sunt iuris positiui, nõ sunt verè spiritualia, in quo vehementer erratum est. sicut enim spiritualis cõsecratio ecclesiæ, aut consecratio sacerdotis, benedictio aquæ, absolutio sacramentalis, non sunt tẽporalia, sed spiritualia. ita licet beneficium canonicorum sit de iure positiuo, est ita spirituale, sicut officium sacerdotis, & idem est iudicium de alijs spiritualibus & contrarium dicere est erroneum. Papa enim non potest concedere spiritualia bona beneficiorum sine titulo spirituali, quia non est dominus, vt ait S. Thó. 2.2. quæst. 100. Et

probat Palud. Nam fundatores non reliquerunt bona illa papæ, sed ministris solùm, neq; spectat aliud ad papam, quam prouisio ministrorũ. Hæc videtur contra Adria. vt infra dicetur. si tamen papa sine titulo spirituali de facto venderet, esset simonia similiter, ac si rex venderet illa, neq; venditio teneret. Non negamus tamẽ, quin papa pro communi vtilitate ecclesiæ possit vendere, vel aliter trãsferre fructus, vel partem illorum, quia etiã de bonis clericorum potest disponere tanquam dispensator & administrator.

Ad argumenta in contrarium. Ad primum respondetur, quòd differentia est clara, quia in calice, aut in argento potest aliquis habere ius ad illud temporale, & non ratione spiritualis: non ita autem est in beneficio, vbi ad temporale non potest esse ius, nisi spirituale vt declaratum est.

Ad confirmationẽ negatur consequentia: quia licet sit annexum de iure positiuo, tamẽ annexũ est debitum, solum ratione illius spiritualis.

Ad aliud de iure patronatus respõdetur, quòd differentia est clara, quia in patronatu spirituale sequitur ipsum temporale. è contrario autem in beneficio temporale sequitur spirituale. & hæc de beneficijs, & officijs, in quibus est aliquid spirituale. Si quæ tamen sunt, quæ re vera, vt suprà dictum est, nullum contineant officiũ spirituale, de quibus fit mentio in. d. c. Saluator non negamus

quin

quin vendi possint sine vitio simoniæ, vt officiũ, & præbenda in hospitali, imo & cathedra in vniuersitate, & alia similia: quia ista ad nihil spiritua le ordinantur, & laicis possunt concedi. Ex quo sequitur, quòd * omnes præbendæ militares, 45
quas commendas vocant, possunt authoritate papæ vendi pro temporali sine vitio simoniæ. Nam licet sint annexæ religioni, & religiosis, non tamen ratione officij spiritualis, sed pro officio militari. Ex quo iterum sequitur, quòd * neque ex 46
authoritate papæ potest commutari commenda militaris pro beneficio. Patet, quia commenda est merè temporalis, sicut stipendium ducis in bello.

Adria. in quotlib. 9. ad quintum principale, dicit, quòd opinio, quæ dicit, quòd papa in venditione beneficiorum, non est simoniacus, verissima est, quando intendit vendere ius recipiendi fructus, non mediante aliquo officio spirituali. Contraria tamen opinio habet verum, quãdo intendit vendere mediante aliquo officio spirituali. Et inquit, quòd papa hoc potest facere, scilicet non mediante aliquo officio spirituali vendere præbendam, quia iura non possunt eum impedire. secus de prælatis inferioribus, & sic concedit, quòd authoritate papæ potest aliquis commutare beneficium pro officio temporali, notariatus, quod intelligitur, quòd papa dat illis præben-

dam tẽporalẽ pro officio illo, & nõ ius ſpirituale:

Sed probatur quòd hoc ſit falſiſsimum. Nam quæro ſi papa vendidit Petro ius recipiendi fructus præbendæ, & non mediante aliquo officio ſpirituali, quare canonicus tenetur dicere officiũ diuinum, vel intereſſe in choro, quia papa nõ poteſt obligare ad hoc ſine ſtipendio. Præterea, talis non faceret fructus ſuos, ſi non diceret officium diuinum, vt decretum eſt in concilio Lateran. ſub Leone decimo. ergo fructus debentur ratione officij ſpiritualis. ergo papa non dedit niſi illo titulo.

Sequitur quæſtio particularis de penſionibus.

47 An * circa illud contingat ſimonia, ſi permutentur cum bonis temporalibus, vt in redemptione penſionum. Et videtur quod ſic, quia eſt beneficium eccleſiaſticum. ergo circa illud poteſt cadere ſimonia. Præterea, vel illud eſt temporale, vel ſpirituale: ſi ſpirituale, ergo non habet æſtimari, aut redimi pecunia. ſi temporale, ergo non licet comminutare beneficium pro penſione. Cuius tamen oppoſitum vſus obtinuit. Caietanus in proprio opuſculo & in ſumma in verbo & ſimonia, reſpõdet, quòd ius annuæ penſionis eſt merè temporale. Quod probat ex duobus. Primum, quia ſolos fructus beneficij eccleſiaſtici reſpicit. nam pẽſio non eſt beneficium ſpirituale, propriè loquendo, ſed totum beneficium eſt illius, qui pẽſionem

ſoluit

soluit. & secundò, quia solet laicis concedi, sicut ait S. Tho. 2.2. quæst. 100. artic. 4. ad tertium, quòd cùm papa concedit laicis decimas, non concedit ius sed solum res tẽporales quæ nomine decimæ dantur. Maior in. 4. distinct. 25. ad quartum dicit, quòd pensio non est aliquid temporale, sed est beneficium, sed glossa in c. cum de constitutioni. videtur dicere, quòd vbi præbendæ non est annexum spirituale, videtur quod sit aliquod temporale, & quòd vendi, & redimi posset Adria. in illo quotlib. 9. ad quintũ principale dicit & admittit, quòd pensio est temporalis, & per consequens q̃ nullo modo authoritate partium potest commutari beneficium pro pensione. Sed authoritate papæ potest, imo posset fieri pro nuda pecunia. Nã secundùm eius imaginationem, illa pensio datur pro præbenda temporalis beneficij, & nullo modo pro aliquo iure spirituali. & quia nullus inferior papa potest conferre temporale beneficium nisi mediante spirituali, ideo neq; possessor beneficij, neq; episcopus, potest dare beneficium pro pẽsione. Certè res videtur dubia & fortasse ista cõmutatio pẽsionũ nõ est ita tuta, sicut omnibus videtur sed vtcunq; respondeo per conclusiones.

Prima conclusio, Pensio * quæ assignatur ali- 48
cui super beneficium alterius, ratione alicuius ministerij spiritualis, licita est & honesta, sicut ratione adiutorij & subsidij: vt cùm episcopo titulari

assignatur certa pensio super episcopatum alterius, vt adiuuet ad exercendum episcopalia. Ista conclusio est nota, nam datur stipẽdium iustum pro administratione spirituali. Et eodem modo posset assignari presbytero vt ferret subsidiũ pastori vel parocho seni, aut aliâs inualido, ad administrandum sacramenta. vnde sequitur quòd talis pensio redimi non potest pecunia, non solùm transactione partium, sed neq; authoritate papę, vt suprà probatum est, quia est verum beneficiũ.

49 Secunda conclusio, Habens * beneficium, cui per aliquod tempus ministrauit, licitè potest authoritate papæ cedere beneficio, retenta certa pensione super beneficium, & sine quocunq; onerali officio spirituali. Hæc probatur, quia ei qui diu inseruiuit beneficio, honestum est, vt pro præterito ministerio, etiam in futurum consulatur, & prospiciatur, & detur sustentatio, si postea non potest commode ministrare. Adhuc est verum de illo, Dignus est operarius mercede sua. Eademq; ratione videtur, quòd talis pensio non sit vendibilis: quia ius ad illam est mediante officio spirituali, neque est minus spirituale, quàm si sit pro ministerio futuro. Sed etiã põt argui, contrà, hoc quia est merè temporalis, nam datur solùm tanquam alimentum, & non remanet obligatus ad aliquod officium spirituale.

50 Vnde est tertia conclusio. Papa * non potest da

re

re alicui pensionem aliquam super beneficio ecclesiastico ei, qui nullum ministerium neq; temporale, neque spirituale conferat in ecclesia, vel alio pio titulo. Hæc probatur, quia papa non est dominus, sed dispensator, & illud esset dissipare. Præterea, in hoc faceret iniuriam populo, & ministris: populo quidem, quia cogeret soluere beneficium & stipendium nullo titulo debitũ, cùm tamen nullum alium titulum possit habere ecclesia ad bona laicorum, nisi quòd dominus ordinauit, quòd qui euangelio seruiunt, de euangelio viuant. 1. ad Corinth. 9. quod fieret, si decimas ministris ecclesiæ debitas pro ministerio alijs otiosis distribueret, Dico autem, sine ministerio, vel alio pio titulo, vt ratione paupertatis aut studij ad bonum commune, sed solùm pro suo arbitrio. Confirmatur, Nam non est dubitandum, quin papa possit errare, & peccare in distributione beneficiorum ecclesiasticorum: sed iste videtur error manifestus, vt bona ecclesiastica, quæ sunt ministrorum, & pauperum, alijs distribuantur nullo titulo. ergo tales distributiones sunt iniustæ non minus, quàm si quis pro quotidiano sacrificio legaret perpetuos reditus, atque papa illos assignaret alicui, qui neque sacrificaret, neq; aliud pium officium conferret.

Quarta conclusio, Non * videtur irrationabile 51
vt papa det clerico pensionem aliquam in alieno

bene

beneficio, solùm quia clericus est. Probatur, quia si clerici certo numero, & non ita sine discrimine & passim ordinarentur, rationabile esset, vt eccle sia sustentaret ministros suos de quorum numero sunt omnes clerici. maximè qui aliâs non haberent vnde honestè viuerẽt, sed talis pensio etiã videtur quòd esset verum Beneficium, quia titulus esset verè spiritualis scilicet ratione ministerij, quòd talis clericus vel impendit, vel aptus est impendere, & per consequens non videtur quòd talis pensio possit vendi.

52 Quinta conclusio, Vtcunq; * iusto, siue iniusto titulo papa alicui concedat pensionem sine obligatione ad aliquod ministerium spirituale, neq; ratione alicuius tituli spiritualis, talis pensio est merè tẽporalis, quia secundũ se est tẽporalis, neq; est annexa alicui spirituali, postquam ius ad illã nõ est spirituale. ex quo sequitur, q̃ vendere, aut redimere talẽ pensionem, pretio quolibet tempo rali non simoniacum patet ex conclusione.

53 Sexta conclusio, Si quis * contulit, aut permutauit beneficium pro pensione, etiam authoritate papæ nullo modo possum intelligere quomodo talis pensio possit vendi, aut redimi pecunia, neq; sufficio soluere argumẽtũ superius factum. Aut enim talis pẽsio est spiritualis, aut tẽporalis. Si spiritualis, redimi nõ põt: si temporalis, permu tari cũ beneficio non potest. ergo talis pensio nõ

potest

potest cadere sub emptione aut redemptione. Vnde cõmentitium puto quod dicit Adrianus, quòd authoritate papæ possit permutari pensio cum beneficii præbenda, secludendo ipsum spiri tuale, quia (vt suprà probatum est) Papa non potest dare illud temporale, nisi propter illud spirituale. Imò neque dat, quia nunquam dat ius ad illud temporale, nisi ratione tituli & officii spiritualis. Dico temporale, quod est in beneficio, Vnde commutari pro pensione non potest. Confirmatur. nam si quis obtinuit beneficium quia cedit pensionem, si postea non dicat officium canonicum, non facit fructus suos, vt determiuatũ est in concilio Lateranensi, sub Leone decimo. ergo signum est, quòd talis non habet titulum ad fructus beneficii, nisi ratione officii spiritualis. Fictitium ergo est & sophisma, quòd ille permutauerit quod temporale erat in beneficio pro pensione. Sed eodem modo permutauit sicut pro alio beneficio. neque de hoc est dubium. Itaque non video quomodo alterum cum altero possit stare, vt beneficium mutetur pro pẽsione, & iterum pẽsio pro pecunia. Et Adria. bene consequenter cõcedit, q̃ sicut à principio est facta permutatio beneficii cum pensione, poterit fieri cum pecunia authoritate pape. Confir. iudicio meo vehementer, quia permutatio ab initio, non potuit fieri cũ pacto redemptionis pensionis, vt etiam fatetur

D. Caie. Neque quisquam alius negat. Ex hoc sic arguitur, Vel in illa permutatione permutatur tẽporale vel spirituale. Si spirituale, ergo permutatio pro pensione temporali est simoniaca. Si temporale, vt dicit Adria. ergo neque pactum de redemptione erit simoniacum, cùm nihil spirituale interueniat.

54 Septima conclusio, Quancunque* pensionem papa imponat, vel ex officio suo, vel ad supplicationem alterius, quæ non sit causa permutationis & sine obligatione ad aliquod officium vel ministerium spirituale: omnis, inquam, talis vendi potest & redimi sine simonia. Ista patet ex superioribus, quia talis pensio est purè temporalis. Diximus autem sine simonia, quia non dubito, quin talis negotiatio sit vitiosa, & præstans magnas occasiones ad fraudes simoniacas.

Vnde est corollarium, Habentes tales pensiones temporales non tenentur ad officium canonicum. Hoc corollarium videtur clarum. nam si pẽsio est temporalis, non est beneficium ecclesiasticum. Et hoc profectò in hac materia absurdũ est, vt non possimus aliter istos pensionarios absoluere à vitio simoniæ, nisi excusando eos à quocũque officio & ministerio ecclesiastico. Ex quo itẽrum sequitur, q̃ nullo iusto ti. possident tales pẽsiones, atq; adeo si istæ redemptiones pensionum non redigerent nos ad istas angustias, non pate-

re

remur perplexitatē, sed simpliciter diceremus pē siones esse vera beneficia, quæ dantur clericis ratione officii: & sic tenentur ad officium canonicum, quod multo honestius & securius esset in pō tifice, & possessoribus pensionum.

SECVNDA PARS

Relectionis de pœna simoniacorum.

SVMMA.

1 *Accipiens aliquid temporale ratione contractus simoniaci, an teneatur restituere: quicquid simoniacè accepit.*

2 *Simoniacè consecutus beneficium ecclesiasticum nihil iuris acquirit in illo: neq; facit fructus suos, sed tenetur resignare.*

3 *Simoniacus an de iure naturali & diuino teneatur restituere, an de solo positiuo.*

4 *Restitutio pecuniæ acquisitæ per simoniam, non est de iure diuino.*

5 *Beneficium simoniacè acquisitum, an sit restitutioni obnoxium de iure diuino.*

6 *Pecunia ex contractu simoniaco acquisita cui debeat restitui.*

7 *Restitutionem quis bona fide fecit dando pauperibus, vel illi, à quo accepit, an teneat factum.*

8 *Beneficium adeptus, qui quidē non dederat pecuniam*

episcopo, sed alius pro eo, ipso ignorante, an teneatur restituere.

9 *Contrahentes cum papa, an sint simoniaci, aut incurrant, pœnam iuris.*

10 *Accipere aliquid pro sepultura, an sit licitum, & quando.*

11 *Sepulturæ ius priuatum an possit quis obtinere, & quomodo.*

12 *Religionem si quis ingrediatur, an ille, qui cum recipit possit pro ingressu aliquid recipere.*

13 *Si qs Legat monasterio in perpetuũ mille aureos vt faciat sacrum perpetuò: si hæres dicit, Ego dabo beneficium simplex huius missæ, & dimittatis legatum, an hoc sit licitum, & fieri possit sine simonia.*

14 *Mediatores, qui pro aliis contractus constituunt simoniacos, quas incurrant pœnas.*

15 *Dare pecuniam, vt ab officio quis non deponatur, an sit simoniacum.*

16 *Simoniaci pœna quæ sit.*

17 *Licet temporale non possit aliquis recipere pro spiritualibus titulo emptionis & venditionis, an aliquo titulo spirituali possint spiritualia ipsa esse media ad aliquod temporale.*

18 *Titulus triplex recipiendi temporalia mediantibus spiritualibus describitur.*

19 *Clerico vtrum liceat suas locare operas in administratione spiritualium.*

20 *Locare operas in admistratione spiritualium non plus li-*

liceat, quàm locare ipsa spiritualia, neque licet aliquid recipere pro labore spirituali magis, quàm pro ipso spirituali.

QVia pœna simoniacorum pendet ex restitutione, & hæc est potissima pœna, ideo solùm tractabo de restitutionis pœna, quia in hac sola videtur magna difficultas consistere. Vnde est prima quęstio, An * ille, qui aliqd 2
temporale accepit, ratione contractus simoniaci, teneatur restituere quicquid simoniacè accepit. Ad hanc quæstionem respondent omnes doctores tam theologi, quàm canonistæ, quòd sic, & habent eam tanquam certam & indubitatam. & p̄bant ex cap. si quis episcopus. 1. quæst. 1. vbi tamē non agitur de hac restitutione, sed solùm cauetur q̄ ordinato per simoniam non proficiat talis promotio, & de episcopo ordināte dicitur quòd proprii gradus periculo subiacebit. Sed argumentantur (vt solent) ex vno ad aliud. Plus tamen videtur facere caput, mandato. de simonia. vbi habetur, q̄ simoniaci mentales non tenentur ad restitutionem, neque temporalium, neque spiritualium. Ex quo arguitur, quòd si esset simonia exterior, tenerentur ad restitutionem.

Respondetur tamen & sit prima conclusio, Quicunque * simoniacè consequutus est ecclesia- 2
sti-

sticum beneficium, nil iuris acquirit in illo, neq; facit fructus suos, sed tenetur resignare. Hæc expresse habetur in iure, c. ea quę. 1. q. 3. & c. ex multis. & 1. q. 1. c. si quis. & c. presbyter. Et sunt extra uagantes apertè hoc cauētes Martini quinti, Eugenii quarti, Pauli secundi & Sixti quarti.

3 Sed dubitatur, an* de iure naturali & diuino teneatur restituere, an de solo positiuo. Et primò de temporali videtur, quòd sit de iure diuino obnoxium restitutioni. nam ita est prohibitum de iure diuino recipere aliquid titulo simoniaco, sicut vsurario sed vsurarius tenetur restituere iure diuino & naturali quicquid acquisiuit ex vsuris: ergo & simoniacus. Est etiam probatio sancti Thomę. Qui aliquid accipit contra voluntatem domini, pro re, quam tenebatur dare gratis, tenetur ad restitutionem. Sed ita est in præsenti. ergo. Confirmatur, quia si emptor tenetur restituere beneficium sine condemnatione, ergo vendens tenetur restituere pecuniam. Præterea, si hoc solùm est de iure positiuo, cum hoc sit pœnale sequitur quòd simoniacus non tenebitur restituere ante condemnationem. Consequens est contra omnes doctores. Præterea, quia non videtur cautum in iure, nisi de restitutione in simonia quæ est vel committit in ordine, vel beneficio, vel pro ingressu religionis. Si ergo institutio est solū de iure positiuo, videtur, q; qui recipit pecuniā

pro

pro administratione sacramentorum, aut aliis actibus spiritualibus, aut celebratione missæ simoniacè, non tenebitur restituere. cum tamen ista sint non minus spiritualia, & per pactum non minus enorme. ergo. Præterea arguitur instanter. Nam non dicitur contractus, vbi alterum pro altero commutatur, si vna pars vere non dat quod pasciscitur. Vt si quis pro dono recipit pecuniam, si reuera non dat donum, tenetur restituete pecuniam. Et si emo equum à non domino, tenetur mihi restituere pecuniam, & ego equum. Ita est in proposito, quòd vendens beneficium, nõ facit emptorẽ dominũ beneficii, neq; dat ei titulũ, sed emptor tenetur dimittere, ergo venditor restituere pecuniã, secluso oĩ iure positiuo.

In oppositum est, quia apud Deum ita est simoniacus mẽtalis, sicut simoniacus exterior. sed mentalis non tenetur restituere, sed sufficit ei sola penitentia, vt habetur in d. c. mãdato. de simonia. ergo non est de iure diuino.

Ad quæstionem respondent Innocen. & Hostien. in c. tua nos. de simonia, ꝙ in simonia, quæ est de iure diuino, est obligatio ad restitutionem, etiã de iure diuino. Et ad c. mãdato. respondent ꝙ intelligitur solum de simonia, quę est solũ de iure positiuo. Sed cõtra est ꝙ c. loqtur de simonia, quę est in ĩgressu religionis, q̃ est de iure diuino. Neq; valet dicere, vt ali⁹ respõdet, ꝙ c. illud ĩtelligitur nõ

de

de pecunia accepta pro ingressu religionis, sed p loco in ordine monachorum post ingressum religionis. Hoc enim est diuinare, cùm c. absolutè loquatur de loco habito seu acquisito in monasterio, & præterea post ingressum religionis non esset simoniacum dare pro certo loco inter monachos pecuniam, etiam si fuisset exterior compositio, quod manifestè esset contra caput. In eadem sententia cum Innocentio & Hostien. est Maior 4. dist. 25. q. 5. Generale est, inquit, & de iure naturæ, q̃ homo nõ acquirat dominium per actum quẽ tenetur gratis dare. Imo addit, quòd neq; papa potest dispensare vt retineatur pecunia. Et in hac sententia videtur esse Adria. quotlib. 9. quòd tenetur de iure diuino simoniacus restituere. Sed contra istam opinionem statuo conclusionem.

4 Restitutio *p ecuniæ acquisitæ per simoniam non est de iure diuino. Hæc est Caie. 2. 2. q. 100. ar. 6. & Sylvest. verbo simonia. §. 20. & Panor c. mandato. Ex quo videtur sufficienter probari. Et arguitur sic, Si illa restitutio esset de iure diuino, & naturali, deberet fieri illi, â quo ablata est pecunia vt in vsura, & in aliis rapinis. consequens est contra omnes doctores, & fortè contra veritatem. Confirmatur, Nam si do Petro. viginti aureos vt interueniat cum vsurario, vt det mihi mille aureos ad vsuram, Petrus non tenetur restituere, & tamen si darem vt interueniat apud epi-

sco

copum, vt impetraret beneficium, teneretur. ergo non est idem iudicium de vtroque. Præterea non minus obligatur ad restitutionem simoniacus spiritualis acquisiti, quàm tẽporalis. sed hoc non est de iure diuino, vt statim apertè probabitur: ergo neque reliquum. Sed argumenta in contrarium non ita facilè soluũtur. Ad primum Panor. c. màdato conatur multas differentias ponere inter vsurarium mentalem, & simoniacum, sed omnes sunt ineffi caces. vide illum, quia tandem videtur consentire cum Innocen. & Hostiẽ.

Caie. ponit. differentiam, quia in simonia est voluntaria translatio, quamuis iniqua, sed in vsura non. sed fortasse differentia est, quòd in vsura efficitur iniuria illi, à quo exigitur vsura, & ideo ei restituendum est: sed in simonia non fit iniuria illi, qui libenter dedit pecuniam, sed iniuria facta est rebus sacris, sicut si in loco sacro aliquis haberet rem cum propria vxore, non faceret illi iniuriam, sed templo. Ita in proposito dicit, quòd nulla fit iniuria illi, à quo pecunia accepta est, sed rebus spiritualibus. & ideo nulla restitutio est faciẽda illi, qui dedit pecuniam de iure diuino.

Ad secũdum patet per idem. Vnde fortasse ita esset, si postquam habet aliquis ius ad beneficiũ, vt per electionem, aut præsentationem patroni, episcopus exigeret ab illo pecuniam, tunc enim de iure diuino tenetur episcopus illi restituere.

Ad terciũ videtur dubiũ de cõsequẽti sed tamẽ dico cũ dño Caiet. & cõmuni opinione, q̃ etiã ante cõdẽnationẽ tenetur restituere. Probatur, quia ecclesia potuit illegitimare illũ contractũ, ita vt nõ trãsferretur illud dominiũ pecuniæ in simoniacũ. Sed hoc videtur fecisse, quia fecit ĩ illo quic quid potuit facere, in odiũ simoniacorũ. ergo creditur q̃ illegitimauerit contractum. Cõfirmatur apertè, quia ex solo statuto humano, vt cõtinuò dicam, simoniacus non acquirit titulum in beneficio, sed tenetur resignare etiam ante condẽnationem. ergo cùm non minus sit absurdũ & odiosum vendere quàm emere, videtur etiam q̃ vẽditor non acquirat dominium pretij quod accipit.

Ad confirmationem patet per idem, nõ enim tenetur restituere nisi de iure positiuo.

Ad quartum dico, q̃ forsan consequens est verum, quia nulla facta est pecuniam danti iniuria, & ideo si non esset cautum in iure, non cadit restitutio. Vel dicatur, q̃ cùm hoc sit tam odiosum in iure, licet arguere abvno ad aliud, & sic si tenetur restituere in ordine vel beneficio, tenebitur etiã in alijs spiritualibus, & ita tenet Sylvest. §. 20.

Ad superiora respondetur q̃ in contractu simoniaco non fuit conuentio, vt collator beneficij, aut renuntiator verè det titulum, sed solum q̃ faciat quod in se est de facto renuntiando, aut cõferendo: & sic nulla fit ei iniuria, nisi fortè decipe-

ret

ret illum, persuadens, q̃ non acquireret titulũ, nec q; teneretur ad restitutionem. Idẽ etiã in iure diuino & primũ si staremus in iure diuino, etiam dans pecuniã acquireret titulũ beneficii. Potest confirmari solutio primi argumenti, quia simili peccato peccat dãs pecuniam pro beneficio sicut recipiens: dãs autem nõ facit iniuriã sibi ipsi, ergo neq; recipiẽs facit iniuriã danti, quia hoc peccatũ non consistit in iniuria personarũ contrahentiũ. Cõfirmatur, Nã non videtur imaginabile, q̃ in eodẽ contractu vterq; contrahentiũ patiatur iniuriã, in contractu autẽ simoniaco si accipiens pecuniã facit iniuriã: ergo accipiens beneficium. Quia non plus licet extorquere beneficiũ pro pecunia, quã ecõtrario pecuniã pro beneficio. Præterea, etiã si Petrus deberet. 100. aureos episcopo, & ep̃us nõ posset aliter recuperare illos nisi cõferẽdo beneficiũ, & ea ratione cõferret, nihilominꝰ esset simoniacꝰ (vt supono, & determinatur à doctoribus) & ea ratione nõ facit iniuriã Petro tũc ergo nõ cõsistit simonia in iniuria partiũ. & hoc expressè dicit S. Th. & Sylvest. §. 17. cõtra angelũ.

Sed queritur an* beneficium simoniacè acquisitũ sit obnoxiũ restitutioni de iure diuino? Dico q̃ nõ, sed de iure positiuo. Probatur eodẽ modo sicut de pecunia probauimus ex illo c. mãdato. Si enim esset de iure diuino, monachus cõsequutus locum in monasterio pro pecunia, teneretur re-

linquere monasterium, neque professio valeret, cuius contrarium bene habetur ex illo c. Præterea probatur, quia summus pontifex electus simoniacè, acquirit totum titulum, neque tenetur resignare, vt patet extra de elect. c. licet. vbi Alex. ad uitandum schismata dicit in concilio generali, ꝙ electus à duabus partibus Cardinalium, sine vlla exceptione habeatur pro indubitato papa. Ex quo infert Maior, ꝙ neque exceptione simoniæ. & ita tenet glossa in c. si quis pecunia. 79. distin.

Sed contra. eadem. dist. c. eodem. Nicolaus papa dicit, Si quis pecunia, aut gratia humana fuerit apostolicæ sedi inthronizatus, non apostolicus, sed apostaticus habeatur, liceatque Cardinalibus, & alijs clericis Deum timẽtibus, & laicis in uasorem illum anathematizare. Respondet glossa in eodem c. ꝙ intelligitur si fuit electus ab illis, qui non habebant potestatem eligendi. sed Maior dicit, ꝙ glossa est contra text. ideo ipse dicit, quod illùd ius est reuocatum per nouum ius capit. licet.

Sed notandum, ꝙ Iulius. 2. anno Domini. 1505. 19. Calend, Februarij edidit extrauagãtem super electionem papæ simoniacam, ꝙ nullum habeat effectum, quam fecit publicè affigi in valuis Basilicæ beati Petri, & cãcellariæ, atque reuocare omnes constitutiones pontificum in contrarium, & nominatim illud ca. licet. Vnde sequitur primo,

quòd

quòd hodie non teneret electiò simoniaca. Secũ dò, q̃ hoc est de iure positiuo, quia nunquam papa dicit hoc esse de iure diuino, & reuocat constitutionem in contrarium. Tertiò patet, q̃ ex c. licet tenebat, & erat canonica papæ electio antequã reuocaretur, & ita videtur tenere glossa ibidẽ, quæ solã exceptionem hęresis dicit esse admittẽdam: q̃ tamen Maior ait adhuc non esse verũ, sed esse pontificẽ, etiã si esset hæreticus. Sed contra hãc opinionẽ & cõmunẽ modũ intelligẽdi, c. mãdato. videtur vrgere. c. si quis. 1. q. 1. vbi sic legitur. Si quis neque sanctis pollẽs moribus, vel neq; clero populoq; vocatus, vel pulsatione coactus impudẽter Christi sacerdotiũ, iã quolibet facinore pollutus, iniusto cordis amore, vel sordidis precibus ore, siue comitatu, siue manuali seruitio, siue fraudulento munusculo, episcopalẽ seu sacerdotalem, non lucro animarum, sed inanis glorię auaritia fultus, dignitatẽ acceperit, & in vita sua non sponte reliquerit, casuq; insperata mors, pœnitentem non inuenerit, proculdubio in æternũ p ꝛibit. Ex quo etiam probatur haberi, q̃ etiam sine peccato exteriori, sed solùm muneræ dato, vel obsequio etiam, aut precibus cõsequutus episcopatum, tenetur resignare: q̃ est contra illud c. mandato. Responderi potest q̃ hoc. c. reuocatur per illud cap. mandato. Sed contra, quia papa illo cap. 1. respondet consultationi, neque vult con-

dere nouum ius. Adrian. quotlibet. 9. putat, ex iure diuino esse obnoxium restitutioni, quod simoniacè acquisitum est, siue spirituale, siue temporale. Armach. lib. 10. c. 23. tenet adhuc latius, quod non solùm si simoniacè, sed si ambitiosa hypocrisi peruenerit quis ad sacerdotium, nullum titulum acquirit, & tenetur restituere. quia non intrat per ostium, & per consequens est fur, & latro. Henri. de Gand. quotlibet. nono quæstione. 26. aut. 16. tenet quòd simoniacus tenetur iure diuino restituere quicquid est consequutus. Et ad c. mandato. dat illam glossam suprà positam, quòd intelligitur non de receptione monachorum, sed de loco inter monachos. Maior dist. 25. q. 5. etiam tenet, quòd est de iure positiuo, quòd per simoniam non acquiratur titulus in beneficio. vnde videtur consequenter loqui quia prius dixerat vẽdentem teneri ad restitutionem temporaliũ. Panormi. in dicto c. mandato, quia non placent ei differentiæ, quas ponunt doctores, inter simoniacum & vsurarium, ponit aliũ intellectũ illius c. vt intelligatur, non si quis principali intentione dederit aut receperit pecuniam pro ingressu monasterij, sed secunda intentione, aliàs quod teneatur restituere. & hoc inquit est tutius. Sed in c. tua nos de simonia, apertè dicit, quod simoniacus mentalis siue in simonia iuris diuini, siue positiui, non tenetur restituere, & citat

tat Io.An.in vtroque c.

Sed* cui debet fieri restitutio de pecunia? Re- 6
spondetur primo ex sententia omnium doctorũ, quod nõ debet fieri ei,â quo accepta est, quia nõ est illi facta iniuria,licet de hoc non adducant doctores aliquem canonem id determinantẽ, quod ego sciã.secũdò q̃ debet restitui ecclesiæ,in cuius iniuriam accepta est.Si verò non est facta iniuria alicui ecclesiæ, danda est pauperibus vel ecclesiæ cathedrali,quæ ex Sylvest.§.20. cũ alijs colligere licebit. Tertiò videtur mihi,q̃ debet expendi, sicut aliæ pecuniæ, in opera pia ex mandato episcopi.Vel(si hoc commodè non posset) de voluntate possidentis.Sed notandũ,quòd si aliquis dederit pecuniam simoniacè & non recipit beneficium ita quod simonia non est consummata pecunia est restituenda eidem, vt ait Caieta. in Sũma:quia de iure naturali, tenetur restituere ei,à quo accepit,quia de eodẽ iure naturali est,vt ille nõ perdat sua, nisi recipiat illa,p̃ quibus illa dedit.Secũdò etiã notandũ,q̃ si tenebatur episcop⁹ isti dare destinctè beneficiũ,& exigit pecuniã, etiã stãdo in iure naturali, tenetur illi restituere, quia fecit illi iniuriã.sed fortassei⁹ posituũ voluit priuare episcopũ ipso facto, sicut & beneficio.

Hæc dicta sunt pro cõmuni sentẽtia doctorũ. Sed fortasse posset defendi, q̃ restitutio pecuniæ est facienda eidẽ etiã. & ratio est, quia licet stãdo

in iure diuino non fiat ei iniuria, sed quia ratione iuris positiui non acquirit titulum ad illud, pro quo dedit pecuniam, consequenter videtur dicẽ dum, quod debet etiam restitui illud, quod dedit. Sed ad hoc responderi potest, quòd ille iam no nit quòd nõ acquirebat ius in beneficio, & nihilominus vult dare pro illa translatione beneficii pecuniam & sic licet non sit de iure diuino cui debeat fieri restitutio, non videtur dubitandum, quin debeat fieri collatori, ideſt talis debet reddere in manus illius, ad quem spectat prouidere. At de fructibus beneficii idem videtur iudicium, sicut si ex aliis causis non faceret fructus suos & debet considerare ad quẽ spectant fructus de iure, vel dare in fauorem ecclesiæ, cui facta est iniuria vel pauperibus, sicut de aliis pœnis fieri solet.

7 Dubitatur, An* si quis bona fide fecit restitutionem, dando pauperibus, vel illi à quo accepit, teneat factum. Respondetur ꝙ sic, neq; amplius tenebitur ad restitutionem.

8 Dubitatur, Si* adeptus quis beneficium nõ dedit ipse quidẽ pecuniam episcopo, sed alius pro eo, ipso ignorante, an teneatur restituere. Respõ detur, ꝙ postquã primò sciuit, tenetur restituere perceptos fructus, exceptis tamẽ, quos bona fide cõsumpsit. Sylvest. §. 13. p. 8. Antonius de Butrio ca. de regalrribus. de simonia, dicit, ꝙ episcopus nõ põt renũtiare sine licẽtia papę neq; inferiores

sine

sine licentia episcopi. Et præter hanc pœna restitutionis incurrunt omnes sententiam excommunicationis, à qua non possunt absolui, nisi à papa Ex his patet, quòd papa potest dispensare in omnibus superioribus, vt si quis. v. g. restituat beneficium per simoniam habitũ, etiam in pecunia dispensari potest quamuis Maior dicat, ꝙ in pecunia non potest, quia illa est ecclesiæ, & papa nõ est dominus eius. Et hoc apparẽt iam habet postquam ius iam est acquisitum ab ecclesia. & quia est pœnale, videtur, ꝙ papa possit dispẽsare.

Sed dubium est, An * contrahentes aliquid cũ 9
papa sint simoniaci, aut incurrant pœnam iuris. Respondetur primò, quòd incurrunt peccatum simoniæ. Secundò, quantum ad pœnas, Sylvest. §. 19. post Ioannem de Lignano. c. 1. eodem tit. respondet & dicit ꝙ eo ipso, ꝙ ex certa scientia papa scit & tolerat videtur dispensare, quod limitãdum est (inquit) quãdo simonia committitur cũ ipso papa, vt ab eo habeatur beneficium, eo scien te & consentiente, quia tunc scientia principis hoc vitium purgat. Adria. quotl. 9. ac vlt. ad quar tum argumentum principale, dicit de contrahen tibus cum papa, quòd vbi expressè eximit eos, ne incurrant, etiam incurrunt pœnas illas. Et videtur etiam tenere Panormita. c 1. de simonia. & ca. extirpandæ. de præbendis, Sicut in simili, ludens cum Episcopo ad Azarũ, super quo esset lata sen

tentia excõmunicationis, non vitat sententiam, vt dicit Ioan. Andr. in regula, Cui licet. de regulis iuris. Palud. d. 25. q. 4. arti. 1. tenet cum Syluest. q papa videtur dispensare. Caiet. 2. 2. q. 100. art. vlti. tenet partem negatiuã, q nõ licet præsumi volũtatẽ principis, nisi recta ratio suadeat: & hoc modo suadet recta ratio, vt papa dispenset cum illis. Imò contra videtur argumentũ, quia si papa confert beneficium excõmunicato & scienter, nõ intelligitur dispensare cum illo, vt in c. si sumus. de sententia excõmunicationis, in Clementina. vbi dicitur, q papa cõmunicans scienter cũ excõmunicato, non intelligitur absoluere illum. Et glossa dicit, q etiam si participet in diuinis. Sed Caietanus dicit hanc suam sententiam nõ esse firmam. Certè videtur q papa intendat dispensare, quia intendit retinere pecuniam, quam profectò non potest retinere, nisi conferat beneficium. Et ideo teneo opinionem Syluestri.

10 Dubitatur præterea * an pro sepultura liceat aliquid accipere. Et videtur quòd sic, ex consuetudine ecclesiæ. S. Tho. 2. 2. q. 100. art. 4. ad. 3. dicit, q idem est iudicium, quod de vasis sacris, & ideo terra vendi potest, non ratione cõsecrationis. Idem tenet in. 4. d. 25. Imò in c. abolendæ. de sepulturis, dicitur, q ius sepeliendi vendi nõ potest. Vnde licet diuersæ ecclesiæ habeant ius sepeliẽdi in eodem cœmiterio, vna non potest vẽdere alteri ius suum.

ſuum. Primum dictum ſancti Thomę intelligendum eſt, quòd locus nondum conſecratus in ſepulturam vendi poteſt, duodecima, quæſtione ſecunda, cap. aurum. Si verò iam ſit deputatus ad ſepeliendum humana corpora, vendi nõ poteſt ad ſepulturam ſecundùm omnia iura licèt in neceſſitate vna eccleſia poſsit vendere alteri eccleſiæ. Hoſtienſis dicit, ꝙ quicquid temporale datur vel permittitur, vt electio ſepulturæ fiat, eſt ſimoniacum, prima, quæſtione ſecunda, c. quia pio. & de pactis, capite finali. Panormitanus in capite, apparentiam. de ſimonia, dicit quòd obſeruari poſſunt laudabiles conſuetudines, ſi tamen ſpiritualia priùs conferantur, aliàs non eſt tolerabilis conſuetudo, tamen cauendũ eſt, ne petant clerici aliquid pro ſepultura. Sed poſſunt petere quòd ſeruetur conſuetudo, & hoc pro officio ſepeliendi. Et idem dicit Sylueſt. §. 20. Puto, quòd quando eſt conſuetudo, quòd aliquid detur pro loco ſepulturæ, vt notat Innocent. in dicto cap. apparentiam habet pro quo eſt text. in l. priuilegia. c. de ſacroſanctis eccleſijs. vbi dicitur, ꝙ ea, quæ ab antiquo ſunt ſolita eccleſiæ, & miniſtris tribui nõ debẽt aliquo modo impediri. Quantùm adhoc, videtur mihi primo eodẽ modo prohibitũ eſſe accipere ꝙ ſepulturis, ſicut pro alijs ſpiritualibus, ſiue hoc ſit de iure diuino, ſiue humano. Patet hoc ex cap. abolendæ vbi damnatur peruerſa cõſuetudo

exigendi

exigendi aliquid pro loco aut terra sepulturæ. Glossa tamen dicit, quòd licet clerici exigere nõ possint, tamen laici sunt compellendi seruare antiquas conditiones, & ex cap. ad apostolicam de simonia, vbi dicitur de funeralibus. & cap. cùm in ecclesia. de simonia. Secundò dico, quòd seruare consuetudinem laudabilem tenentur laici, vt patet ex. d. c. ad apostolicam. quamuis in ca. cùm in ecclesia. dicatur, quòd nulla consuetudine excusari potest, quòd aliquid pro huiusmodi accipiatur sed quòd non intelligatur, quòd non possint recipere, probatur quia non est magis spirituale, quã sacrificium. Et eodem tenore in d. ca. abolendę. & c. ad apostolicam. & c. cùm in ecclesia. prohibentur exigere profuneralibus, pro benedictionibus nubentium, & quibusdam alijs. Tertiò idem est iudicium de exequijs & funeralibus, quãtum ad hoc. Tamen Sylues. dicit ti. de simonia. §. 11. quòd pro his, ad quæ non tenentur, possunt exigere aliquid, aliâs non facere, dummodo egeant, & citat Archidia. & Raymundum & Pisan.

11 Dubitatur deinde, An * possit aliquis obtinere ius priuatum sepulturæ, & quomodo. Sylues. verbo sepultura. §. 3. dicit, quòd laicus non potest habere dominium sepulturæ, quia loca religiosa non possunt esse in dominio alicuius. Secundo, Habere possunt quantum ad vsum pro se, & suis sepeliendis, neque eis inuitis potest aliquis ibi sepeliri,

peliri, nisi in necessitate. Tertio, Mortuo illo & familia illius, potest alijs concedi vsus illius sepultu ræ, quia mortuo vsu funerario, vsus redit proprietario. Sed etiam quarto idem dicendum de capellis. Quinto, Hoc potest fieri ex concessione ecclesiarum. Sexto, Pro hoc beneficio possunt ecclesiæ recipere dotem in sustentationem, sicut pro alijs spiritualibus secundum consuetudinem laudabilem. Et eodem modo sicut pro missa celebranda, sed eodem modo debet abesse peccatum sicut in alijs, sed solùm fit donatio ex vtraq; parte.

Dubiũ aliud est de ingressu religionis, An * ille, qui recipit ad habitum posit, aliquid accipere pro ingressu religionis. S. Tho. 2. 2. q. 100. arti. 3. ad quartum dicit, quòd si monasterium est egenum licet aliquid recipere ad sustentationem monasterij, addit Sylvest. §. 15. quòd licet exigere, & hoc S. Tho. dicit in. 4. Si autem sine grauatione monasterij potest recipi nouitius, simoniacum est aliquid exigere. Hæc S. Tho. & ita Sylvest. absolutè tenet, quòd si egeant monachi, possunt pacisci. Et est cõmunis opinio, licet contrarium teneat Supplementum & Rosella. Tertio, Si autem monasterium est opulentum; omnino est simoniacũ quocunque modo pacisci, secũdum omnes doctores. Hæc habentur c. quomodo. de simonia. & c. periculosa de statu religiosorum. lib. 6.

Dubitatur item, Si * quis legat monasterio per 13

petuo

petuò 100. aureos vt fiat sacrũ ꝑpetuò, & hæres dicit, Ego dabo bñficiũ simplex hui' missæ, & dimittatis legatũ, an hoc sit licitũ. Respondetur ꝙ fieri nõ põt sine simonia, vt patet, quia hoc est emere beneficiũ. Sed videtur, ꝙ papa põt in hoc dispẽsare dico ꝙ non video quomodo possit dispensare.

14 Dubitatur prẽterea de * mediatoribus, qui pro alijs constituunt contractus simoniacos. Sylvest. §. 18. dicit, quòd eadem pœnas incurrunt, & eodem modo indigent dispensatione, vt absoluãtur prima, quæstione prima. cap. statuimus. & cap. si quis. de simoniacis. De matrimonijs etiã est difficultas, quia datur pro spirituali aliquid tẽporale.

15 Dubitatur, * An dare pecuniam, vt non deponatur quis ab officio, sit simoniacum. Respondetur ex superioribus, quòd videtur quòd nõ, quia est negatio vel omissio spiritualis pro temporali.

Sed è contrario videtur quòd sic, quia ille retinet spirituale pro temporali.

16 Dubitatur, An * aliquis simoniacus excusetur à pœnis iuris resp. Quicunq; præsumitur non peccasse mortaliter, non incurrit pœnas iuris tenebitur tamen ad restitutionem, si quid restituendum est. Si tamen facit pactum tunc fortasse excusatur ignorantia, sed omnino tenetur restituere, & rescindere contractum.

De pœna suspensionis vide Sylvest. titulo, suspensio. §. 7. vbi dicit quòd simoniacus in ordine

est

est suspensus ab executione illius ordinis extra de simonia cap. tanta. 18. dicto cap. eas. Imò ab omnibus ordinibus Clement. cupientes de pœnis. Neque dispensatur, nisi à papa.

Qui beneficium recipit simoniacè, suspensus est. in c. tanta. & in c, per tuas. ex Panormi. q si sit occultus per pœnitentiam & renuntiationem, ministrare potest. Sed manifestus indiget dispensatione, trigesimasecunda, quæstione prima. §. verùm. Sed post pœnitentiã episcopus potest dispẽsare.

Dubitatur, An * dato quòd pro spiritualibus 17
non potest aliquid temporale recipere aliquis titemptionis aut venditionis, an aliquo tit. spiritualibus possint ipsa spiritualia esse media ad aliquod temporale. Pro quo nota, q * triplex potest esse 18
titulus recipiendi temporalia mediantibus spiritualibus, vt dicit Caiet. 2. 2. & in sua Summa. Primus, qui comprehendit communem cõtractum sub se inducentem obligationem legalem, & iste est omnino simoniacus & prohibitus, vt suprà dictum est. Secundus est sustentationis ministrorũ. Tertius est locationis operũ & conductionis. Et de isto tertio vertitur dubiũ quia locatio est quodammodo species emptionis & venditionis.

Vtrum * licet clerico locare operas suas in ad- 19
ministratione rerum spiritualium? Pro cuius quæstionis solutione nota, q duplices operæ sunt, vel duplex labor inuenitur in administratione spiri

tualium. Quidam est necessarius labor ad ipsam administrationem spiritualium, imò est ipsamet administratio, vt dicere horas, celebrare missam, cantare in choro. Et aliæ sunt operæ, quæ accidẽtaliter concurrunt, vt ire iter vnius diei ad celebrandum, vigilare ad aliquod spirituale faciendum. Et de istis operis secundi generis non est dubitãdum, quin ratione illarum possimus aliquid exigere. Et est sententia omnium doctorum, q licet locare tales operas, & exigere pecunias pro tali labore. Eodem modo, sicut si quis faceret sumptus eundo ad administrandum vel celebrãdum sacramẽtum, posset paciſci de expensis, dummodo in æstimatione illarum nõ habeatur respectus ad spiritualia. Hoc patet, quia illæ operæ sunt purè temporales, & per accidens, & impertinenter se habẽt ad administrationem spiritualiũ. de quo Caiet. 2.2. quæst. 10. art. 3.

Sed de operis & labore primi generis est maius dubium, & pro parte affirmatiua videtur, quòd liceat illas locare, quia sunt temporalia, ergo ratione sui poterunt locari aut vendi. Præterea quia sacerdotes locant se ad celebrandum per menses, aut annum, & hoc ecclesia approbat, vt patet ex c. significatum. de præbendis. Præterea quia cantores in ecclesia locant operas suas. Confirmatur Nam calix licet sit consecratus, potest vendi ratione temporalis, quod est in illo, ergo celebrandi

di aut orandi labor, licet habeat annexam spiritualitatem, potest locari. In contrarium est, quia si tales operæ vendi possent, cùm omnia ecclesiastica constent ex operibus, sequitur quòd omnia ecclesiastica essent venalia, & sic poterit vendi administratio sacramentorũ, sicut & calix. Præterea si ministro debetur temporale ratione laboris & operum, ergo non debetur stipendium sustentationis ratione administrationis spiritualium, seu ratione ipsius spiritualis qđ ministrat: esset enim irrationale, si acciperet duplicem mercedem: & esset simile, sicut si sutor velit pro calceo pretium & aliam mercedem pro opera cõficiendi calceũ. Præterea est contra definitionem simoniæ, qua dicitur, quòd est emere, aut vendere spirituale, aut spirituali annexum: sed istæ operæ sunt annexæ spiritualibus. ergo vendere illas est simoniacum. Nam si vnum vendas, & alterũ intelligeris vendi disse. De hac quæstione sunt variæ sententiæ doctorum. Et de parte quidem affirmatiua. scilicet, quòd licet locare operas, & recipere aliquid pro labore, vide Altisior. 2. p. q. penult & de eleemosynis. & Bonauent. 4. dist. 25. q. vltima, & Richar. eadem d. q. 2. vbi dicit, quòd Episcopus recipiens salarium iuxta capitulum, cum sit Romana recipit intuitu laboris, & consequenter dicit, quòd clerici dicentes psalterium pro mortuis, non peccant recipiendo pecuniam pro suo labore, licet quæ-

ſtio. 3. excipiat labores in adminiſtratione ſacramentorum. Eiuſdem ſententię videtur Armacha. lib. 10. vbi dicit, quòd pro laboribus licet recipere pecuniam. Idem tenet gloſſa in cap. ſignificatum de præbendis. Et Panor. eodem cap. vbi reprobat Innocent. & Hoſtienſ. qui contradicunt. Et probãt ex c. finali. 2. quæſt. 2. & ex concilio Agathenſi, vbi dicitur, Clerici ſtipendia ſanctis laboribus debita, ſecundum ſeruitij ſui merita, à ſecularibus conſequantur. Eandem videtur tenuiſſe Hoſtienſ. in ſumma poſt Gofredum, titulo de ſimonia. §. qualiter committatur. Hoc tenet Adri. quotlib. 9. idemq; habet expreſsè Maior. 4. diſtin. 25. quæſt. 6. vbi inter modos legitimos recipiendi aliquid temporale pro ſpiritualibus, ponit duos. Vnus eſt pro ſuſtentatione, & alius pro labore celebrandi. Sed his non obſtantibus ſit concluſio.

20 Non * plus licet locare operas in adminiſtratione ſpiritualium, quàm ipſa ſpiritualia, neq; licet aliquid recipere pro labore ſpirituali magis, q̃ pro ipſo ſpirituali. Hæc eſt ſentẽtia Duran. ſentẽtia. 4. d. 25. q. 1. & Palud. q. vltima, & Caieta. 2. 2. q. 100. & in ſua Summa. & Sylueſt. verbo ſimonia §. 9. & citat glo. c. vltimo extra. ne prælatus vices ſuas. & c. finali de pactis. Ex quo habetur, quòd vbi ceſſare debet conuentio, non licet locare operas. Idem tenet Aliacus tractatu de ſimonia cõtra Cancellariũ Pariſienſem, & dicit, nullũ antiquorum

rum oppositum tenuisse. Est etiam expressa sententia S. Tho. 4. distin. 25. q. 3. art. 2. q. 2. in corpore, vbi circa actus spirituales distinguit. Aliqui enim sunt actus spirituales ex principio, quia scilicet procedũt à potestate spirituali: sicut celebrare & administrare sacramenta. Alij sunt spirituales solùm ex parte finis: sicut docere, quod terminatur ad scientiam, vel veritatem spiritualem. Et dicit, q̃ in secundo genere operum licet locare operas non autem in primo: sed solum licet accipere aliquid in sustentationem. & idem ad literam ponit quodlib. 3. q. 6. & eadem videtur sententia eius. 2. 2. quæstio. 100. vbi nũquam ponit alium titulum recipiendi aliquod tẽporale prospirituali, nisi ratione sustentationis. Probatur conclusio, Quia talis labor, & operæ sunt spirituales, & nullo modo temporales: sicut sanare infirmum, mundare leprosum ex sua natura sunt temporalia, tamen si procedant ex gratia spirituali, spiritualia reputantur in materia simoniæ, & ideo non possunt vendi, vt patet Matth. 10. Gratis accepistis, gratis date. & dixerat, Infirmos curate. Præterea talis, qui locat operas, non gratis administrat, ergo est simoniacus. Probatur antecedens, Quia cùm administratio non fiat nisi per illas, imò reuera non est aliud administratio spiritualis, quàm ipsę eędem operę, ergo nõ gratis datur administratio. Confirmatur. Pictor nõ diceretur gratis dare imaginẽ,

ginem, si ita exigeret pretium operarum suarum Et profectò similis videtur sycophantia dicere, quòd gratis qui celebrat missam, sed exigit pretium operæ & laborum: sicut si artifex dicat se gratis dare opus, exigeret tamen laboris pretium Præterea, minister tenetur gratis dare quantum poterit spiritualia, sed recipiens sustentationem posset non recipere pretium laboris. ergo si exigat, non dat gratis. Hoc enim est gratis dare, nihil recipere, sine quo posset ministrare, aliàs facit cõtra præceptum domini dicentis, Gratis date. Præterea arguit Caie. Quia minister spiritualis est delegatus à Christo, neque licet ei plus accipere, quàm illi à Christo constitutum est: sed dominus primò dicit, Gratis accepistis, gratis date. Et postea, vt Paulus refert, ordinauit, vt qui euangelio seruiunt, de euangelio viuant. ergo nullo alio titulo licet accipere aliquid temporale, nisi ratione sustẽtationis. Prẽterea ratione spiritualis administrationis nullo alio habito respectu ad laborem debetur ei illud pretium. ergo pro vno opere debetur ei duplex merces, quod est omnino iniquũ. Præterea si aliquid temporale est annexum spirituali, si illud temporale vendatur, debet æstimari quod ex se est, nullo habito respectu ad spirituale, vt patet de calice. Sed labor & operæ in administratione spiritualium nullius pretij & æstimationis sunt per se, neq; aliquis daret aliquid pro illis

illis nisi ratione spiritualis adiuncti, ergo ratione illorum nihil potest exigi. Caieta. ponit regulam quòd res composita ex spirituali & temporali, si temporale sit principale, vendi potest sine scrupulo, vt patet de calice, & de patrimonio, cui est annexum ius patronatus. Sed si è contrario spirituale sit principale, res illa non potest vendi, etiã ratione temporalis in ea contenti. Et quia in administratione rerum spiritualium principale nõ est labor, ideo operæ non possunt vendi. Et ita cõmuniter dicunt Summistæ. Sed nescio si aliquid est temporale coniunctum cum spirituali, quare vendi non potest, siue sit magis, siue minus principale, neq; de hoc datur aliqua ratio, saltem stando in iure diuino: quia cum sit temporale, non est prohibitum vendi iure diuino.

Et ideo melius videtur, vt dictum est, quòd illæ operæ & labores non sint temporales, neq; magis neq; minus principaliter, sed puræ spirituales vt in proposito loquimur. & per hoc patet solutio ad primum argumentum.

Ad secundum respondet Caietanus, quòd licet ita sit, vt dictum est, quòd nõ liceat locare operas necessarias in administratione spiritualium, tamen ratione circunstantiarum & accidentium quæ concomitantur ipsam administrationem, licet aliquid accipere, & pacisci de illo, & sic presbyteri possunt pacisci de pensione. Nam illic est

vinculum & obligatio libertatis, & alia grauamina, ad quæ non tenentur, & ratione illorum possunt facere pactum. Et sic intelligitur cap. significatum. Hoc est, probabiliter & rationabiliter dictum, sed non caret calumnia. Si enim hoc est verum, semper potest ministet locare seipsum cum obligatione audiendi confessiones, aut prædicandi etiam ad vnum diem, aut plures, quia etiam est vinculum & ademptio libertatis, ad quæ non tenetur. at de hoc dicam inferius.

Ad tertium argumentum patet etiam ex dictis cantoribus enim in ecclesia non quæritur aliquid spirituale, sed potius tẽporale, quod est musica illa, & amœnitas vocum, sicut ab organista, & ideo illis licet locare operas suas. Quod etiam patet, quia nihil refert, an illi sint clerici, nẽne. Vnde cõstat, q̃ non venditur spirituale, neq, emitur. Panor. in c. fuam. de simonia, recedit à prima opinione, quam tenuerat in capitu. significatum, & reprehendit dominum Andream, qui dicit, quòd non licet accipere aliquid pro spiritualibus, bene tamẽ pro labore.

REVERENDI

Patris Fratris Franciſci à Victoria Relectio.

DE ARTE MAGICA.

Locus relegendus eſt,

Non declinetis ad Magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini. Leuit. 19.

SVMMA.

1 *Magia ars an omnino ſit, hoc eſt, an inter mortales ſit ars, vel facultas aliqua ad videndum, & faciendum opera illa mirabilia, quæ de magis ſcribuntur, & circunferuntur.*

2 *Magicorum opera, & mirabilia quæ referuntur, eorum plurima ſunt falſa, conficta, & ex hominum vanitate credita.*

3 *Magorum opera non omnia ſunt vana & conficta.*

4 *Magica ars, licet ſit alicuius efficaciæ, an tota eius vis verſetur circa illuſionem ſenſuum, & imaginacionis, ita quòd ex parte rei nullus ſequatur effectus, nec ſint entia vera, & naturalia, quæ à magicis fiunt, ſed ſolùm præſtigium, & illuſio oculorum.*

5 *Magorum facta licet nonnulla fiant ſolum per illuſio*

nem, & præstigia sensuum, tamen quædam in re, & secundum existentiam fiunt.

6 Magorum mirabilia opera, an sint omnia opera naturalia, hoc est, ex causis merè naturalibus, & non dependentia à substantijs separatis.

7 Magia aliqua, dici potest naturalis, & sine commercio alicuius substantiæ spiritualis.

8 Magiæ studiosi qui fuerint, recensetur.

9 Magica ars alia, præter naturalem, quæ non viribus & causis naturalibus cõstet, sed potestate aliqua, & virtute immateriali, & separata nititur, non est dubium quin reperiatur.

10 Dæmon malus, an sit operum magicorum author, vel an referenda sint potius in bonos angelos, vel in ipsum Deum omnipotentem. Et an omnino sint dæmones.

11 Dæmones esse, etiam stando in recta, & legitima Philosophia, nullo modo est negandum.

12 Opera eadem, vel similia, fiunt per artes magicas, & per gratias gratis datas.

13 Opera aliqua fiunt à magis, quæ nullo modo fiunt per gratias, & è contrario.

14 Magi, nihil operantur, aut potestate diuina, aut angelica.

15 Magi, in suis operationibus nonnunquam vtuntur facultate solum naturali.

16 Magorum operationes supra facultatem naturalem, malorum dæmonum potestate, & virtute fiunt.

17 Animæ defunctorum, maximè quæ sunt è numero damna-

damnatorum, an se misceant artibus & operibus magicis.

18 Magi, an possint miracula facere.

19 Magi non possunt miracula facere.

20 Magi, an possint cogere dæmones pro suo arbitrio.

21 Dæmones cogi possunt aliquando, & coguntur ab hominibus.

22 Dæmones ab angelis cogi possunt, & aliquando coguntur.

23 Dæmones an virtute diuina coerceantur, aut angelica multũ refert, quibus verbis, aut signis homines vtãtur.

24 Verba nulla, nec exorcismi habent efficaciam infallibilem ad cogendum dæmones, & arcendum illos, ita vt semper sortiantur effectum suum.

25 Magi aliquando possunt cogere dæmones.

26 Magi quomodo possint dæmones cogere.

27 Magi, quomodo habentes fœdus cum aliquo dæmone principali, possunt cogere inferiores dæmones, non autem ipsum principalem dæmonem. Et quid si non habeãt tale fœdus.

28 Magorum tota opera: & efficacia in quo fundetur.

29 Dæmones superiores, an habeant aliquam potestatẽ in inferiores.

30 Dæmones superiores possunt cogere inferiores.

31 Demon superior, an & quomodo possit inferiorem dæmonem tenere alligatum annulo, aut imagini.

32 Magi, an virtute dæmonum possint corpora localiter transmutare, hoc est, per multa terrarum spatia, sum-

ma

ma (vt ferunt) celeritate.

33 *Dæmones: & magi virtute dæmonum poßint mouere, & transferre corpora de loco ad locum.*

34 *Magi an poßint pro ſuo arbitrio immutare corpora: alterando ſecundum qualitates, immittendo morbos & contra ſanitatem præſtando.*

35 *Dæmones. & magi, virtute dæmonis non poſsunt immediatè imprimere in rebus naturalibus, & materialibus aliquã formam: vt calorem, frigus, morbum: aut ſanitatem.*

36 *Magi virtute dæmonum poßunt mirabiliter trãſmutare materiam, & naturas corporales, applicando ſemina ſemina rerum: & actiua paßiuis.*

QVoniam in principio ſecundi ſenten. quem circa finem huius anni interpretamur, agitur de natura, & poteſtate angelorum tam bonorũ, quàm malorum, & poteſtas malorum, angelorum inter mortales plurimùm, vt opinio eſt, exercetur per magos, ideo cõſtitui hãc relectionem de magica habere. Et tota diſputatio habebit duas partes. In prima tractabitur de poteſtate & facultate magica. In ſecunda de licẽtia & iniquitate magicæ artis, hoc eſt, quatenus, & quãtũ liceat, aut non vti magicis artibus. Et vt ſcholaſtico ordine ex more procedamus, prima quęſtio ſit, An* omnino ſit magica. Hoc eſt, an ſit magica. Hoc eſt, an ſit inter mortales ars, vel facul-

cultas aliqua ad edendum, & faciendum opera illa mirabilia, quæ de magis scribuntur, & circunferuntur: an prorsus omnia illa sint vana, & conficta ab impostoribus, & maleficis, & falsò credita à vulgi leuitate, & vanitate, vt quidam putant. Et videtur q̃ omnia illa sint vana & fabulosa. Primò, quia si fidem habere volumus iis, quæ de magis referuntur, eadem opera credemus ea quæ de Circe, & Medea, & aliis famosissimis magis prodita sunt, vt q̃ non solùm Poëtæ, sed Varro narrat socios Diomedis in aues conuersos, quæ longo tẽpore pòst circa templum Diomedis volabãt q̃ socios Vlyssis Circe mutauit in bestias, & q̃ Arcades quodam stagno traiecto, conuertebantur in lupos. Et quòd alii de Medea scribunt, Iasonem socerum à senectute in iuuentutem reuocasse, & iunctis draconibus per aëra volasse. Credemus item mensam Solis, quam, teste Hieronymo, Apollonius vt videret, venit in Aethiopiam in qua epulę singulis diebus ponebantur sine humana ope, & multa his similia. Quòd si hæc pro fabulis habemus, non est quare credamus, & recipiamus alia, quæ de magicis traduntur, istis nihilo probabiliora, neq; minus absurda. Quæ enim maior ratio est, vt credamus opera Zoroastris, & aliorũ, quã Circes, aut Medeæ? Nec satis est allegare authoritatẽ famę aut antiquitatis. Multa enim similia multis seculis credita & celebrata sũt, quę

ta-

tamen à viris sapientissimis pro vanis & falsis habentur. vt de Phœnice nominatim dicit Herodotus, de qua pulchrum miraculum celebratur, scilicet, nunquam eam quenquam mortaliumvidisse, nisi in pictura. Et confirmatur. Nam si ex miraculis, quæ vulgo narrantur, perquàm pauca ad veritatem reducuntur: multo magis credibile est omnia, quæ de magicis iactantur, ludibria esse, & prorsus conficta. Nec ego in quenquam hominem fide dignum incidi, qui aliquid magicũ se vidisse aut pro comperto habere affirmaret. Secundo, Nam non minor fama & opinio obtinuit de arte alchimistica, quę montes aureos profitetur, & promittit, de cuius tamen vanitate, & irrito conatu, nemo est ita bardus, qui dubitet. Vnde non maior fides videtur habenda Magis, quàm alchimistis, qui spondent quas non præstant diuitias, vt ait Ioã. 22. in extrauag. spondẽt Tertio, Magi promittunt diuinationem futurorum, quam tamen neque habere neque præstare possunt, vt certum est, & statim disputabitur: aliàs essent dii. Esa. 41. Annuntiate nobis quæ ventura sunt in futurũ, & dicemus quia dii estis vos. Ergo pari ratione credendũ est, magos alia polliceri, quæ implere non possunt.

Ad hanc quæstionem non desunt viri docti, qui totam Magicam non tanquam superstitiosam, sed tanquam falsam, & vanam atque im-

po

postricem condemnent,& nullius vsus, aut efficaciæ affirment, inter quos est Plinius multis locis. Sed peculiariter li.3.ca.1.& pfecto magno argumento. Multi enim viri,& magni, & potentes cùm magicis studiis operam summo studio dedissent, nihil tamen facultatis,aut efficacię supra alios homines consequuti sunt. Inter quos fuit princeps. Nero,q huic arti ualidissimè fauit& incubuit, cui non opes defuere, non vires,non discendi ingenium, ad quem Mithridates Armeniorum rex venerat,& magos secum adduxerat, & magicis etiam tecgnis, & ceremoniis initiauerat : & tamen cum regnum ei Nero daret, hanc ab eo recipere artem non valuit,proinde tãdem tanquam vanam,irritam,& intestabilem reliquit.Idem de Iuliano apostata legitur. Neque est credibile homines minoris facultatis & fortunæ consequutos quod tanti viri tenere non potuerunt. Si enim magicæ opes & vires naturales sunt, nihil afferri potest probabile,quare Nero,& Iulianus non sunt adepti facultatem, quam tantoperè affectabant,& nullo pretio non redemissent.Si autem Magi dæmonum virtute & potestate abutuntur,nescio cur dæmones humani generis hostes operã suam præstare noluerint summis religionis hostibus, per quos nocere tantum poterant,quam postremis hostibus tã facilè præbere dicuntur.

Sed

Sed quia ista sententia nec nihil, nec totum dicit, sit prima propositio, Eorum * quæ de operibus magicis, & mirabilibus referuntur, longe plurima sunt falsa, & conficta, & ex vanitate hominum credita. Probatur primo, Quia panciſsima ex omnium hominum memoria referuntur, aut producuntur in historia à fide dignis, vt videre est apud nobiliſsimos historicorum, Diodorum, Herodotum, Pompeium, Liuium, Plutarchum, Valerium, qui sine dubio, si quid de huiusmodi admirabilibus pro comperto habuiſsent, in historia referre non neglexiſsent. Et secundo item mirum est, cùm ex omnibus artibus semper perseueret aliquod opus, vt statuæ, & imagines à nobilibus pictoribus, & sculptoribus, ab architectis nobilibus insignia ædificia, magicæ verò artis nulla imago, nullus annulus nullum pignus, aut vestigium habetur ex tanta multitudine imaginum, statuarum, & annulorum, quos illi quotidie fabricare dicuntur. Promittunt quidem magi miracula, & portenta, sed parturiunt montes, & nascitur ridiculus mus.

2

Secunda propositio, Non * omnia magorum opera sunt vana & conficta. Ista concluſio manifestè probatur authoritate Scripturæ, vt patet de magis Pharaonis, qui virgas suas conuerterunt in dracones. Exod. 7. & de maga, quæ suscitauit Samuelem. 1. Regum. 28. Item secundò, interdici-

3

tur

tur magia iure diuino, vt patet in themate relectionis. Et Leuitic. 20. indicitur pœna mortis, si qs ad magos & ariolos declinauerit. Et in iure ciuili est capitale, vt patet in C. de maleficis. l. nemo. l. nullus. l. culpa. Itẽ in iure canonico. 26. q. 5. p totũ. Nõ autẽ ita seuerè iterdiceretur, si ars esse solũ otiosa, & vana, & non esset efficax & pnicio sa. Item Psal. 57. Sicut aspidis surdæ & obturantis aures suas, quæ nõ exaudiet vocem incãtantiũ, & venefici incantantis sapienter. Ex quo patet, q incãtatio habet aliquã efficaciã. Itẽ Matt. 24. Surgẽt pseudochristi, & pseudoprophetę, & dabũt signa, & pdigia, neq; alia gratia, aut arte, nisi magica. ergo. Et vt nõ deuocemus & recipiamus sine delectu omnẽ historiã, & totũ vulgi rumorẽ, tamẽ intẽperantis, & impudentis esset pnegare nõnulla magiæ opera mirabilia, quæ viri graues literis mãdauerũt, vt Cicero cũ aliis locis, tũ li. de diuinatione: quædã etiã & Liuius, & Valerius, & alii nobiles authores, & vt Aris. ait, q famã obtinuit nõ est omnino falsum. Et Porphyrius dicit ita notũ esse magorũ artificiũ, & supra mortaliũ cõditionẽ opera quędã fieri, vt pbatione nõ indigeat. Et vt oĩa cessarẽt, satis est, q de mulieribꝰ nostris quotidie p certo inuenitur delas Bruxas. Argumẽta etiã in cõtrariũ pstuadent primã ppositionẽ. Sed ad illud de Diomedis & Vlyssis sociis respondet Aug. 18. de ciu. Dei, trãsformationes illas, de qbꝰ

Varro

Varro loquitur, non esse secundum veritatẽ, sed secundum apparentiam per aliquod præstigiũ, phantasia hominis per aliquam speciem mutata vt etiam dicit S. Tho. de potentia, q. 6. art. 5. ad. 6.

Sed ex hac solutione oritur secunda quæ, An tota eius vis versetur circa illusionem sensuum, & imaginationis: ita q̃ ex parte rei nullus sequatur effectus, nec sint vera, & naturalia, quæ à magicis fiunt, sed solum sit præstigium, & illusio oculorum, & sensuum, sicut August. dicit de Diomedis & Vlyssis sociis. Et videtur q̃ ita magorũ opera sint huiusmodi. Nã & de opere magorũ, qui serpentes fecerunt, est opinio in glos. Rabani, Exod. 7. q̃ non fuerit vera conuersio virgarũ in serpentes, sed solum per aliquam præstigiosam illusionem. Et idem Augu. ad simplicianum ponit tanquam probabile de illa suscitatione Samuelis, quòd non fuerit vera, sed aliquod phantasma, & illusio imaginaria diaboli machinationibus facta. ergo idem potest existimari de aliis omnibus magorũ operibus, si de his, quæ in Scriptura habentur ita putatur, & creditur. Item secundo arguitur vehementer ex c. episcopi. 26. q. 5. vbi refertur, quòd quædam mulieres sceleratæ dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credunt se cum Diana nocturnis horis, vel cum Herodiade, vel cum innumera multitudine mulierũ equitare super quasdã bestias. Et sequi-

tur

tur. quòd sacerdotes per ecclesias sibi commissas populo Dei omni instantia prædicare debent, q̃ nouerint hæc omnia falsa esse, & non à diuino, sed à maligna spiritu talia phantasmata mentibus fidelium irrogari. Ex quo loco videtur determinatum, q̃ ea, quæ fiunt à maleficis, non suntvera, & realia opera, sed tantum phantastica, & præstigiosa. Si enim ea, quæ faciunt, aut patiũtur maleficæ mulieres istæ, quas nostri bruxas, Latini lamias, seu striges appellant, omnia sunt phantastica, & per illusionem sensuum nihil est, quare non idem reputemus de aliis magorum operibus.
Item tertio, Idẽ videtur ex historia. Refert enim Cęlius Rhodogin. Pasetem quendam inter magicæ vanitatis sectatores prima noctæ consueuisse refertissimum repente conuiuium hominibus discubituris præmonstrare, mox vbi collibitum fuisset, euanuisse omnia ita vt nihil omnino viseretur. Et simile quiddam vulgò fertur de illo Inacho Marchione Sãtillanæ. Nec dubium est, quin epulæ illæ, & apparatus veri non essent, sed tantum oculorum præstigia, & illusiones. Item confirmatur ex eo, quod uulgo dicũt, Bienes del trasgo. nunquam enim verum thesaurum præstat, sed tantisper sub specie auri relinquit carbones. Confirmatur secundo ex ipso nomine magorũ. vocantur enim omnes præstigiatores.
Ad hanc quæstionem sit prima propositio &

vnica. Eorum quæ â magis fiunt, licet nonnulla fiant solum per illusionem & præstigia sensuum quædam tamen in re, & secundum existentiam fiũt. Prima pars probata est sufficienter. Secunda autem probatur. primo authoritate Augu. 3. de trin. c. 7. & 8. & in libro. 83. quæstionum. q. 79. vbi expressè asserit, magos Pharaonis verè conuertisse virgas in serpentes. Quòd probatur ex hoc, quia scriptura eodem vocabulo appellat virgam magorum, & virgam Aaron, quam constat, vere esse conuersam in serpentem. Et satis videtur constare ex historia, quæ postquam narrauit quòd Aaron conuertit virgam in serpentem, subiicit, quòd malefici fecerunt similiter, proiecerunt q; singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones, Et ita tenuit Sanct. Thom. de potentia. q. 6. art. 5. ad. 8. licet Rauclinus de verbo mirifico cõtrarium sentiat. Et expræsse Origenes super Marcum, hom. 13. tenuit cum beato Augustino. Item videtur probari ex illo etiam Psal. 57. Sicut aspidis surdæ, &c. Ex quo loco videtur, quòd incantatores verè faciunt serpentes, & habent effectũ circa illas. Item probat S. Thom. de potentia. q. 6. art. 10. quòd aliquando in incantationibus audiũtur voces magorum ab omnibus circunstantibus quod fieri non posset per præstigium, & solum immutationem imaginationis, quia talis immutatio (vt ait S. Tho. lib. 3. contra Gent. c. 104. & verum

rum est) non fit integris & solutis sensibus exterioribus, sed in dormientibus, vel qui raptum & ecstasin patiuntur, vt experientia docet. Vnde cùm ea, quæ à magis fiunt, videantur nõnunquã, & audiãtur solutis sensibus exterioribus, signum est, quòd verè fiunt, & non solum secundum apparentiam. Et confirmatur, quia Peripatetici negãtes aliquid fieri à magis q̃ excedat facultatem causarũ naturaliũ, vt infrà dicemus, nõ audẽt negare huiusmodi mirabilia verè fieri à magis: q̃ tamẽ multũ intererat ad opinionẽ suam tuendam: sed conuicti sunt historia, & experientia rerum.

Argumenta autem facta in contrarium de sociis Vlyssis, & de suscitatione Samuelis, &c. dicemꝰ inferius, & ibi videbitis quid de illis habeatur.

Tertia quæstio, quæ sequitur superiorẽ, est, An *mirabilia opere magorũ sint oĩa opera naturalia, hoc est ex causis merè naturalibus, & nõ depẽdẽtia à substãtiis separatis. Et videtur q̃ possint oĩa esse naturalia. Nã primũ omniũ non est sufficiẽs argumentũ, q̃ nõ sint naturalia, quia sunt in consueta, & præter solitum cursum naturæ. Vt si quis re vera per alchimiæ ãrtem verũ aurũ faceret, certe aliquid insoliũ faceret, & fortasse hactenus infectum, nullus: tamen negaret opus esse naturæ. Vnde videtur rudis, & imperiti ingenii statim damnare õpus insolitum, quan tũuis mirabile, & referre in dæmonũ potestatem. *7

Item secundo magi operantur adhibitis certis rebus naturalibus & materialibus. Item sub certo situ, & constellatione astrorum fabricantur isti suas imagines, & annulos, non ex quauis, sed ex certa materia & obseruatis punctis, & mortibus astrorum, quæ omnia frustra fierent, & adhiberẽtur, si effectus expectarentur à virtute substantię separatæ, & non à causis naturalibus. ergo videtur dicendum, quòd opera magorum sunt naturalia. Ad hanc quæstionẽ Hermes Trismegistus, vt refert August. 8. De ciuitate Dei, contendit, ꝙ omnia opera magorum fiant virtute naturali, & maximè virtute cælesti, nec oportet ex operibus sumi argumentum substantiæ separatæ. Et eadem est communis sententia Peripateticorum. Vnde Alexander in libro de magis hanc opinionem multis verbis defendit, & confirmat. Ad cuius probationẽ duo fundamẽta prę̃mittit. Alterũ ꝙ virtus cælestis, licet nõ formaliter, sed virtualiter & eminẽter est virtus oĩum elementorũ & mistorum, & habet efficaciam omnium illorum. Alterum, quòd multa possunt fieri concursu multarum causarum naturalium, quæ ab vna tantũ fieri non possunt, vt manifestè constat. Ex quibus fundamẽtis infert, quòd nihil obstat, quominus credamus, quòd in imagine, vel statua, vel annulo astrologico fabricatis, & compositis ad certã influentiam, & positionem stellarum sit virtus, &

effi

efficacia ad aliquos effectus, ad quos oportet cõcurrere multitudinem causarum inferiorum. Et similiter quòd adhibitis certis, & paucis seminibus, & causis naturalibus sub certò situ, & concursu stellarũ, & astrorum, sequatur subitò opus, q̃ aliàs exigeret grande temporis spatium, & concursum plurium causarum inferiorum. Vt exempli gratia. Si magus vsus imagine vel annulo conuerteret subitò argentum in aurum, aut ex virga faceret serpentem, vt magi Pharaonis fecerunt, non est quare negemus opus prorsus esse naturale. Si enim aliquæ causæ naturales cõuertere possunt quamuis materiam in aurum aut serpentem certè nihil inopinabile est, quod influentia cęlestis opportunè adhibita, suppleat vicem omniũ aliarum causarum. Imò inquit Alexan. mirum magis esset, si substantia separata posset tales effectus influere, cùm nullam habeat proportionẽ ad tales effectus, non plus quàm ignis ad producendum aquam. Addunt Peripatetici, & fautores eorum, historias in confirmationem suæ sententię. Vnde Damis referente Cęlio scribit Iarcham Indorum principem annulos septem cõpegisse, septẽ stellarum nominibus præsignes, quibus mirifica opera ederet, quos etiam Apollonius Tianeus dono ab eo accepit, quorum beneficio contigisse, Apollonium iuuentæ nitorem protulisse, & conseruasse, quamuis annum cen-

teſimum iam exceſsiſſet, cùm diebus ſingulis ſin
gulos annulos geſtaret ſecundum dierum & pla
netarum nomina. Tertio, neque putant prorſus
abſurdum Gygis annulum illum Platonis crede
re, cuius & Cicero in officiis & Gregorius Naziã
zenus in Monodia, naturalem meminit fuiſſe, &
magorum artificiis egregiũ opus. quem cùm Gy
ges geſtaret, quando videri nolebat, palam intra
digitum vertebat. Qua ratione cum in Lydorum
regiam penetraſſet, regem cepit, ſeque regem cõ
ſtituit. Quarto, Ad huius fidem opinionis etiam
facit, q̃ Philoſophi non reiiciunt imagines quas
vocant aſtronomicas, quas adhibent etiam in cu
ratione morborum, inter quos vnus fuit Marſi-
lius Ficinus, qui inter medicamẽta naturalia ima
gines ponit aſtronomicas, vt videmus vulgò an-
nulos ferreos geſtari ad certam ſtellarum poſitio
nem fabrefactos, quos putant certis ægritudini-
bus mederi. Vuicleff. etiam de ſtatu innocentiæ,
vt refert Vualdenſis, libro de ſacramentalibus di
cit, quòd Adam habuit notitiã ad nominandum
ſecundum proprietates naturales naturas ſibi
ſubditas, ſub quibus nominibus homini natu-
raliter obedirent, & huic reſeruantur reliquiæ
poteſtatis innocentiæ in vocibus exorciſtæ, &
naturaliter incantantis, & ad hoc credo voces
(inquit) Hebræas habere maiorem effica-
ciam.

Sed

Sed pro determinatione quæstionis sit prima propositio. Aliqua magia potest dici naturalis, & sine comercio, & concursu alicuius substantię spiritualis. Pro probatione conclusionis, & eius declaratione est notandum, quòd nomen magiæ de se non importat artem aut facultatem extra vel supra omnem virtutem & efficaciam causarũ naturalium. Hoc patet, quia si hoc esset de ratione vel significatione magiæ, non relinqueretur locus dubio, aut disputationi, an effectus & opera magorum possint esse à solis causis naturalibus, quæ tamen quęstio fuit multum ac diu iacta inter Philosophos, & adhuc sub iudice lis est. Sed videtur nomen magiæ à principio receptum pro arte & facultate, ad efficiendum & patrandũ opera occulta. & mirabilia, non solum extra solitum rerum cursum, sed supra hominum opinionem, & captum. Hoc supposito, probatur conclusio primò. Nam sine dubio sunt in rebus naturalibus virtutes mirabiles, & quas, pauci homines cognoscere possunt, cùm nec sensu possint comprehendi, nec aliqua ratione inuestigari.

Ars ergo, & facultas huiusmodi rerum & virtutũ merito magia dici potest, quia est effectrix, & operatrix huiusmodi operum, & effectuum, quorum ratio comprehendi, aut intelligi mente non possit. Vnde si magnetis vsus vulgo ignotus

esset, & aliquis recens primum ostenderet, magus vulgo putaretur, & haberetur: esset enim admirabilis, & incredibilis operis author, & effector Vnde Augustinus. 21. De ciuit. capit. 4. tanquam pro miraculis refert se uidisse annulum ferreum à magnete pendentem, qui rursum secundum annulum traxit, & ille rursum secundus tertium, & sic vsque ad certum numerum, vt velut catena texeretur. Et item aliud mirabile scribit se accepisse à coëpiscopo Seuero, verti scilicet virgam ferream super argentum concitatissimo cursu, cùm aliquis magnetem infra moueret, quod opus nũc iam nemo miraretur, cum iam vulgata sit magnetis virtus & efficatia. Sed illud mirabilius, q̃ idem asserit magnetem non rapere ferrum, si iuxta eum adamas ponatur, & si rapuerit, dimittere. Itaque non videtur magia naturalis esse, nisi quę dam pars secretioris & recõditioris Philosophiæ, quæ si notior fiat, & in consuetudinem venire incipiat, non solum philosophorũ sed etiam vulgi, desinet videri & vocari magia, sed cum aliis artibus annumeratur. Idem dici potest de arte alchimiæ, quæ si ars est (quod ego non credo) magia dici potest, cum sit secretum & mysterium doctissimis & peritissimis philosophorum ignotum. Probatur secunda conclusio, Quia non est dubitandum (in quo Alexander rectè sensit) quòdaliquid insigne, & singulare, & præter

ter consuetum ordinem naturæ, seu rerum contingere possit, ad certum situm, & ordinem astrorum adhibitis paucis rebus naturalibus, quale opus etiã nullis causis inferioribus confici possit. Qui ergo huiusmodi artem & facultatem haberet, siue à maioribus traditam, siue experimentis & casu repertam, siue etiam à substantia separata reuelatam, merito magus dici posset. Item *summi philosophi fuerunt magiæ studiosi, vt 8
Democritus, Pythagoras, Empedocles, Plato, & inter nostros Albertus. Tertio confirmatur, quia in nonnullis rebus naturalibus inueniuntur mirabiles effectus, & prorsus similes magicis operibus, vt est illud, quod Aristo. refert lib. de mirabilibus de lapide molari, qui in Tigride reperitur, quem qui portauerit, non violabitur à feris. Item herbam charisiam reperiri in monte Egero, quam si mulier portauerit, homines ad sui amorem pelliciet. Et item illud quod de dictamo herba certissimi authores tradunt, capras in Creta cum eam ederint, sagittas excutere. Et alia non pauca huiusmodi, quæ non à magis, sed à doctissimis philosophorum monumentis prodita sunt. Non ergo vt statim aliquid ignotum & stupendum videmus, continuò pro superstitioso damnandum est. Item quod omnes asserunt de herba pici, Hispanè, el pito, quæ seras etiam ferreas aperit. Item illud videri possit magicum, quod Plinius lib. 7.

scribit, hominis ieiuni saliuam pernicioſam eſſe ſerpentibus. Item quis non diceret magicum eſſe quod idem Auguſtinus vbi ſuprà capit. 5. inquit, in Epiro eſſe fontem, in quo faces ardentes extinguuntur, & extinctæ accenduntur? Non ergo ſtatim vt aliquid ignotum videmus, & ſtupendum, reclamandum eſt continuò, & pro ſuperſtitioſo damnandum, vt iam videmus.

9 Secunda propoſitio, Præter * hanc magicam naturalem non eſt dubitandum, quin ſit alia ars magia quæ non viribus, & cauſis naturalibus cõſtat, ſed poteſtate aliqua, & virtute immateriali, & ſeparata nititur & vtitur. Hæc concluſio probatur à Sancto Thoma, libro tertio contra gentes cap. 104. Primo, Quia aliqui effectus magicarum artium referũtur, & pro certo comperti ſunt, qui nõ poſſunt referri niſi in cauſam & naturam intellectualem. ergo non poſſunt vniuerſaliter omnes effectus magicarum artium referri in cauſas naturales, & in corpora cęleſtia. Aſſumptum probatur, quia magi dant reſponſa de occultis, vt de furtis, & theſauris. Item aliqui per magicas artes conſecuti ſunt ſcientiam rerum, & artes liberales, & alia huiuſmodi, quæ proĳcertò de Magis referuntur. Item aliquæ ſtatuæ magorum loquutæ comperiuntur, & reſpondiſſe ad quæſita de diuerſis. Hæc, & id genus alia, licet rara manifeſtum eſt niſi ab intellectu proficiſci non poſſe. Secundo

argu-

argumentatur S.Tho. Vel ſtatuæ magorum ſunt animatæ, vel non. Si primum, contrà, Nam principium viuendi eſt omnibus viuentibus forma ſubſtantialis. viuere enim eſt eſſe viuentibus, ſecundo De anima: ſed ſtatuæ non recipiunt formam aliquam ſubſtantialē magico artificio, quia non amittunt formam ſubſtātialem, quam prius habebant. Manet enim aurum aurum, & argentum argentum. non ergo eſt poſsibile, quòd huiuſmodi ſtatuæ recipiant formam ſubſtantialem aliquam, quæ ſit principium vitæ. Item non eſt vita ſine ſenſu: ſtatuæ autem magicæ nō ſunt ſenſibiles. Primus enim ſenſuum eſt tactus, qui non inuenitur niſi in organo tēperato, qualis temperies non eſt in lapide, vel in metallo, ex quo fit ſtatua: non ergo eſt poſsibile, quòd huiuſmodi ſtatuæ habeant principium vitæ. Si autem non viuunt, contrà, Quia inanimata non mouent ſe, ſeptimo Phyſicorum: ſed magi, vt fertur, faciunt ſtatuas moueri nullo impellente. ergo oportet dicere, quòd illum motum habent ab aliquo motore extrinſeco, & viuente, & non à virtute cæleſti, vel aliqua virtute naturali. Tertio arguitur, Nam quæcunque fiunt virtute cæleſtium corporum, ſunt formæ naturales rerum materialium. quod igitur nulli rei eſt naturale, non poteſt fieri virtute cæleſtium corporum: quædam autem talia fieri dicuntur à magis, vt quòd ad præſen-

tiam

tiam alicuius quæcunq; ſeræ pandantur: item q aliquis fiat inuiſibilis, & alia huiuſmodi. non ergo hæc referri poſſunt in virtutem cæleſtium, ſed in aliquam poteſtatem ſeparatam, & inuiſibilem Quarto, Quia effectum naturalem virtutis cæleſtis contingit inueniri ſine artis operatione. Et ſi enim aliquando artificioſè operetur aliquis ad generationem ranarum, ſerpentiũ, aut huiuſmodi: cõtingit tamen hæc fieri ſine vllo artificio. Sed nonnulla profitentur magi per magicam artem, quæ per aliam virtutem naturalem non inueniũ tur, ergo oportet vt illa ſint non à virtute cæleſti, ſed ab aliqua ſubſtantia ſeparata. Et hæc eſt ſententia omnium Platonicorũ, vt Porphyrij, Iamblici, Plotini, & aliorum ex eadem ſecta. Hoc ergo tanquam vero, & recepto pro certo, quòd magorum opera tribuenda ſunt ſubſtantiæ ſeparatę reſtat vt ponamus quartam quæſtionem talem.

10 An * author, & fautor magicorum operum ſit malus dæmon, an referenda ſint potius in bonos angelos, vel in ipſum Deum omnipotentem. Et ante omnia oportet ſcire, an omnino ſint dæmones. Nam quidam putant, quòd hominum vanitas & ſuperſtitio dæmones inuenerit, aut fecerit, de qua re in vera religione dubitari nullo modo poteſt: tota enim Scriptura veteris & noui Teſtamenti plena eſt teſtimonijs, vbi planè, & diſertè dæmones eſſe aſſeruntur. Et ratione probatur. Le

uitic.

uitic.enim. 17. interdicitur immolari hostias dæmonibus. Et Deuteronom. 32. in Cantico Moysi contra impietatem & ingratitudinem populi dicitur, quòd immolauerunt dæmonijs, & nõ Deo. Et. 2. Paralip. 2. dicitur de Hieroboam, quòd constituit sacerdotes excelsorum, & dæmoniorum. Et apud Tobiam prolixior historia texitur de dæmonio illo nomine Asmodæo. Et in psalmis Dauid frequens est mẽtio de dæmonibus. Item Iob 1. Cum venissent filij Dei ante faciem domini, affuit etiam inter eos Satan. Nec opus est aut plura ex veteri Testamento, aut aliquid ex nouo in re apertissima citare. Vnde & mirum videri potest, quomodo Sadducæi negauerint spiritum aliquẽ esse, vt legitur Actorum. 23. qui certè legem recipiebat, nec à consortio templi, & sacrificiorũ excludebantur. Et Iosephus. 2. lib. de bello Iud. & antiquitatum. 13. & 18. dicit de Sadducæis, quòd legem (sine alijs tamen obseruationibus) custodiebant. Sed quàm certum est in Scripturis dæmones esse, tam fuit olim dubitatum, & controuersum inter Philosophos. Peripatici enim pro maiori parte negant dæmones esse prorsus. Nec dubitatur, vt ait Auerrois, in epistola de resurrectione, quin hæc fuerit sententia Aristot. qui nullas nouit substantias spirituales præter motores orbium. Quod etiam putauit se demõstrasse. 12. Metaphy. & in lib. de cælo. Et de arreptitijs, qui vidẽ-

tur

tur à dæmonibus teneri, dicit vexari, ab humore malancholico in Problema. parte trigesima: & Alexander quidem inter Peripateticos nulli secundus constanter tuetur hanc partem. Quæ opinio ante fuerat Democriti, de quo historia scribitur, quòd cùm adolescentes quidam personati in dæmonum habitu & figura ad Democritum noctu penetrassent, quasi hominem territaturi, ille prorsus securus nullos dæmones esse, Desinite, inquit, desinite ineptire: ita certus erat nullos dæmones esse. Putãt autem Peripatetici vulgi persuasionem & opinionem de dæmonibus inde obrepsisse, quòd viri sapientes hæc terriculamenta cõmenti fuerint, vt ait Auerrois, ad arcendos, & terrendos improbos à sceleribus, quasi post hanc vitam mortalem supersint vltores malorũ, quos dęmones vocant. Et nominatim Simplicius & ipse Peripateticus, lib. de Anima Pythagoram tradit huius inuenti & figmenti primum authorem. Ex qua sentẽtia illa opinio orta est, quã suprà recitauimus, ꝙ oĩa opera magorum sunt naturalia.

Sed contra Aristot. & Peripateticos sit prima propositio ad quęstionem principalem, Stando
11 * etiã in recta & legitima philosophia, nullo modo est negandum dęmones esse. Hęc conclusio, sententia fuit omnium antiquorum Philosophorum Empedoclis, Pythagorę. Socratis, Platonis. Vnde & Plato in Politia tyranni, dicit animas impiorũ

piorum post mortem cruciari ab vltoribus. Et in symposio dęmones apertè ponit. Quod idem facit Xenocrates in libro de morte. Nam de Socrate dubium non est, qui etiam dęmonem se habere profitebatur tanquam authorem, & velut prę-ceptorem Philosophię, quam suggerere suis ciuibus curabat, & contendebat. Sequitur enim hanc opinionē tota turba Platonicorū. Herma. Mercurius in Pimādio, Proculus in Alcibiade, Iamblicus de mysterijs Aegyptiorum, Caladius in commento Timęi, Porphyrius in libro de occasionibus, Plotinus in lib. de proprio cuiusq;, Apuleius, qui etiam de Socratis dęmone librum scripsit. nec in hac re peripatetici omnes ausi sunt Arist. sequi, sed plures ab eius sententia desciuerunt. Vnde & Porphyrius citat pro sua sententia magnum Theophrastum, in qua etiam fuit Ammonius Philoponus, Auicēna, & eius socius Algazel. Imò ipse Aristo. aliquādo videtur nō fuisse alienus ab hac opinione, qui in lib. de mirabilib⁹ dicit, referēte Apuleio, Lemures, & Lamias habitare in orbe tristi. Pro hac opinione pauca vel nulla possunt fieri argumēta philosophica: sed cū etiam in cōtrarium nulla adducātur, talia sufficere deberēt cū authoritate summorum philosophorū fama publica & ęterna. Nam & ipse Arist. mundi ęternitatē probare nititur ex memoria patrū per manus tradita, & relicta. Et est sententia veridica, quòd nōnū

quam

quam aliquid ex opinione & persuasione communi probatur. Secundò etiam probatur ex operibus magorum, quæ, vt probatum est, necesse est referre in aliquam substantiam separatam, &, vt statim probabitur, non possunt tribui nec Deo, nec bonis angelis: ergo oportet ea assignare dæmonibus & certè, vt omittamus authoritatem religionis & scripturarum, vehementer confirmatur hæc sententia ex eo, ꝙ barbari homines, nec persuasi, nec decepti à philosophis, vt peripatetici calumniantur, eandem retinent fidem, & opinionem, nec dubitant dæmones esse, quales sunt isti, qui ab Hispanis ante aliquot annos reperti sunt, inter quos publica fama est dæmones esse, & non rarò aliquibus in ea regione apparuisse.

Sed vrgent peripatetici, obijcientes, ꝙ dæmones si sunt, nullum ordinem, nec locum naturalē videntur habere in orbe. Nec enim ordinātur ad res corporeas, & multo minus ad incorporeas, si quæ sunt: vnde videntur frustra esse in rerum natura, atq; adeò non esse. sed hoc argumentum fortasse satis probat, quòd dæmones non sunt per se in orbe, nec sunt partes seu pars physica mundi, sed per accidens, hoc est, ex malitia eorum ex substantijs cælestibus redacti sunt in substantias inferiores & infra cælestes, quos verbo Græco dęmonas appellant, quod paripatetici ignorantes, nihil mirum si homines alioqui sapiētes in hac parte

te lapsi sunt. ergo hoc fundamento firmiter iacto, redeũdo ad quæstionem, dubitatur, an opera magica referenda sint in Deum, vel in angelum bonum, an in dæmones istos. & videtur, quòd possint, & debeant referri in Deum. Primò, quia magis nihil aliud tribuitur, nisi quòd faciunt opera mirabilia, id est supra causas naturales, sed per gratias, quas theologi vocant gratis datas, fiunt similes operationes, scilicet supra totam facultatem naturæ. Cum ergo gratiæ sint à Deo, nihil videtur obstare, quominus magi credantur habere facultatem illam à Deo. Nec sufficit dicere, ꝙ gratiæ dantur ad effectus excedentes totam facultatem naturæ creatæ, etiam angelorum, & dæmonum, Ex quo constat esse à Deo. Nam inter gratias annumeratur gratia linguarum, & sanitatum vt patet. 1. Corin. 12. Sed vtrunq; non excedit potestatem angelorum, & dæmonum, qui certè nouerunt omnes linguas. ergo ex hoc non habetur differentia inter magicas artes, & gratias. Nec iterum sufficit respõdere, quòd magi sunt nequam viri, & sceleſti: contrà autem habẽtes gratias, sunt viri boni & pij. Nam primo hæc distinctio est per accidens, & nõ est distinctio rerum sed subiectorum, vt S. Tho. dicit. 2. 2. q. 172. art. 4. & q. 178. art. 2. Et præterea nihil prohibet, quin mali habeãt gratias, vt videtur ex illo. 1. Corinth. 13. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatẽ

autem non habeam, nihil sum. Vnde videtur, ꝙ possit etiam esse gratia miraculorum sine charitate. Et Hieronymus super illud Matth. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus, & virtutes multas fecimus? dicit. Prophetare, vel virtutes facere, & dæmonia eijcere, interdum non est eius meriti, qui operatur. Imò Augustl. libr. 83. q. affirmat quędam miracula sceleratos homines facere, quę boni facere non possunt. & Balaam habebat gratiam prophetiæ, vt patet Nume. 21. &. 23. &. 24. & tamen erat malus, & magus, vt gloss. dicit, Numerorum. 22. & Orige. homil. 13. super Nume. ergo malitia & bonitas non potest esse differentia inter magicas artes, & gratias. Nec iterum valet dicere, quòd magi in malos fines vtuntur magicis artibus, habentes autem gratias non abutuntur illis in malos fines. Nam iterum hæc differentia est extrinseca, & per accidens, nec inconuenit magum vti sua facultate propter bonum finem, vt ad soluendum maleficium, aut sanitatem conferendam. & si habentes gratias possunt esse mali, vt dictum est, poterunt abuti gratia omnino. ergo non apparet quare facultas magica non possit referri in Deum authorem, sicut & gratiæ gratis datæ. Vnde videtur solui argumentum Sanct. Thom. de potentia. quæstio. 6. artic. 10. Et contra Gent. lib. 3. cap. 106. quo vult probare, quòd magica opera non referuntur in Deum, aut bonum

spiritū:

spiritum: quia boni spiritus non cooperantur hominibus ad illicita opera perpetranda, quod plerunque fit per artes magicas. patet inquam argumentum non procedere. Secundò confirmatur de his hominibus, quos Hispani salutatores appellant qui (si vulgo credimus) opera faciunt supra facultatem naturalem, & tamen cùm plurimum sint homines perditi, & pessimis moribus: tamen credimus eos gratiam sanitatis habere à Deo, neque pro maleficis habentur, neq; puniuntur. Vnde ergo conuincere possumus, si quis magicam exerceat, quòd à dæmone potius quàm à Deo habeat. Tertiò, si omnino non placet referre magicas artes in Deum, saltem non videtur quare non referantur in bonos angelos potius quàm in malos. primò, quia certum est, quòd non minorem habent potestatem boni angeli, quàm mali. ergo si creduntur mali angeli communicare suam potestatem malis hominibus, quare non sunt credendi boni angeli communicare suam potestatem bonis & pijs? & sic saltem erit aliqua magia pia, & bona, quæ bonos angelos habeat patronos. Item quartò, si dæmones flectuntur precibus, & sacrificijs, vt operentur mirabilia secundùm vota impiorum, & sacrilegorum, quare etiam boni angeli non flectentur precibus piorum, & bonorum, vt in fauorem eorum faciant aliqua mirabilia? Item quintò, sal-

tem ad dissoluēda maleficia, & incātationes maleficorum, quare non sperandum est, quòd boni angeli communicent potestatem & virtutē suā, cùm omnino sit certum, bonos angelos propensiores esse ad beneficia conferenda, quàm dæmones ad maleficia? Item aliqui Magi vtuntur solis verbis sacris, & signo crucis, vt mulierculæ istæ, quæ, nescio quæ his signis faciunt. Item sextò, cū boni angeli possint præstare sanitatem præter solitum cursum naturæ, reuelare thesauros, dare scientias, & artes humanas, quare si aliquando aliquid huiusmodi contingat, quare, inquam referamus semper in malos angelos, nunquam in bonos. & si dicas, quòd cùm hęc fiant virtute diuina aut angelica, non dicuntur fieri arte magica, sed solùm quando fiunt dæmonis concursu, & virtute, iam disputatio tota erit de nomine, & frustra disputant doctores qua virtute Magi operentur.

At pro solutione quæstionis & dubij sit prima
12 propositio, Eadem* opera, vel similia fiunt per artes magicas, & per gratias gratis datas. Probatur. Nam ad gratias pertinet dæmonia eijcere, serpentes tollere, sanitatem cōferre, linguis loqui, vt patet Marci vltimo, & 1. Corin. 12. sed hęc fiūt à magis. ergo eadem opera sunt vtrisq; communia.

13 Secunda propositio, Aliqua * opera fiunt à magis, quæ nullo modo fiunt per gratias, & è contrario. Hæc patet, Nam magi operantur maleficia

multa,

multa, & beneficia, quæ nullo modo competunt gratijs gratis datis. è cõtrario autem inter gratias est prophetia, quam magi nullo modo habent, vt infrà disputabitur. ergo conclusio est manifesta in vtramque partem.

Tertia propositio, Magi* nihil operantur aut potestate diuina, aut potestate angelica. Hęc probatur primo, quia aliâs magicæ artes non essent in vniuersum interdictæ & iure diuino & humano, vt suprà ostensum est. Item si magi vterentur potestate diuina aut angelica, magia nõ esset ars, sed gratia, & donum. Non enim aut Deus, aut boni angeli alliciuntur in opera hominũ arte & disciplina, sed pietate, aut propria Dei & angelorũ bonitate, & gratia. Item tertiò, Certè procedit argumentum recitatum ex Sancto, Thoma. dato enim, quòd mali possint aliquando etiam miracula facere, non tamen hoc habent habitualiter, nec dicuntur habere gratiam. licet nonnunquam mirabilia per eos fiant propter reuerentiam nominis Christi, vt patet Matthæi. 7. vel ad amplificationem religionis & fidei, qua necessitate, aut opportunitate sublata, nulla supereſt in malis facultas ad huiusmodi opera: magi autem operantur ex habitu quandocunq; volunt. & præterea perniciosè, & cum magno hominum nocumento sæpe operantur: vnde constat non habere facultatem vel à Deo, vel à bonis angelis. Item quar- 14

tò, Quia, vt ait Sanctus Thom. contra Gent. vbi suprà, in operationibus magicarum artium contingit magna incongruitas, & dissonantia rerum quæ nullo modo potest tribui bono spiritui. requirunt enim huiusmodi artes (vt magi dicunt) hominem re venerea non attrectatum, cum tamen plerunque adhibeantur rebus amatorijs ad illicitos concubitus conciliandos. Item licet magi videantur habere scientiam occultorum, tamen nunquam, aut rarò extendit se notitia eorum ad certas artes, & scientias, sed in minimis quibusdam, sicut in inuentione futurorum, in deprehensione latronum. vnde constat, quòd spiritus, quibus innituntur magi, aut sunt ignorantes, aut inuidi, quia aut non possunt, aut nolunt impertiri suis nisi hæc minima, & inutilia, vnde non sunt boni spiritus. Item quintò, constat quòd boni spiritus non delectantur, nec vtuntur præstigijs, aut mendacijs: Magi autem plerunque ludificant homines, & decipiunt. Item vtuntur in suis operibus & incantationibus non solùm mendacijs, sed impossibilibus quibusdam imprecationibus. comminantur enim impossibilia, vt quòd deponent sidera, quòd vertent cælum, aut solem retro, vt narrat Porphyrius in epistola ad Anebuntem, & multa huiusmodi vana inueniuntur inter artes magicas, quæ manifestè conuincunt non esse à Deo, neque à

bonis

bonis angelis.

Quarta concluſio, Magi * in ſuis operationi- 15
bus nonnunquam vtuntur facultate ſolùm naturali. Hæc propoſitio probatur, Quia, vt ſuprà dictum, aliqua eſt magia naturalis ad operandum mirabilia, & maximè vtuntur herbis Magi vulgo ignotis, quæ continent præſentanea & efficacia remedia contra morbos, & alios effectus mirabiles habent, vt de cori ceſia, & calicia herba, qua aquam glaciari refert Plinius libro vigeſimoquarto, capit. decimoſeptimo, ex his enim ortum habuit magica, vt Plinius dicit. 3. libro, cap. 1. Item de menaide, cuius ſucco protinus ictus ſerpentum ſanantur: & varias, & multiiugas herbas refert Plinius, quibus Magi vtuntur, vel ad morbos depellendos, aut etiam inferendos, quæ cum ſint alijs ignotæ, & velociſsimæ operationis, pro miraculo ab omnibus habentur. Potuerunt autem magi huiuſmodi virtutes herbarum ſcire, vel traditione magnorum in medicina virorum: quales fuerunt Pythagoras, Democritus, Empedocles. Aut etiam dæmone reuelante, qua reuelatione ſemel facta, ſequentes Magi vti potuerunt naturaliter, & ſine concurſu boni aut mali ſpiritus. Et vulgares magi plurimùm hac ratione imponunt hominibus, & decipiunt vanos homines. Cùm enim aliquid huiuſmodi mirabile qui-

dem, sed reuera naturale præstant, pollicentur multa alia maiora, & mirabiliora, quæ tamen rarò implent.

16 Quinta propositio, Operationes * Magorum supra facultatem naturalem, malorum dæmonũ potestate & virtute fiunt. Hæc patet ex superioribus. nam si huiusmodi opera excedunt facultatem naturalem, & non possunt referri in bonos spiritus, necesse est, vt referantur in malos. Et hęc est sententia sancti Thomæ de potentia, & cõtra Gentiles, vbi supra. Et est determinatio Origenis homilia decimatertia Numerî. & homilia tertia in Iob, & est etiam determinatio sanctorum, vt Augustini, secundo de doctrina Christiana, & tertio de trinitate, & multis alijs locis prolixè disputat, & ostendit, quem vide.

Ad argumenta in contrarium. Ad primũ, quod est principale, respondetur, quòd quamuis ita sit, vt dictum est, quòd eadem opera possunt fieri à magis & à non magis, tamen non est difficile intelligere differentiam inter magum & non magum. Et primum omnium, quantum ad acquisitionem facultatis, qua aliquis operatur huiusmodi mirabilia, si enim habetur facultas per modum disciplinę & artis, hoc est, per libros, aut prȩcepto res, manifestum est illam facultatem non esse gratiam gratis datam, sed si non excedat facultatem rerum naturaliũ, potuit esse peculiaris aut secreta medici-

medicina phisica, aut si excedat facultatem naturalem, sequitur quòd est vera ars magica & dæmoniaca. Item, si tales vtantur verbis ignotis, aut etiam certis characteribus, aut aliis verbis nõ spectantibus ad effectum, qui speratur aut quæritur ex tali operatione, manifestum est non esse gratiam, sed magiam. Item, etiam si vtãtur signo crucis, & solis verbis sacris & religiosis, tamen si sint ritus & obseruantiæ peculiares & determinatæ, vt certis horis, ad certũ situ, stellarũ sub certo numero cruciũ, candelarum, ita vt non speretur effi cacia operis aliter, certum est non esse gratiam, sed magiam. Item, si vtuntur actibus & factis indifferentibus ad effectum, etiam est magia. Vt si ad expulsionem dæmonum radunt pilos, aut capillos, aut aliquid huiusmodi, est magia manifesta. Hæc omnia patent. nam veri sancti, qui gratiam Dei habent, nunquam vtuntur talibus ritibus & obseruationibus. ergo signum & argumentum efficax est, quòd qui huiusmodi vtuntur, nõ operantur ex gratia, sed ex virtute dæmonum, nec gratię per disciplinam & artem possidentur. sed, vt ait Apostolus, omnes gratias operatur vnus & idem spiritus, diuidens singulis prout vult magi autem alii ab aliis accipiunt aut artem, aut facultatem. Et licet bona, aut mala vita non sit ómnino efficax signum & argumentum, an virtus faciendi huiusmodi mirabilia sit à Deo, vel à dæ-

mone, tamen est magnum indicium: vnde qui hæc operantur, si prorsus sint homines improbatæ vitæ, credendi sunt potiùs malefici, quàm gratiarum possessores. Ad solutionem secundi argumenti, de salutatoribus, certè non satis mihi constat quid sentiendum, aut pronuntiandum sit, cùm videamus ex maiori parte esse homines minùs probatæ vitæ, & etiam vti aliquibus obseruationibus, non quidem adeo superstitiosis, sed nec satis religiosis, multùm vereor, ne sint impostores, & nullam efficatiam habeant, & si quam habent, ne illa sit potiùs à dæmone, quàm à Deo. Sed hæc dico non diffiniendo. nam gratiæ dantur propter bonum commune. Fieri potest, vt dominus illã misericordiam velit impartiri hominibus per istos, qualescunque sint isti. Vel potest dici de istis hominibus, sicut de Psyllis scribunt authores, qui sunt populi Lybiæ prope Garamantas, quorum corpori ingenitũ fertur exitiale virus serpentibus, vt ait Plinius libro septimo, capite secundo vt cuius odore sopirent eos. Et Plutarchus scribit in vita Catonis, cùm exercitum in Africam traiiceret, Psyllos secum habuisse contra serpentum vim & perniciem. Fortè ergo in istis similiter est aliquid naturale contra canum rabiem. Simile etiam de Psyllis scribit Varro fuisse in Hellesponto serpentum ictus contactu leuare solitos, & eandem vim dicuntur habere Marsi in

si in Italia.

Et sic ad tertium argumentum, quòd videtur maius, respondetur primò, quòd non est negandum, quin boni angeli communicent aliquando suam potestatem ad præstandum hominibus beneficia, sed hoc faciunt, non sicut magi ad ostentationem, vel sicut dæmones, vt colantur ab hominibus, sed solum ex charitate hominum, & vt Deo soli gratiæ habeantur & referantur: & ideo faciunt occultè regulariter, licet etiam visibiliter aliquando aliquid tale faciant, vt de Raphaële apud Tobiam, qui illo modo, quo Magi solent, vsus est corde & felle & iecinore piscis ad expellẽdum & reiiciendum dæmonem à domo Raguelis, & postea ad restituendum oculos Tobiæ. In quo vno facto satis intelligitur, & posse bonos angelos præstare omnia, quæ mali dant, & velle si ita expediat. Nec est dubitandum, quin multo plura beneficia recipiant homines à bonis angelis, etiam in ordine ad temporalia bona, quàm ab omnibus magis. Et præterea cùm sancti angeli sint de numero beatorum, fortasse nunquam semiscẽt rebus humanis, & terrenis, nisi speciali mãdato Dei: & ideo omnia beneficia, quæ homines recipiunt, quæ videtur esse supra spẽ, & facultatẽ naturalẽ, tribuuntur peculiariter Deo authori, siue sint immediatè à deo, siue mediãtibus Angelis. Imò hęc ponitur vna causa, cur angeli nõ operen

tur

tur visibiter & apartè, ne pro diis ab hominibus colantur. facilè enim homines diuinitatem arrogant illis, quos mirubilia operari conspiciunt, vt Actorũ. 14. in Lycaonia cùm Paulus Lystris claudum quendam in nomine Iesu sanasset, homines volebant Paulo tanquam Deo sacrificare: quod maius periculum esset de angelis, qui tam propè videntur accedere ad dignitatem, & ideo soliciti sunt, ne hanc occasionem præbeant hominibus. Vnde cùm Ioannes Apocal. 19. vidisset angelum & corruisset vt adoraret eum, Vide, inquit, angelus ne feceris, conseruus enim tuus sum & fratrũ tuorum.

¶ Et per hoc patet ad quartũ & quintum & sextum. Fatemur enim, quòd boni angeli flectuntur precibus & sacrificijs bonorum, & opera illorum dissolui maleficia & præstigia malorum angelorum, & multo maiora contingere bona, quàm sit reuelatio alicuius thesauri aut furti. Et ita tenendum est tanquam certum, quòd magicę artes vtũtur dæmonum virtute & authoritate, & nonbonorum angelorum in suis maleficijs.

Sed remanet vnum dubium, An* animæ defunctorum, maximè quæ sunt de numero damnatorum, misceant se magicis artibus & operibus. Et videtur quòd sic. Primo, quia sunt eiusdem malitiæ cum dæmonibus, & ideo videntur moliri & conari ad decipiendum homines, & tradendum in perdi-

in perditionem, ſicut ipſi dæmones. Itẽ, quia non rarò dicuntur intrare humana corpora, & apparere, & loqui hominibus, & magi dicuntur reuocare animas ab inferno, imò maga illa Pythoniſſa reuocauit animã Samuelis etiã à limbo. ergo.

Reſpondetur ad hoc dubium, quòd ſine dubio animæ defunctorum nunquam ſe miſcent operibus magorum. Hoc probatur primò, quia de ſanctis animabus, quamuis certum ſit, q̃ poſſint liberè deſcendere à cælo in terram, & iuuare mortales, vt ſanctus Thomas dicit in quarta, diſtinctione quadrageſima quinta, articulo tertio. tamen hoc non faciunt ad inuocationem, aut incãtationem magorum, ſed ex propria bonitate, vel ex permiſsione particulari diuina, ſicut aliquando etiam inueniũtur viſibiliter apparuiſſe, vt Auguſtinus narrat de Felice martyre, & plura exempla ponit Gregorius quarto dialogorũ, licet hoc non habeant ex natura ſua. non enim poſſunt aſſumere corpus, nec mouere. Animæ verò, quæ ſunt in purgatorio, exire à loco non poſſunt, & ſi aliquando permittantur ex peculiari gratia, veniunt potius ad petendum ſuffragia viuorum, quàm ad miſcendum ſe operibus magorum, aut mortalium prorſus rebus. Nec ſatis puto conſtãtem, & religioſam conſuetudinem, quæ cœpit corripere noſtrates homines, vt in neceſsitatibus ſperent & petant præſidium animarum in purgato

gatorio existentium. De animabus autem inferni non est timendum ne possint prodesse, aut obesse hominibus, quæ scilicet perpetuo sint carceri mancipatæ, nec possint etiam dæmonibus adiuuantibus inde exire. Et quamuis aliquæ apparitiones huiusmodi ferantur, probabilius puto, quòd nunquam anima semel damnata egressa est locum inferni. Cùm enim exire non possint, nisi ex mandato Dei, non est cur credamus hanc licentiam à deo habere, maximè cùm legamus historiam de diuite illo Luc. 16. qui nec ad fratres quidem liberandos, ne venirent in locum illum tormentorum, permissus est redire ad mortales. Atq; omnino ita credendũ est apparitiones istas quæ referuntur, cùm sint pro maiori parte falsæ, tamen si quæ veræ sint, esse ab ipsis dæmonibus, nec habẽdam esse fidem de istis dictis eorum, qui asserunt se ab inferno venire, etiam si alioqui videantur pia & religiosa monere. S. Thom. p. p. q. 117. arti. 4. ad secundum, citat August, 10. de ciuitate Dei & Chrysost. super Matt. dicentes, quòd dæmones frequenter simulãt se esse animas mortuorum, ad confirmandum errorem Gentilium, qui hoc habebant. ideo cauendum est ab illis visionibus.

Sequitur iã, vt dicamus in particulari, quid pos-
18 sint magi, & sit quinta quęstio in ordine, An* Magi possint miracula facere, & videtur quòd sic.

Pri

Primò, quia suscitare mortuos est miraculũ. vnde inter miracula Christi ponitur. Matth. 11. Euntes renuntiate quæ audistis & vidistis, Cæci vident, claudi ambulãt, mortui resurgunt: pauperes euãgelizãtur. Sed & Pythonissa suscitauit Samuelẽ. 1. Reg. 28. ergo possunt miracula facere. Et cõfirmatur. Ad suscitationem mortuorum nõ videtur requiri nisi dispositio materiæ; nam disposita materia, necessariò introducitur forma: sed videtur ꝙ dæmones possint disponere materiã, applicando actiua passiuis. Eiusdẽ enim rationis sunt dispositiones in resurrectione mortui, & in prima generatione, quæ sunt ab agẽti naturali. ergo magi dæmonis virtute possunt mortuos suscitare. vnde & resurrectio generalis futura est per angelos ministros. Item secũdo, Maius miraculũ videtur, ꝙ canis loquatur, vel cãtet, quàm ꝙ mutus loquatur: sed de Simone mago legitur, ꝙ faciebat canes loqui, & cantare, vt patet in itinerario Clementis. ergo.

Item Valerius maximus narrat primo li. ca. 8. ꝙ fortunæ simulachrum, quod Romæ erat in via Latina, non semel, sed bis loquutum est verbis his Ritè me matronæ vidistis, riteque dedicastis. quòd autem lapides loquantur, maius miraculum est, quàm quòd muti loquantur. Item in eodem, & in historia Romana legitur de virgine vestali, quòd aquã in vase perforato de Tyberi portabat,

tabat,aqua non effusa: hoc autem spectat admiraculum,vt aqua stet,& non fluat,vt patet in Iordanis diuisione,& eius statione.ergo.Item aduersitates Iob dæmone authore procuratæ sunt q̃ patet ex eo,quòd Deus dedit ei potestatẽ in omnia quæ erãt Iob:sed huiusmodi aduersitates nõ sine miraculo contigerunt, vt patet de igne de cælo descendente,vnde & 3. Regum.18.Elias in hoc probauit prophetas Baal,vt descenderet ignis de cælo,& consumeret sacrificium. ergo.Item eadẽ quæ boni faciunt per miraculum, magi faciunt, vt patet de serpentibus Moysi, & magorum. ergo.Præterea, Vxor Lot mutata est in statuam salis.Gene.19.& hoc à dæmonibus.vt S. Thom.dicit de malo. quæstione decimosexto & quæstione. nono adtertium.ergo.Pro solutione notandum. quòd miraculi nomen à mirando est assumptum. Ad admirationem autem duo concurrũt,vt potest accipi ex verbis Philosophi in principio Met. quorum vnum est,quòd causa illius, quod admiramur,sit occulta.Secũdum est, quod in eo,quod miramur,sit vel appareat aliquid per quod videatur contrarium debere contingere eius,quod miramur. Sicut aliquis posset mirari,si videret ferrum ascendere ad magnetem, ignorãs eius virtutem.Sed hoc potest dupliciter contingere. Vno modo secundum se,alio modo quo ad nos Multæ.enim causæ naturales sunt ignotæ & occu-

occultæ quo ad nos. Virtus autem diuina est simpliciter occultissima, & remotissima à nobis, quę in rebus omnibus operatur secretissimè: & ideo ea, quæ per aliquam virtutem creatam fieri possunt, miranda quidem, & mirabilia dicuntur. Sed miracula propriè dicuntur, quę sola virtute diuina fieri possunt, quæ scilicet tota natura creaturarũ miratur. Et licet miraculi nomine Latini vtãtur ad significandum quoduis stupendũ. ac mirandũ tamẽ theologi solùm illud in hac significatione vsurpãt, & meritò, licet Aug. tertiò de triui. & alibi non timeat vocare opera magorum miracula. Ideo respondendo ad quæstionem sit vnica conclusio. Magi* non possunt miracula facere. 19
Probatur primo ex ipsa significatione vocabuli, vt dictum est. nihil enim faciunt, ad quod diuina virtus exigatur. Secundo, quia si magi possent vera miracula facerè, sequeretur quòd miraculum non esset efficax argumentum deitatis, & veritatis, & sic periret ratio confirmandi ea, quæ sunt fidei, quæ miraculis comprobata sunt.

Ad argumenta in contrarium. Ad primum de Samuele respondetur, ꝙ dubium est, an verè Samuel fuerit suscitatus, an potiùs fuerit aliquod phantasma. & Augustinus quidem ad Simplicianum putat probabile, quòd fuerit verus Samuel, qui apparuit Sauli, & nuntiauit euentum belli propter hoc, quòd legitur Ecclesiastici. 46. quòd

dormiuit Samuel,& notum fecit regi finem vitæ suæ. Hoc ergo tenendo diceremus,vt dicit Augusti.quòd non dominante arte magica, sed dispositione dei occulta, quæ Pythonissam, & Saülem latebat, permissum est, vt spiritus iusti se ostenderet aspectibus regis, diuina eum sententia percussurus. Nonnunquam enim dum dæmon consulitur,ipse Deus per suum nuntium veritatem annuntiat,sicut per Eliam veritatem respondit nuntiis regis,qui mittebantur ad consulendum deum Accaron,vt habetur. 4. Regũ.1.

Ad confirmationem dico,quòd sine dubio dæmones non possunt disponere materiam ad introducendum animam, quæ semel separata fuit à materia:requiritur enim identitas corporis ad identitatem indiuidui, & ideo semel corruptum,nõ potest idem numero redire, nec solùm hominem, sed nec muscam possent dæmones suscitare. Vnde si quæ suscitationes mortuorum leguntur à magis factæ, vt ab Apollonio, Simone vel aliis,omnes fuerunt præstigiosæ,& non secundum veritatem,vt de Simone summo magiæ artifice legitur, quòd apud Phoram Ephesi oppidum præsente Ioanne euangelista, tres mortuos suscitauit,sed paulo pòst omnia euanuerunt tam quam fallacia,& præstigiosa.vnde Sanctus Tho. 3.senten.d.21.q.2.arti. 4. q.2. ad quartum dicit, q̃ ea quæ dæmones faciunt præter viam naturæ,

non

non sunt diuturna.

Ad secundum respondetur, quòd loquutio canum, & alia huiusmodi potuerunt fieri à magis per illusionem sensuum, & non per effectus veritatis. Si tamen per veritatem factum est, non dabat cani dæmon aut magus virtutem loquendi, sicut datur mutis per miraculum, sed ipsemet dæmon sonum literarũ, & articulatæ vocis similitudinem habentem formabat, sicut & asina Balaam intelligitur fuisse loquuta, angelo bono operante. & similiter dicendum est ad tertium de locutione simulacri.

Ad quartum respondet S. Tho. de potentia q. 6. arti. 5. ad. 5. quòd non dubium est, quin in commendationem castitatis Deus verus per suos angelos bonos huiusmodi miraculum per retentionẽ aquæ fecisset: quia si qua bona in Gentilibus fuerunt, à Deo vero fuerunt. Si autem, quod propius vero est, per dæmones factum fuit, nullum fuit miraculum: dæmones enim possunt mouere localiter, & sistere corpora, vt infra dicetur.

Ad quintum dicitur, q̃ dæmones sua naturali virtute applicãdo actiua passiuis, possunt cõflare ignem in media regione aëris, & inde concitare deorsũ in terrã. Et sic factũ est in tentatione Iob.

Ad ultimum dicitur, q̃ verè ita est, quod idem opus factum à bonis & piis hominibus, est miraculũ, quod idẽ à mago non est. Nam homo non

potest,nec nouit applicare actiua passiuis,nec semina,nec causas occultas naturæ ad conficiendũ celeriter & subitò effectum aliàs naturalem,& ideo non potest hoc facere nisi virtute diuina: dæmones,verò,qui omnia naturalia optimè nouerunt possunt vtendo causis naturalibus hæc eadem subitò facere. Vnde quòd Aaron conuerteret virgam in serpentem & similiter quòd vir sanctus det sanitatem subitam alicui,miraculum est quod idem magus sine miraculo potest facere, scilicet dæmone adiuuante,& causas naturales quidem,sed hominibus occultas,applicante. Vnde Augustt.3.de trinitate,c.10.Illa, quæ per angelos fiunt,quo difficiliora,& ignotiora,eo mirabiliora sunt nobis,illis autem tanquam suæ actiones notæ,atque faciles,sicut etiam ibidem ait August.c.5.Solennia & vsitata fulgura miracula nõ sunt,sed cum in monte Sinai inusitato modo fierent,miracula erant.

20 Quæstio sexta est,An* magi possint cogere dæmones pro suo arbitrio.Et videtur q̃ sic.Vt enim narrat Augu.10. de ciuitate dei. ca.9.Porphyrius refert se vidisse, quòd quidam vir Chaldæus tactus inuidia, adiuratas spirituales potentias precibus alligauerit, ne postulata concederent.& in 21.eiusdem libri c.6.dicit.Non potuit primum nisi dæmonibus docentibus discì, quid quisque illorum appetat,quid exhorreat.quo inuitetur nu

mine

mine vel cogatur, &c. ex quo videtur, quòd sint aliquæ incantationes, quibus dæmones cogantur. Item Iosephus de antiquitatibus lib. 8. scribit quòd Salomon instituit incantationes, & modos coniurationum, quibus obstricti dæmones ne de nuo redeant, effugantur. & ipse Iosephus dicit se vidisse Eleazarum quendam, qui præsente Vespasiano, & eius filiis, vsus adiuratione Salomonis & radice à Salomone monstrata, dæmones expulit ab obsesso, cuius operis argumentum dedit, q̃ calicem aqua plenum ante eos posuit, & dæmoni imperauit, vt egressus ab homine, illum euerteret, quod & factum est. Item tertiò, cùm dæmones sint superbissimi, non est probabile, quòd nisi cogerentur, aduenirent ad minas, & terrores, & mendacia incredibilia, quę multùm derogant excellentiæ & sapientiæ ipsorum dæmonum. Vnde & Augu. 10. de ciui. c. 11. introducit verba Porphyrii sic dicentis, Quid sit quòd non dæmoni vel alicui animæ defuncti. sed ipsi Soli & Lunæ aut quicunq; cælestium homo vitio cuilibet obnoxius intendit, minas eosque territat, falso vt eis extorqueat veritatem, Nam & cælum se collidere minatur, vt illi dii tanquam insipientissimi pueri falsis, & ridiculis comminationibus territi, quòd imperatur efficiant. Item quarto, Nisi dæmones cogerentur, non allicerentur per quę dam, quæ ipsi oderunt, sicut per virginitatem im

precantis, cùm tamen ipsi ad incestos concubi-
tus homines inducere conentur. Item quintò, Sal
tem videtur, si magi vtanturverbis sacris, vt in no
mine Iesu, & virtute crucis, Iuxta illud ad Philip
pen. 2. In nomine Iesu omne genu flectatur, quòd
dæmones cogantur. Nam certum est quòd dæ-
mones oderunt illa nomina, & abominantur glo
riam Christi. ergo si possent non venire, & non
respondere mago, nunquam responderent, &
tamen aliqui magi dicunt se solùm vti verbis sa-
cris, & efficaciter operari: & mulierculæ vtun-
tur solùm signo crucis ad curandum certas infir-
mitates, de quibus non creditur, quòd habeant
gratiam sanitatis, sed quòd sint maleficæ. ergo.

Pro responsione sit prima propositio, Dæmo
21 nes* cogi possunt & aliquando coguntur ab ho-
minibus. Probatur quia inter gratias gratis da-
tur potestas super dæmones, vt patet ex illo Mar
ci vltimo, In nomine meo dæmonia, &c. Item
secundo patet, quia apostoli, & sancti viri sæpe
dæmones expulerunt ab obsessis: & certum est,
quòd inuitos. non enim dæmones, si possent,
darent operam ad gloriam & manifestationem
nominis Christi, & eius religionis. Et etiam legi-
tur sanctos viros imperasse dæmonibus aliquan
do aliqua opera. ergo.

22 Secunda propositio, Ab* angelis etiam pos-
sunt cogi dæmones, & aliquando coguntur.

Et

Et hoc primum probatur, quia angeli possunt virtute diuina coërcere dæmones, sicut sancti viri possunt, potestate, item naturali, saltem angeli superiores, qui vt statim disputabitur, habẽt potestatem naturalem supra inferiores. ergo. Vnde vt ait sanctus Thom. de potentia, quæstione sexta articulo decimo. ad ordinem potestatum pertinet arcere dæmones. Et ita non est dubitandum, quin angeli custodes semper prohibeant dæmones accedere ad suos clientes, ne noceant eis, & præsides prouinciarum impediant frequenter dæmones à detrimentis & nocumentis, quæ cuperent & possent inferre ciuitatibus, & agris, & fructibus, & aliis mortalium bonis.

Tertia propositio, Ad * coërcendum dæmo- 2
nes virtute diuina aut angelica, multùm refert, quibus verbis aut signis homines vtantur, etiam si loquamur de verbis sanctis aut sacris signis. Probatur, nam cùm ecclesia habeat ex authoritate Christi potestatem super omnia dæmonia, multùm interest ad coërcendos malignos spiritus vti verbis & exorcismis ab ecclesia institutis, quæ sine dubio maiorem virtutem habent, quàm quæcunque alia verba & signa. Sicut etiam exorcistæ ab ecclesia instituti maiorem potestatem habent ad expellendos dæmones, & aqua benedicta secundum ritum ecclesiæ

maiorem vim habet quàm si aliis verbis esset benedicta, aut consecrata. pro certo enim pro authoritate, & reuerentia ecclesię credendum est q Deus siue per se immediatè, siue per angelos suos concurrat ad talem inuocationem.

24 Quarta propositio, Nulla* verba, nec exorcismi habent infallibilem efficaciam ad cogendum dæmones, & arcendum illos, ita vt semper fortiantur effectum suum. Probatur, quia cùm verba, aut signa non habeant talem efficaciam ex natura sua, sed solùm virtute diuina, aut angelica, non alligauit Deus potestatem suam ex lege sacramentalibus verbis, sicut nec sacramentis, sed operatur quando sibi placet ad gloriam suam, & vtilitatem credentium, & multùm facit ad hoc pietas & fides ministrorum. Idem dicendum est de reliquis sanctorum, & signo crucis, & cæteris. Quare aliter habent sacramenta effectũ, aliter sacramentalia. Vnde Actorum decimonono dicitur de filiis Sceuæ, quòd inuocabant nomen Domini Iesu super eos, qui habebant spiritus malos, dicentes, Adiuro vos per Iesum, quem Paulus prædicat. Respondens autem spiritus malus dicit: Iesum noui: & Paulum scio, vos autem qui estis? Et insiliens inualuit contra eos.

25 Quinta propositio est: Magi* aliquando possunt cogere dæmones. Probatur: quia dęmõ superior habet potestatem coërcendi dæmonem infe-

rio

riorem vt ſtatim diſputabitur, ergo magus ex pacto & fœdere, quod habet cum dæmone ſuperiore poteſt cogere inferiorem dæmonem reijciendo, aut expellendo illum. Et hoc eſt, quod Iudæi calumniabantur de Chriſto, In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Quam calumniam Chriſtus non ita confutauit, quaſi hoc eſſet homini impoſsibile, ſed alijs rationibus & argumentis. Nec Iudæi tantùm imponebant Chriſto magum ipſum eſſe, ſed, vt refert Auguſtinus libro primo, de conſenſu euangeliſtarum, capite nono pagani ita dicebant, & obijciebant Chriſtianis, Chriſtum magicis artibus illa mirabilia patraſſe, de qua re libros ſcripſiſſe & reliquiſſe.

Sexta propoſitio, Magos * nunquam puto co 26
gere dæmones, niſi iſta ratione poſita in præcedenti concluſione. Probatur, quia magi vtuntur verbis, & ſignis, & applicatione herbarũ, aut aliarum rerum naturaliũ: ſed omnia iſta nõ poſſunt cogere dæmones, quia non eſt poteſtas quæ comparetur ei. Iob quadrageſimo primo. Ergo ipſe magus, aut per ſe, aut ratione rerũ, quibus vtitur, non poteſt cogere dæmones. Item, vt arguit S. Thomas, verba de ſe, ſecluſa ſignificatione, nullã efficaciam habent, niſi fortè in auditum, inquantum autem ſunt ſigna, ſolùm poſſunt mouere intellectum in ratione obiecti, quare non poſſunt efficaciter, & infallibiliter cogere dæmonẽ. Nul-

la enim signa possent cogere hominem, qui tamẽ est multo imperfectior angelo, siue bono, siue malo, & intellectu & substantia.

27 Septima propositio, Magi * habentes fœdus cum aliquo dæmone principali, possunt cogere inferiores dæmones, non autem ipsum principalem dæmonem: non habentes autem tale fœdus, nullo modo possunt cogere vllum dæmonem: sed dæmones voluntariè concurrunt ad operationes magorum. Hæc sequitur ex superioribus. Et confirmatur, quia magi sæpe deficiunt in suis operationibus, vt ipsimet fatentur, etiam seruato toto ritu & cæremonia magica. ergo manifestum est, quòd non cogunt dæmones.

28 Octaua propositio, Tota * opera & efficacia magorum fundatur & nititur in condicto & pacto inito & firmato cum dæmonibus. Ista sequitur ex præcedentibus. Nam si dæmones non coguntur, & respondent, & veniunt ad inuocationes magorum & non aliorum hominum, manifestum est quòd hoc non potest fieri, seu prouenire, nisi ex mutua conuentione & fœdere magorum & dæmonum, vt clarissimè patet.

Ad argumenta autem in contrarium. Ad primum patet, quòd ille Chaldæus habebat pactum cum aliquo dæmone excellentiore, & virtute illius poterat coercere dæmones inferiores: & Porphyrius fortasse putabat maiorem vim inesse magicis

gicis incantationibus.

Ad secundum respondet Sanctus Tho. quòd si Salomon instituit illos exorcismos tempore quo erat dilectus Deo, potuerunt illæ incantationes habere aliquam vim ex institutione illius, sicut possent habere adiurationes institutæ ab aliquo sancto viro, quemadmodum habent maiorẽ vim adiurationes ab ecclesia institutæ. Deꝰ enim ex meritis & orationibus sanctorum concurrit specialiter cum operibus illorum. Si autem Salomon illos exorcismos ordinauit postquam recessit à cultu, & religione Dei, dicendum est de illis exorcismis, sicut de alijs incãtationibus magicis.

Ad tertium dicendum, quòd dæmones veniunt, & illis mendacijs & vanissimis comminationibus alliciuntur vt homines confidant in mẽdacijs & fabulis, & quomodocunque vtantur adiutorio dæmonum.

Ad quartum dicitur, quòd dæmones aduenĩũt ad nomen & titulum virginitatis, vt suadeant hominibus eos amare virginitatem, quasi sit argumentum excellentiæ & munditiæ eorum.

Ad quintum respondetur primò, quòd rarò, aut nunquam magi vtũtur solis verbis sacris, sed semper miscent alia verba, aut ritum, & cæremoniam superstitiosam. Sed si aliquando vtuntur solis verbis sacris, hoc dæmones faciunt, vt vani homines putent eos non excluſos & alienos à religione

gione Christiana. Vel fortasse aliquando dæmones coguntur etiam à magicis, virtute tamen diuina, propter reuerentiam verborum sacrorum, sicut suprà diximus, quòd mali etiam aliquãdo faciunt miracula. Vnde Casiodorus dicit lib. 6. tripartitæ capit. 1. quòd cùm magus quidam perduxisset Iulianum apostatam ad quendam locũ Senatus, tamẽ illic aduocati dæmones apparuissent terrore compulsus Iulianus, frontem signo crucis muniuit, quo viso, dæmones repente disparuerunt, quod valde mirandum est etiam ab homine apostata.

Dubitatur circa propositiones, & maximè cõtra vltimam. nam multi bona fide vtuntur magicis incãtationibus, & adiurationibus, qui nec volunt, nec vellent aliquod commercium habere cũ dæmonibus. Et si putarent dæmones quocunq; pacto interesse, aut dare fauorẽ in suis operationibus, nulla ratione illis vterentur, sed prorsus abhorrerent, & cessarent à tali vsu & negotio. ergo videtur, quòd efficacia magorum seu magicarũ artium non sit semper ex instantia & commercio dæmonum, sed q̃ in ipsis ritibus & operationibus magorum sit aliqua mala virtus & efficacia.

Respondetur, vt ait Augustinus secundo super Genesin, ad literam, quòd dæmon sæpe miscet se hominum operibus, illis ignorantibus & nolentibus, & sic sæpe contingit in istis superstitiosis ritibus:

bus:homines enim,& maximè fœminæ ſtultę bona fide vtuntur huiuſmodi ritibus & verbis ad remedia infirmitatum,& ſine dubio dæmones aſſiſtunt operationibus illorum,vt decipiant,& perſuadeant confidere in rebus vanis, & hoc eſt fœdus tacitum cum dæmonibus,vt Auguſtinus ibidem dicit. Vnde etiam eſt notandum, quòd licet Auguſtinus dicat,quòd non poteſt ſciri,niſi ipſis docentibus,quibus ſignis, aut rebus dæmones alliciantur: tamen pro certo dæmones miſcent ſe, & adueniunt quibuſcunq; ſuperſtitionibus,ac intelligunt homines confidere,& maximè ſi ex intentione velint inuocare dæmones.

Ex quinta propoſitione, vbi dictum eſt, quòd magi fauore, & virtute ſuperioris dæmonis poſſunt cogere inferiores, oritur dubium,An * ſuperiores dæmones habeant aliquam poteſtatem in inferiores. Et videtur quòd non:nam in dæmonibus non ſunt aliæ potentiæ,niſi intellectus & voluntas,ſed illæ non ſunt potentiæ actiuę ad extrà vt Philoſophus videtur dicere nono Metaphyſicorum.Et patet exemplo in hominibus, vbi intellectus & voluntas nunquam agunt ad extrà, niſi mediante aliqua potentia.ergo videtur,quòd dæmones non habeant aliquam actiuitatem ſuper alios dæmones. Item, quia vel illa poteſtas eſſet naturalis, aut gratuita:non ſecundum,vt conſtat ergo primum ſi igitur eſſet naturalis, ſequeretur, 30

quòd

quòd dæmones perfectiores in naturalibus habe rent potestatem naturalem super alios angelos imperfectiores in naturalibus. hoc est inconueniens, ergo. Item tertiò, Si aliquid possent superiores in inferiores, maximè videretur quo ad motum localem. non enim apparet quid aliud possent imprimere superiores in inferiores. Sed hoc non videtur, ergo nullam habent potestatẽ. Probatur minor, quia dæmones, sicut angeli, nõ sunt in loco nisi per operationem: sed in dæmonibus non est alia operatio, nisi intellectus & voluntatis, ad quas cogi non possunt. ergo non apparet quomodo dæmones superiores possint cogere inferiores ad motum localem.

Pro responsione est prima conclusio, Dæmo-
30 nes * superiores possunt cogere inferiores. Hæc probatur primò, quia dæmones inter se habent prælationes & principatus, saltem ex nequitia & concordia illorum. Ex odio enim & inuidia, qua tenentur erga homines, non est dubitandũ quin percusserint fœdus, & inter se constituerint ordines & societates ad istum finem, vt homines perdant: & sic, vt ait S. Tho. p.p.q.109. artic 2. aliqui dæmonũ sunt præfecti, & velut principes ad imperandum alijs, & inferiores dæmones se subijciunt illis, quos potentiores viribus vidẽt ad propriam nequitiam exequendam. Et ideo Christus Lucæ. 11. vocauit societatem Deorum regnum.

Omne,

Omne, inquit, regnum in se diuisum, desolabitur: & si satanas satanã eijciat, quomodo stabit regnũ eius? Iste est ergo vnus modus, quo superiores dæmones possunt inferiores cogere, scilicet per imperium, cui inferiores resistere non audent ex cõmuni concordia. Secundo etiam ex naturalibus suis hoc possunt, quia vbicũq; sunt res subordinatæ, oportet q̃ etiam actiones subordinentur sibi inuicẽ. Sicut patet in rebus corporalibus, qa enim inferiora corpora naturali ordine sunt infra corpora cælestia, actiones, & motus eorum subduntur actionibus, & motibus corporum cælestium. Sed manifestum est, q̃ inter dæmones aliqui sunt superiores in naturalibus. ergo habẽt potestatem naturalem supra inferiores. Et confirmatur, quia dæmones habent potestatem mouendi localiter animas, & alligandi. ergo eadẽ ratione habebunt potestatem supra dæmones inferiores: & iste est alius modus, quo superiores angeli possunt coercere inferiores. Vnde S. Tho. 3. p. q. 43. art. 2. adtertiũ, dicit, quòd dæmones superiores sua naturali virtute poterant pellere & de facto aliquãdo pellunt dæmones inferiores à corporibus & August. 21. de ciui. Dei dicit, q̃ dæmones per Necromãtiã potestate superiorũ dæmonum alligantur aliquibus imaginibus, vel annulis, aut alijs rebus. Et S. Tho. de aĩa. q. 21. dicit, q̃ aliqua substãtia spũtualis alicui corpori alligetur, nõ est ex virtute corporis

potentis

potentis subſtantiam incorpoream detinere, ſed eſt ex virtute alicuius ſubſtantiæ ſuperioris alligantis talem ſubſtãtiam tali corpori: ſicut etiam arte magica, Deo permittẽte, virtute ſuperiorum dæmonum aliqui ſpiritus alligantur annulis vel imaginibus. Idem dicit. 4. contra Gent. cap. 90. & multis alijs locis. Et Petrus de Palud. 4. d. 44. q. 7. dicit, quòd angelus fortior poteſt ſiſtere & tenere minus fortem.

Ad argumenta autem in contrarium. Ad primum reſpondetur, quòd in angelis eſt ſine dubio potentia motiua, ſed illa non diſtinguitur ab intellectu, & voluntate.

Ad ſecundum dico, quòd re vera ita eſt, quòd ex ſuis naturalibus aliqui dæmones poſſent obſiſtere angelis, & eos coercere, ſed non permittuntur à bonitate diuina, & etiam gloriæ dotes ſufficiunt ad reſiſtendum.

Ad tertium pro nunc reſpondetur, quòd angelus, aut dæmon poteſt eſſe in loco per paſsionem, ſicut per operationem, & ſic dæmon inferior patitur à ſuperiori, per hoc, quòd applicatur loco vel expellitur ab eo, ſicut animæ ſunt in purgatorio, aut in inferno, non agendo, ſed patiendo.

Sed occurrit ſtatim dubium non diſsimulan-
31 dum,* Quo pacto dæmon ſuperior poteſt tenere inferiorem alligatum annulo, aut imagini: abſente enim ſuperiore dæmone, non videtur quomodo

do posſit impedire inferiorẽ, ne recedat. Ad hoc reſpondetur primo, quòd profectò virtute naturali non poteſt alligare inferiorem, ita vt eo abſente alius diſcedere non valeat. Secundo dico, quòd poteſt cogere illo modo, vt ſi diſceſſerit retrahat ad eundem locum. Tertio dico, quòd poteſt cogere ad remanendum imperio, cui inferior, vt dictũ eſt, ſubiectus eſt. Quarto dico, quòd non eſt veriſimile, quòd dæmon, qui alligatus eſt annulo, aut imagini, ſemper ſit præſens imagini, ſed dicitur alligatus, quia vocatus à poſſeſſore annuli, ſemper venit, nec indiget tempore ad redeundum vbicũque ſit, & ad quamcunque diſtantiam poteſt cognoſcere quid rerum geratur apud illum, in cuius poteſtate annulus, aut imago eſt: ſed miſeri magi putant ſe tenere dęmones tanquam compedibus & ex maxima parte ſunt fabulæ, quę de huiuſmodi dicuntur annulis, aut imaginibus.

Septima quæſtio, An * magi virtute dæmonum poſſint tranſmutare corpora localiter, hoc eſt, transferre (vt ferunt) per multa terrarum ſpatia ſumma celeritate. Et videtur quòd non, quia ſi corpora obedirent dæmonibus quo ad motum localem, ſequeretur quòd ſaltem quantum ſpectat ad naturam eorum, poſſent deſtruere ordinẽ, & machinam vniuerſi, puta mouere cælum contrario motu, & tollere terram loco ſuo: hoc nõ eſt dicendum, quòd aliqua creatura habeat poteſta- 32

tem supra totam naturam, & possit perdere vniuersum, &c. Non enim angelis subiecit orbē De⁹. ad Hebr, 2. ergo. Item si habent illam, potestatem, quomodo nunquam liberant amicos suos à manibus iudicum? Item arguitur ex. c. episcopi, 26. quæstio. 1. vbi, vt relatum est, damnantur qui credunt mulierculas deferri noctu per aera. Item nō apparet quomodo id possit fieri, an impellendo, aut aliter se habendo. Ad hanc quæstionem sit cō
33 clusio, Dæmones * & magi virtute dæmonum possunt mouere, & transferre corpora de loco ad locum. Probatur primo authoritate Augusti. 3. De trinitate, qui dicit, dæmones adhibere semina corporalia ad aliquos effectus producendos: hoc autem non fit nisi per motum localem. ergo, &c. Item, Satan concussit quatuor angulos domus Iob, quæ corruens oppressit liberos eius. Iob. 1. Item patet manifestè in obsessis à dæmonibus, quos dæmones aliquando inuitos mittunt in ignem, & præcipitant deorsum, & iactant, & raptant variè: nec videtur alius modus, quo dęmon possit occupare humana corpora, nisi subijciendo quo ad motus locales, vt mouendo linguam, aut tenendo alia organa, & membra corporalia. Vnde nulla ratione potest negari, quin dæmones possint mouere localiter corpora. Item quia angeli mouent cælos, & mouent animas. Item assumunt corpora frequenter, & apparent in eis.

quod

quod non sit sine motu locali.

Ad argumenta autem in contrarium, ad primum respondetur, quòd* nec vnus angelus, aut 34
vnus dæmon, nec omnes simul possent aut sistere cælum, aut contrario motu mouere, aut terram mutare de loco suo, vt ait. S. Th. de potẽtia, q. 16. art. 8. &. 3. contra Gen. c. 108. & ratio est connexio & ordo vniuersi, contra quẽ nulla causa particularis potest ex ipso ordine naturali, sicut nec omnium dæmonũ artificio posset dari vacuum. Posset enim dæmon tollere aerem de loco vbi est: sed hoc suppositio, omnes dęmones non possent obsistere, quomin⁹ ali⁹ aer succederet in loco prioris.

Ad secundum de illo capite episcopi. Iurisconsulti ex illo loco multùm dubitant, vtrum ea quę feruntur de istis mulierculis strigibus, an verè gerantur, an sit sola illusio sensuum. Et vix adduci possunt, vt credant in veritate mulieres transferri per aera, & deduci in solitudinem, aut in quemuis locum in societatem hominum, & dæmoniorum. Et quidam frater Samuel ordinis minorum proprio opusculo satagit defendere hanc opinionem, quòd nunquam verè dæmon transferat huiusmodi mulierculas, sed quòd rapit sensus earum, & relinquit velut exanimes, & interim illudit, & commouet ita sensus interiores, vt verè putent illa geri, scilicet se volare, & verè commiscri cõcubitu aut dæmoni, aut alicui ex suo satellitio

cum tamen loco nõ fuerint mutatæ. Et dominus Abulen. testatur se experientiam de hoc sumpsisse, nam cùm muliercula vna ex illo numero corã eo vnxisset se vnguento, statim corruit sine sensu ita vt titione pedem illius combusserit, nec excitaretur, sed post spatium temporis cum ad se redisset, narrabat mirabilia, scilicet se fuisse in campo cum multitudine hominum, & alia, quæ solẽt referri. Sed frater Ioannes Dodo ordinis prædicatorum fecit apologiam cõtra Samuelem, vbi tuetur sententiam, quòd licet ita sit, quòd plerumq; ista fiant à dæmone per solum præstigium, & illusionem sensuum, tamen aliquando verè gerũtur. Et ita tenet Turre Cremata super illud c. episcopi. Et ita tenendum est, quia postquàm dæmones possunt realiter ista facere, credendum est, quòd aliquando verè faciant. Et hoc exploratum, & cõpertum est multis testimonijs, & experientis. Ad verba autem c. respondetur à Turre Cremata, q̃ in illo capitulo multa continentur, quæ verè non gerebantur, vt quòd equitarent cum Diana, cum Herodiade. Nam Diana nulla est, Herodias autẽ est in inferno, nec permittitur exire ei, nec est mulier, sed sola anima. Item quòd veri essent ibi equi, aut bestiæ, quibus per aera volarent. Equi enim, & alia, quæ ibi continentur, non verè, sed præstigioſè facta sunt, non negat autem capitulum, quin mulieres possent verè à dæmonibus portari

portari per aera.

Octaua quæstio, An * magi possint pro suo ar- 34
bitrio immutare corpora, immutare, inquam, alterando secundum qualitates, putà immittendo morbos, & contrà præstando sanitatem. Et videtur quòd nō. Nam dæmones, quorum virtute magi operantur, sunt incorporei, & immateriales: cùm ergo nihil agat nisi in sibi simile, non videtur qua ratione possint dęmones imprimere qualitatem corporalem in rem materialem. Item sanctus Augustinus, vt suprà citatū est, negat quòd illæ immutationes sociorum Vlyssis, & Diomedis, quæ dicuntur à Circe factæ, fuerint veræ, sed solum secundum apparentiam sensuū. Sed si dæmones possent immutare materiam, eadem ratione possent immutare figuras rerum naturalium, & sic potuissent verè socios Diomedis & Vlyssis retinere sub figuris ferarum, & volucrum. Itē grauissimum periculum immineret nobis à magis, qui cùm sint socij dæmonum, reputandi sunt tanquam hostes mortalium, si morbos, & mortes possent inferre hominibus: nec est verisimile, quòd Deus talem potestatem permiserit dæmonibus ad perniciem humani generis. Item si possunt sanitatem præstare, sequeretur quòd possent ab omni morbo sanare, & sic facere homines immortales. De hac quæstione Philosophorum nō fuit vna sententia. Auicena quidem posuit, quòd sub

ſtantia ſpiritualis, quæ cælos mouet, non ſolũ mediante cæleſti motu effectus in inferioribus corporibus cauſat, ſed etiam prẽter omnem corporis actionem: volens quòd materia corporalis multo magis conceptioni & imperio ſpiritualis ſubſtantiæ, quàm cuiquam corpori naturali ſubijciatur, & ex hac cauſa prouenire dicit, inuſitatas permutationes aeris, & infirmitatũ curationes, quæ nos miracula dicimus. Et ponit exemplum de anima, ad cuius imaginationem abſq; omni alio corporali agente tranſmutatur corpus, & ad calorem & ad frigus, & quandoq, ad febrim, vel lepram. Conformiter ad hanc opinionem dicendum eſſet, q̃ ſubſtantiæ ſpirituales, quales ſunt dæmones, poſſent immediatè immutare corpora, & alterare imprimendo corporeas formas, & qualitates. Et poſſet opinio confirmari, quia eiuſdem virtutis videtur imprimere formam in materiam, & impedire ne imprimatur. Sed hoc dicitur magos poſſe, vt quòd aliquis certis verbis ſcriptis non lædatur ab igne, imò iſti ſalutatores hoc faciunt. Item, quia poſſunt imprimere immediatè & immutare phantaſiam, ergo has formas naturales.

35 Ad hoc ſit prima concluſio, Nec * dæmones, nec magi virtute dæmonis poſſunt immediatè imprimere in rebus naturalibus & materialibus aliquam formam, vt calorem, frigus, morbũ, aut ſanitatem. Hanc propoſitionem ponit Philoſophus

phus.7.Phyſi. vbi oſtendit, quòd formæ non imprimuntur in materia ab aliqua ſubſtantia ſeparata, ſed reducuntur in actum de potentia materiæ per actionem formæ in materia exiſtentis.Et probat, quia,vt ibi oſtendit, id quod fit, propriè eſt compoſitum:omne autem agens agit ſibi ſimile,vnde oportet quòd illud,quod facit res naturales exiſtere per generationem, ſit compoſitum, non forma ſine materia, vel forma ſeparata. Secundo probatur concluſio, quia ſi dæmon poſſet immediatè imprimere aliquam formam naturalem. ergo & omnes, cùm non ſit maior ratio de vna, quàm de alijs omnibus: conſequens autem eſt falſum,quia tunc tota natura eſſet ei ſubiecta, & ſic totus orbis. nõ autem ſubiecit Deus orbem terræ etiam angelis, Hebr. 2. Et hæc eſt expreſſa ſententia Auguſtini.3.de trinit.cap.6.Nec omnino,inquit,putandum eſt iſtis tranſgreſſoribus angelis ad nutum ſeruire hanc viſibilium rerum materiam.Et deniq; hæc eſt communis ſententia doctorum omnium,2.diſtinctio.7. poſt Magiſtrum ſenten.qui ita determinat.

Secunda concluſio,Magi * virtute dæmonum 36
poſſunt mirabiliter tranſmutare materiam,& naturas corporales,applicando ſemina rerũ,& actiua paſsiuis.Hæc eſt determinatio Auguſt.3.de trinit.c.9.Et probatur manifeſte ex ſuperioribꝰ. Nã ipſis obediunt corpora ad nutum quãtum ad mo

tum localem: sed ipsi optime nouerunt naturas, & virtutes & efficacias omnium rerum naturalium, & possunt ea celerius & intimius applicare, quàm homines, vnde, vt ait S. Tho. De potentia. q.6.art.3. sicut ars imitatur naturam, & vt ait Philosophus.2. Physic. quædam potest facere ars, quę non potest natura: ita dęmones multa facere possunt, quæ sunt præter solitum cursum naturæ, & præter omnem artem, & humanum ingenium. Item, quia influentia cælestis multũ facit, & operatur ad effectus naturales. Vnde in agricultura, & medicina necessaria est obseruatio, & consideratio motus, & cursus solis, & lunæ. cùm ergo dæmones sint peritissimi astrologi, possunt melius eligere horas ad operandum. Et hæc fortè est vna ratio, quare magi in inuocationibus dæmonum situs stellarum obseruant. Et sic est aperta ratio, quomodo, & quare dæmones, aut magi possunt immittere ægritudines, aut sanitates, aut alias transmutationes facere, Confirmatur Iob secundo, Satan percussit Iob vlcere infestissimo.

Ad argumenta autem contra primam conclusionem, ad primum respondetur à Sancto Tho. quòd sine dubio dæmon non potest immutare, nec immediatè obstare, quominus agens naturale agat in subiectum dispositum, sed potest impedire ignẽ ne cõburat, vel imprimendo aliquã qualitatẽ defensiuã per modũ supradictũ, vel etiã tenen

nẽdo flammã ue perueniat ad tale subiectum.

Ad secundum respondetur, quòd dæmon nõ immutat phantasiam, imprimendo nouas species, nisi fortè aliquãdo exterius formato aliquo corpore phantastico, quo mouet oculos, sed mouet interiores species, vbi sunt: & taliter offert sẽsui interiori quod vult, vt videantur res reuera esse præsentes, & geri admodum somniantiũ, vel phreneticorum, imò perfectius, quanto (vt dictũ est) potest subtilius, & præter omnem artem applicare causas ad huiusmodi operationes, & sic ita perfectè mouet tales species, & presentat sensibus interioribus, vt tales, qui hæc patiuntur, firmissime credant rem verè geri. Vnde prouenit, q̃ cõtingit in illis lamiis, vt cùm velut exanimes maneant in vno loco, credãt se translatas per aëra, & vidisse, & egisse, vel passas esse quæ nunquã fuerunt in rei veritate. De quo vide Ioannem à Turre Cremata in d. cap. episcopi.

Ad alia argumenta in principio quæstionis. Ad primum iam declaratum est, q̃ non possunt immediatè imprimere formas, sed applicando semina, & causas naturales.

Ad secundum respondetur, quòd licet dæmones possent immutare corpora, non tamen possunt conseruare formas naturales sine dispositionibus naturalibus; & quia organizatio est dispositio requisita ad animam rationalem, non pote-

rit dæmon figuram hominis immutare in figurã brutorum, manente rationali anima. vt S. Th. dicit, De potentia. q. 16. ar. 9. ad. 2. ergo. Et si aliquid veritatis habet illa hiſtoria, omnino dicendum eſt quòd demon occiſis ſociis Diomedis & Vlyſsis, beſtias pro illis ſuppoſuit, vel fortaſſe illæ beſtiæ etiam erant phantaſticæ. Et ſicut non poteſt hominem ſub figura beſtiæ conſeruare, ita nec peculiarem figuram vnius hominis tollere, & dare alteri. Vnde fabuloſa videntur quæ leguntur in itinerario Clementis, quòd Simon magus Fauſtiniano propriam figuram & faciem abſtulit, & ſuam dederit illi: quod ego non credo.

Ad tertium Certiſsime dæmones niſi coercerentur â Deo, & à bonis angelis, poſſent grauiſsimis calamitatibus mortales afficere, vt patet de aduerſitatibus Iob. vnde T. Thom. p. 3. q. 29. arti. 1. ad. 3. dicit, quòd dæmones non permittuntur facere omnia, quæ naturaliter poſſunt, ſed clementiſsimus deus non permittit eos vti ſua poteſtate. & boni angeli etiam impediunt, & maxime illi, quibus orbis cuſtodia & hominum commiſſa eſt. Sed mirum & myſterium eſt, quod cùm dæmones per ſe nocere non permittantur, tamẽ nõ adeò impediuntur nocere per homines, ſicut per magos, per lamias iſtas, & alias maleficas.

Ad quartum dicendum quòd ſine dubio dæmones poſſent à multis ægritudinibus curare, à quibus

bus

bus nulli medici possunt, tamen non ab omnibus. Nam, vt dictum est, nihil possunt in hac re, nisi per applicationem causarum naturalium, nec sunt causæ naturales ad restituendum homi nem ex quolibet morbo, maxime ex morbo senectutis. Sed certe videtur, quòd ex quolibet morbo violento possent sanare, vt à febre, vulneribus, & similibus: possent enim sistere sangui nẽ, aut detrahere, & similiter quemlibet humorem. Sed videtur, quòd saltem posset dæmon protendere vitam vsque ad millesimum annum. Si enim potest omnia naturalia, & aliquando vita naturalis fuerit mille annorum, vt patet in Adam & aliquibus aliis, quare non posset nunc conseruare vitam per tot annos, cum sint nunc omnia alimenta, & omnia remedia medicinalia, quæ tunc erant? Respondetur, Sine dubio dæmones non possent particularem vitam protelare per tot annos, sicut illo tempore: Ratio est, quia per intemperantiam & ignorantiam, hominum natura est valde corrupta, & morbida, nec sufficiunt quæcunque res naturales instaurare in antiquam illam integritatem, & alimenta ipsa ex malo cultu non habent illum vigorẽ. Ex vltimo & fortè principaliter ex influentia cælesti. Dominus enim prouidentia sua ita disposuit, vt primisillis tẽporibus essent cõstellationes cælestes naturales salubriores & efficaciores

ad

ad vitam hominum propagandam, & vt alimenta essent maioris vigoris, & etiam medicinę, & aër, & aqua, & alia quæ conseruant vitam mortalium.

Alia erat hic quæstio, vel dubium aliud, quia præsupponitur semper, ꝙ dæmones sunt incorporei & immateriales, an hoc sit omnino certum sed quia puto me nunc satis dixisse de hac materia, reseruemus hoc in aliã eiusdem materiæ relectionem.

REVERENDI Patris Fratris Francisci à Victoria Relectio.

De eo, ad quod tenetur homo cum primũ venit ad vsum rationis.

SVMMA.

1 *Ecclesiastici liber an deberet recipi inter Canonicas scripturas dubitatum fuit olim, & quid tenendum.*

2 *An pateat aditus ad salutem, & vitam æternam omni homini ad vsum rationis pervenienti*

3 *Rationis vsum habere, quid sit.*

4 *Liberum arbitrium aut vsum rationis habere, non est idem*

idem, quod habere actus intellectus, & voluntatis.

5 Liberum arbitrium habere, aut vsum rationis, non videtur idem, quod posse agere, & non agere, positis requisitis ad agendum ad sensum, in quo communiter doctores capiunt.

6 Liberum arbitrium habere idem est quod esse dominus propriarum operationum.

7 Liberum arbitrium duo requirit, & quomodo secundum potest esse sine primo, & posito primo, ponitur secundum.

8 Quod rationis vsum vnus homo habeat, & alius non, vnde proueniat.

9 Quod rationis vsum, vnus homo habeat, & alius non potest immediate ex parte intellectus, & voluntatis prouenire.

10 Quod rationis vsum vnus habeat, & alius non, prouenit ex aliquo habitu à natura concreato, vel intellectu, vel voluntate, qui solum sit in vno, & non in alio, vel in puero, & non in adulto.

11 Defectus, & imperfectio, vel priuatio vsus rationis, vnde semper, vel ex maiori parte proueniat.

12 Appetitus sensitiuus potest esse causa priuationis vsum rationis.

13 Vsum rationis posse tolli per habitus existentes in voluntate, puta ex odio, vel amore voluntatis, probabile est, posita etiam omnimoda rectitudine ex parte sensitiua.

4 Dispositio qualitatum naturalium, nulla sine speciebus

bus sensibilibus est sufficiens ad vsum rationis.

15 *Educatio docta, & instructio, multum facit: vt aliquis perueniat ad vsum rationis.*

16 *Rationis vsum an possit aliquis habere circa aliquam materiam, vel obiectum, & non circa aliud, vt pote circa materiam iustitiæ: & non circa materiam temperantiæ, vt sit capax rationis ad deliberandum, & iudicandum an sit iurandum vel nocendum alicui, & non sit capax ad consultandum de fornicatione, sed habeat se ad illam tanquam puer.*

17 *Rationis vsum habere sufficientem circa artes, qui non habeāt circa materiam moralem, videtur possibile.*

18 *Rationis vsum habere sufficientem circa artes, qui non habeat circa materiam moralem, licet sit possibile, tamen videtur multum difficile, vel nunquam contingere.*

19 *Rationis vsum habere circa aliquam materiam moralem, & non circa omnes, putatur impossibile ab authore.*

20 *Rationis vsus primum instans, quid sit: vel quid vocetur. Et quomodo deliberatio non possit esse libera, id est: quòd sit in potestate hominis deliberare: & non deliberare.*

21 *Deliberatio prima: est ex causis non naturalibus vel prorsus extrinsecis, puta vel à Deo vel ab angelo.*

22 *Deliberans primo non habet in sua potestate prius deliberasse.*

De-

23 *Deliberans primò potuit primò deliberasse.*
24 *Deliberatio prima non potest cadere sub præcepto.*
25 *Deliberans primô non tenebatur prius deliberasse.*
26 *Recentiorum dictum: quod detur tempus inducias ñ, in quo aliquis potest deliberare vanum est.*
27 *Instans primum, vel tempus vsus rationis: in quo quis primo deliberat actu, non est in quo potest primò deliberare. Et multa de vsu rationis.*



Locus relegendus habetur Ecclesiastici decimoquinto. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Quia de authore, & authoritate illius libri Ecclesiastici inter multos dubitatum est, nec desunt adhuc qui ambigant, non erit ab re, de hoc ipso pauca præfati, ne tota nostra disputatio lubrico loco innixa, nutare videatur. Inter libros Canonicos liber Sapientię, & Ecclesiasticus ab Hebræis non recipiuntur, autore Hieronymo in prologo Galeato, & in prologo ad Heliodorum, & Chromatium qui etiam de Ecclesiastico dicit, Nusquam reperiri Hebræũ, sed Grę cum solum hac ratione duditatum * in ecclesia r est aliquando, an deberent recipi inter canonicas scripturas. Et quidẽ authores vetustissimi vsi sunt testimoniis illorũ tanquam propheticorũ librorũ, vt Egesippus, Irenæus, Tertullianus, Euaristus

ristus & Alexander succeſſores Anacleti Clemẽs Alexandrinus proximus Ioãni Euangeliſtæ Origenes, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus, Damaſcenus: & Euſebius libro. 4. dicit antiquos patres illis libris ante vſos tanquam propheticis. & Auguſt. 17. De ciuitate Dei, cap. 20. expreſsè dicit eſſe propheticos. & Damaſcenus libro. 4. c. 18. & tandem. In concilio Carthaginenſi. 3. cui interfuit Auguſti. c. 47. dicitur, Placuit vt præter Scripturas canonicas nihil in eccleſia legatur ſub nomine diuinarum Scripturarum, ſunt autem canonicæ ſcripturæ Geneſis, &c. & Salomon lib. 5. Hæc â patribus legenda ſuſcepimus ſub nomine diuinarum ſcripturarum. Hæc in concilio. Vnde patet. Sapientiam & Eccleſiaſticum reponi inter ſacras Sripturas Salomonis, aliàs non eſſent niſi tres. De autoribus illorum librorum licet nõ omnino inter doctores ſed hoc eſt ſatis rationabile non eſſe editos à Salomone, continere tamen ſentẽtias Salomonis ſcriptas in diuerſis libris Salomonis, ſparſim quem multa conſtat ſcripſiſſe, quæ ad nos non peruenerũt. Ideo Egeſippus, Irenæus, Tertullia, Cypria. Euſebi. citant librum ſub nomine Salomonis. De Eccleſiaſtico ſatis conuenit, authorem fuiſſe Ieſum patrem Sirach. Sed Ieſum filium Sirach ex Hebræo Græcum feciſſe vel potiùs nouum feciſſe circa tempora Ptolemæi Euergetis. 200. ferè annos ante natiuitatem

Do-

Domini, sub Simone magno Sacerdote, Oniæ filio. De sapientia non ita conuenit, sed tribuitur Philoni Iudæo, non ei qui claruit sub Nerone, sed alteri antiquiori. 160. annos ante Christum, sed vtcunque sit vterque videtur scripsisse spiritu prophetico. Augustinus autem libro de Doctrina Christiana vtrunque putat esse Iesu filii Sirach. Quod tamen retractauit. 2. libr. retractau. cap. quarto.

Ex verbis igitur propositi loci satis constat scripturam non loqui de homine ante vsum rationis, vel omnino priusquam possit de liberare, & consilium sumere de agendis, atque adeò nos in præsentiarum nihil loquimur de salute hominis, vel statu in vtero matris, vel prorsus antequam peruenerit ad vsum rationis, sed solùm constitui in tota hac disputatione hoc argumentum tractare, & quomodo. 5. aut qua ratione, aut qua via homini possit patere salus post quam est sui iuris, aut (vt Scholastici dicunt) post quam annos discretionis attigerit. Et ideo sit quæstio principalis, An * omni homini perue- 2
niẽti ad vsum rationis pateat aditus ad salutem, & vitam æternam. Pro parte negatiua arguitur, Sine fide impossibile est placere Deo, & accedẽtem ad Deum oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est, ad Hebræ. 11. Item, Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus

erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Marci. 16. Sed multis venientibus ad vsum rationis impossibile est credere, aut habere fidem, vt patet de natis & educatis apud barbaros & ignaros deitatis, & religionis: ergo talibus non patet aditus ad salutem. Et confirmatur ex Paulo, Roman. 10. Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audiēt sine prædicante? Vbi Paulus apertè videtur excusare eos, quibus non est prædicata religio, & nomen Dei. In contrarium est illud, Deus vult omnes homines saluos fieri. 1. ad Timo. 2. itē Eccl. 15. Ante hominē vita & mors, bonū & malū, ꝙ placuerit ei, dabitur illi. Ex quo loco videtur, ꝙ omni homini (si p illū nō stet) sit data supernè facultas puenie di ad vitam æternam. Item, In veritate cognoui quòd non sit personarum acceptor Deus, sed in omni gēte Acto. 10. Ad hanc quæstionem dissoluendam quatuor dubia oportet tractare. Primū, quid sit hominem habere vsum rationis, & quid peruenire ad vsum rationis, Secundum, quid potest homo, cum primum peruenerit ad vsum rationis. Tertium, ad quid tenetur pro eodem tempore. Quartum, de principali quæstione: quibus expeditis, relectio erit absoluta.

3 Pro prima ergo quæstione est notandum, *ꝙ licet ratio essentialiter idem sit quod intellectus huma-

humanus, tamen voluntas ponitur à philosophis in ratione, vt videtur Arist, sentire. 3. Ethicor. c. 10 Et apertius. 3. de anima. c. 6. Imò vocatur volũtas p essentiam rationalis, vt patet ex S. Th. in. 3. d. 23 q. 1. art. 1. quæstiunc. 1. Quare etiam vsus rationis non solũ dicitur vsus, & facultas potẽtiæ intellectiuæ, sed etiã volũtatis. Imò & Ari. 3. Ethic. c. 10. dicit fortitudinẽ, & tẽperantiam esse partium rationis expertiũ, &c. Et tamẽ appetitus sensitiuus est particeps aliquo modo rationis. ergo alitervoluntas est rationalis, quàm per participationem. Similiter etiam quanquam liberum arbitriũ sit essentialiter idem quod voluntas humana, vt diserte tradit Damasce. lib. 2. tamẽ quia actus liberi arbitrii est electio, ex Magistro i. 2. d. 24. & electio adeò exigit consilium, vt Aristo. 6. Ethi. in dubiũ reuocauerit, an sit appetitus intellectiuꝰ vel intellectus appetitiuus, ideo etiam liberum arbitrium non solum ponitur facultas voluntatis, sed rationis & volũtatis, vt patet apud Magistrũ in. 2. d. 24 Hoc breuiter præmisso, vt â notioribus & facilioribus incipiamus, sit prima propositio,

Habere * vsum rationis idem est, quod habere liberum arbitrium. Hæc patet ex dictis, nam si habere vsum rationis est habere facultatem intellectus & voluntatis, hoc autem est habere liberum arbitrium. ergo idem est vtrunque. Et confirmatur, quia in quoquunque est vsus rationis, est libe- 4

rum arbitrium, & econuerso. ergo signum est q̃ sunt idem. Sed hod ipsum non est satis exploratum quid habere liberum arbitrium. Quanquam enim, vel idiote & rustici internoscere possint eum qui habet vsum rationis, & liberum arbitriũ ab eo qui non habet: diffinire tamen in quo consistat ratio libet: diffinire tamen in quo consistat ratio liberi arbitrii, & quid sit habere hanc facultatem, non est facile: sed vtrunque videbimus. ad declarationem huius sit secunda propositio.

Non est idem habere liberum arbitrium aut vsum rationis quod habere actus intellectus, & voluntatis. Patet, quia ebrii, & amentes non habent liberum arbitrium, & tamen habent actus intellectus, & voluntatis: ergo non est idem. Maior est nota, minor probatur, quia habent actus circa res spirituales, quæ non cadnnt sub sensu, vt desiderium etiam rerum spiritaalium, vt experientia patet ex his, quæ tum faciunt, tum dicunt Loquuntur enim de Deo, & angelis, disputant de dialecticis. Et confirmatur de pueris & somniantibus. Somniantes enim postea me minerũt se habuisse actus intellectus & voluntatis. Item habent aliquos actus vniuersales, quos non videtur q̃ possit habere sensus, qui est solũ particularium. S. Tho. prima part. q. 84. artic. 8. ad. 2. loquitur, quo modo sensus & imaginatio plus vel minus ligantur, vel soluuntur in dormientibus, &

con

concludit sic. Ergo per modum quo sensus soluitur & imaginatio dormiendo ligatur iudicium intellectus, non tamen ex toto. Vnde aliqui dormiendo syllogizant, & cum excitantur, semper recognoscunt se in aliquo defeciſſe. Ex his verbis. S. Tho. patet, quòd dormientes habẽt actus intellectus, & per consequens possunt habere actus voluntatis. Idem & clarius ponit in. 4. d. 9. q. 1. art. 4. ad. 3. &. 4. Et ibidem ad quartum dicit, quòd aliquando in somno consentit quis turpitudini, vnde etiam videtur quòd habet actum voluntatis, &. 22. q.. 172. arti. 1. ad secundum & q. 154. ar. 5. in sol. argu. &. 1. p. q. 84. in corp. & ad. 2. idem concedit de dormiẽte. Et confirmatur etiã ratione, quia omnes hi scilicet amentes, pueri, & somniantes habent aliquando actus sensuũ sufficientes in vigilãtibus & sanis ad actũ intellectus & voluntatis. ergo possunt esse in amẽtibus, quia tota causa quare amantes non habent vsum rationis, est dispositio, sensuum. Antecedens autem patet, quia iudicant per sensum aliquod esse bonum, aut malum: quod iudicium sufficeret mouere non amentẽ ad actum intellectus & voluntatis. Et præterea confirmãtur hec omnia, quia sensus in homine sunt eiusdẽ rationis sicut in brutis, licet sint aliquo modo perfectiores. sed amentes habent multos actus, quos bruta habere non possunt: ergo illi non proueniunt à solo sen-

ſu, ſed ab intellectu, & voluntate.

1 Tertia propoſitio, Nō *videtur idē eſſe habere liberum arbitrium, aut vſum rationis, quod poſſe agere & non agere, poſitis requiſitis ad agendum ad ſenſum, in quo communiter doctores capiunt. Iſta propoſitio non eſt ita nota, neque ita certa, ſicut precedentes, & ideo fermè omnes doctores recentiores contrarium tenent, ſcilicet, quòd omnis actus, qui non neceſſario producitur, procedit à libero arbitrio. Ego verò dico, quòd homo producit multos actus, quos poteſt non producere, etiam non habēs liberum arbitrium; nec vſum rationis. Probatur hoc primo. Pueri, & amentes, & ſomniantes habent actus voluntatis (vt probatum eſt) & non neceſſario. ergo hoc nō ſufficit ad liberum arbitrium. Minor patet, quia voluntas eſt formaliter ex ſua natura libera, quia potentiæ rationales ſunt ad oppoſita (tertio de anima) & nihil eſt in illis, à quo neceſsitetur voluntas: ergo non neceſsitatur. Probatur minor, quia vel eſſet notitia intellectiua, vel ſenſitiua, vel paſsio appetitus ſenſitiui, quia nihil aliud poteſt quiſquam imaginari vnde neceſsitetur, ſed nullum illorum poteſt neceſsitare, probatur quia ſenſus non poteſt mouere voluntatem niſi per intellectum (tertio de anima) ergo ſola ſenſatio non poteſt neceſsitare voluntatem. Neque paſsio. Patet, quia aliquando amētes agunt

ſine

sine passione, vel saltem potest esse tanta passio in sano, sicut in amente, & puero, & somniante. Neq; ex parte intellectus, quia quæcūq; notitia est in amente vel puero, potest esse in adulto & in sapiente, & in hoc non necessitatur. ergo neq; in illis. Maior patet, quia vel est simplex apprehensio, vel iudicium, & quodcunque tale potest esse in adulto. Et confirmatur, quia si aliqua notitia necessitaret, vel esset simplex apprehensio, vel iudicium incompletum, vel perfectum. Non simplex quia notitio non solum non necessitat, sed neq; potest mouere voluntatē (tertio de anima) quia intellectus speculatiuus nō mouet, sed solū practicus, & amētes aliquādo agūt ex iudicio, neq; iudicium simplex de bono vel malo, quia id nō necessitat adultū. Iudicium autem cōplectum nō potest esse in amente, & dato q̄ esset, non necescitaret. ergo nihil est, q̄ possit necessitare volūtatē pueri, aut amētis, aut somniantis. Er cōfirmatur iterū, quia plus mouet iudiciū perfectū de bonitate obiecti, quàm iudiciū imperfectū, vel simplex apprehēsio, sed iudiciū perfectū de bonitate obiecti nō necessitat, ergo multo min⁹ iudiciū incōpletū q̄ est in amētibus. & pfectò mirū est, q̄ hoc iudiciū, hoc est delectabile, vel dulce, q̄ puer habet, necesitet eū: & tamen idem iudiciū cum istis aliis, hoc est bonum honestum & meritorium, præceptum, hono-

rificum, quod est in adulto, non necessitet.
Itẽ, quia anima separata cũ omni notitia quæ est in puero, aut amẽte, certũ est, ꝙ non necessitaretur: ergo nec cõiuncta. Patet cõsequẽtia, quia profectò intellectus, & tota anima separata est etiam in corpore existẽs (tertio de aĩa) & intellectus nihil recipit à corpore nisi notitiã. Et ideo nõ est dubiũ, quin positis æqualibus notitiis intellectualibus in duabus animabus, si vna nõ necessitatur, neq; alia, quia omnino differẽtia ex parte corporis nihil facit si nõ faciat differentiã in notitiis ex parte intellectus. Secundo ꝓbatur, Motus subiti quos doctores vocãt primos, omnino nõ imputabiles, nõ sunt necessarii, & tamẽ pro eo tẽpore nõ est liberum arbitrium, ergo hoc non sufficit ad liberum arbitriũ. Assumptũ probatur, quia omnis notitia, quę est in primo instãti, nõ necessitat. ergo nec tũc. Neq; valet dicere, ꝙ postea non necessitat, quia superuenit nouũ iudiciũ. Nã stat, ꝙ iudiciũ superueniẽs magis moueat, quã retrahat ab illo motu. ergo iudicium sequens non facit, ꝙ si prius necessario moueretur voluntas, postea non moueatur. Et confirmatur totum hoc de maniacis, qui scilicet talem passionem habent, quòd circa aliquam materiam particularem nõ habent vsum rationis, cùm habeãt circa, omnes alias, sicut aliquando etiam phrenetici, illi profecto nõ videntur necessitari circa materiã illã, sed

erra-

errare, & tamen non habent liberum arbitriũ circa illam. ergo non est idem habere liberum arbitrium, & non necessario agere. Et certè videmus amentes, & pueros multa agere rogatos vel admonitos ad modum aliorum hominum, neq; videntur necesitari in illis. idem videtur posse probari de omnibus actibus indeliberatis, vt fricare barbam, scalpere caput, de quibus non videtur dicendum, quòd sint actus necessarij, & tamen non procedunt à libero arbitrio.

Sed contra hanc cõclusionem potest argui vnico argumento apparenti, Quia si actus voluntatis ante vsum rationis vel in amente, & somnientibus non sunt necessarij sed liberi, ergo sunt boni vel mali, & si liberè transgrediuntur præcepta, ergo peccant. Respondeo negando consequentiam, quia non satis est, quòd sint liberi hoc modo, sed oportet quòd sint deliberati, quod non est in eis neq; S. Tho. 1. p. neq; in. 4. vbi suprà excusat somniantes, quia necessariò agunt, sed quia non habent perfectum vsum rationis, vel intellectus, sed est impeditus intellectus: itaq; defectus prouenit ex parte intellectus, non ex parte volũtatis. Et patet, quia circa materiam bonam etiam possunt esse motus primi, qui tamen non reputantur actus boni propter indeliberationem. Et confirmatur solutio, quia siue ista sit, siue non: tamen dato, quòd ita esset, quòd pueri, & amen-

tes haberent talem libertatem ex parte voluntatis, si tamen haberent intellectum ita impeditum sicut nunc habent, quòd non possint cognoscere quid expediat, aut quid noceat, omnino non imputaretur eis quicquid agerẽt, nõ ampliùs, quàm nunc imputatur. ergo non est opus negare libertatem voluntatis. Confirmatur vltimo, quia amẽtia hoc videtur solùm significare, scilicet priuationem, aut turbationem mentis, siue intellectus, nec dicit respectum ad voluntatem, manet. ergo si non certa, certè probabilis propositio, in pueris, & amentibus, & somniantibus, & etiam in motibus subitis non necessitari voluntatem, sed posse agere, & non agere & per consequens hoc non esse satis ad liberum arbitrium. Verum est tamen, quòd hæc non est simpliciter nec propriè libertas, sed imperfecta, & secundum quid, quæ non est capax bonitatis, & malitiæ, neque laudis, & vituperij.

5 Quarta propositio, Idẽ * est habere liberum arbitrium, quod esse dominum suarum operationum. Ista conclusio est Sanct. Thom. in multis locis, expressè. 1. 2. quæstio. 1. arti. 1. & 2. vbi dicit, q̃ in hoc differt homo ab alijs animantibus, quòd est dominus suorum actuum. Vnde illæ solùm actiones vocantur humanæ propriè, quarum homo est dominus. Est autem homo dominus suarum actionum per rationem & voluntatem. Vn-

de

de & liberum arbitrium dicitur esse facultas voluntatis & rationis, & articu. 2. dicit, quòd homo habet dominium suarum actionum per liberum arbitrium. Ad hoc autem quòd homo sit dominus suarum actionum duo requiruntur. Alterum vt homo habeat facultatem consultandi, ac deliberandi quid bonum est, & quid malum est, & quid cõsequendũ, quid fugiendum, quid vitandum. Alterum est, vt habeat potestatem post deliberationem, eligendi, & relinquendi quod sic deliberatum est, neque enim primum sufficit sine secundo. Neque quis esset dominus suarum actionum, si post deliberationem necessariò aut sequeretur consilium, aut non posset sequi. Ista propositio est clara ex communi significatione, & acceptione verborum. Nam is verè dominus dicitur ab omnibus, qui habet facultatem vtendi re. Ita enim definiunt, & Iurisconsulti, & theologi. Et ista facultas non potest haberi sine facultate rationis, & voluntatis, quæ est liberum arbitrium. Vnde idem omnino est liberum arbitriũ habere, quod habere dominium suarum actionũ: imo ideo dicitur habere liberum arbitrium, quia habet dominium suorum actuum: & sic & dominium, & liberum arbitrium definiũtur per idem, scilicet facultatem. Est enim liberum arbitrium facultas rationis, & voluntatis. Et dominiũ actionũ humanarum est facultas etiam vtendi ratione

tione & voluntate.

6 Quinta propositio, Ex * duobus requisitis ad liberum arbitrium secundum non potest esse sine primo, & posito primo, ponitur secundū. Hoc est manifestum. Nam vbi est facultas deliberandi est facultas eligendi, & econuerso, nec vnum inuenitur sine alio, vt patet in brutis, pueris, & a mẽtibus, vbi nulla mutatione, aut differentia posita ex parte voluntatis (vt dictum est) solum quia intellectus impeditur à deliberatione, & consilio, voluntas etiam non habet in sua potestate eligere & non eligere. Et ideo etiam qui vellet tenere contra tertiam propositionem, & dicere, quod in non habentibus vsum rationis, voluntas necessariò elicit omnes actus, posset respondere ad argumenta facta, & dicere, quòd natura volūtatis est, quòd si intellectus sit solutus, & capax deliberationis & consilij, voluntas liberè agit. Si autē non sit capax, voluntas necessariò agit, & naturaliter. Et ideo cùm quæritur à quo necesitatur voluntas in amente, dico quòd non à notitia, sed à natura: sicut nec in bruto necesitatur ab obiecto vel notitia, sed à natura, quia libertas voluntatis dependet ab intellectu. Licet enim libertas formaliter sit in voluntate tanquam in subiecto, sed est in intellectu, tanquam in causa vel radice, vt ait S. Tho. 1.2. quæst. 6. art. 2. ad. 2. & quæst. 17. art. 1. ad 2. & de veritate. quæst. 24. art. 2. Et Arist. 3. Ethico.

dicit

dicit, ꝙ disideriũ, siue electio nascitur ex consilio. Sequitur corollariũ responsiuũ ad quæstionẽ primam principalem, in qua quærebatur, quid est hominem habere vsum rationis, vel peruenire ad vsum rationis. Dico enim, quòd est hominem esse in tali statu, vt possit consultare, & deliberare de agendis: quamuis enim vsus rationis præter hoc dicat etiam poreſtatem eligendi, quod spectat ad voluntatem: tamen in quocunque est potestas consultandi, est etiam eligendi. Sed quamuis in hac determinatione omnes conueniant, vel omnino debeant consentire, nascuntur dubia ex ea, non quidem adeò grauia, sed prorsus non contemnenda.

Et primum dubium est physicum, vnde *scilicet cùm non solum omnes homines sint eiusdem speciei, sed etiam ipsę humanę potentiæ & vt rei imo, vt in præsentia supponimus, vna nõ est prefectior alia: cùm ista, inquam, sint ita, vnde prouenit, vt vnus homo habeat vsum rationis, & alius non habeat? & item, cur in infantia non sit vt est in adolescentia? Et augetur dubium quia idem est omnino intellectus in pueritia & in senectute. 7

Vnde sit prima propositio. Ista *differentia non potest prouenire immediatè ex parte intellectus, aut voluntatis. Ista propositio clara est, quia licet reuocetur in dubium, an intellectus vnius sit perfectior intellectu alterius, non põt tñ 8

esse

esse tãta inæqualitas, vt faciat amẽtiã, aut sanitatẽ Et itẽ non daretur causa de infantia, & adolescentia, cùm sint eædem potentiæ. Et secundò probatur, quia si amẽtia proueniret immediatè ex parte intellectus, aut voluntatis, tunc inueniretur etiam in animabus separatis, quod non solùm absurdum sed impium esset dicere.

9 Secunda propositio, Talis * differentia nõ prouenit ex aliquo habitu concreato à natura, vel in intellectu, vel in voluntate, qui solũ sit in vno homine, & nõ in alio, vel in puero, & non in adulto. Hoc patet, quia anima nostra est tanquã tabula rasa, in qua nihil est depictũ, vt Aristo. disputauit contra Platonem, & si qui sunt habitus, illi solùm sunt primorum principiorum, qui sunt communes omnibus, & neque transiens à vigilia in somnum perdit aliquem habitum, neq; à sanitate in dementiam, neq; è cõtrario acquirit aliquem habitum rediens à dementia in sanitatem.

10 Tertia, Defectus, * & imperfectio, vel priuatio vsus rationis, vel semper, vel ex multo maiori parte, puenit ex defectu & imperfectione partis sensitiuæ cognoscitiuæ, scilicet à sensibus, & maximè interioribus. Probatur primò in pueris, cùm potentiæ rationales sint perfectæ (vt dictum est) nihil potest reddi, quod sit in causa huius priuationis, nisi ex parte sensitiua, neq; item in dormiente & somniante, eadem ergo ratio suf-

ficit

ficit in alijs, quia si effectus est communis, causa est communis. Secundò, quia cùm nihil sit in intellectu quin priùs fuerit in sensu (primò Posterior.) & necesse sit intelligentem phantasmata speculari (tertiò de anima) corruptio & imperfectio in sentiendo necesse est vt redundet in intellectum. ergo ista erit sufficiens causa priuationis vsus rationis. Et confirmatur, quia etiam diuersitas & inæqualitas ingeniorum prouenit solùm ex differentia sensuum, vnde Philosophus secundo de anima dicit, Quod carne molles, siue delicatiores sunt aptiores mente & ingeniosiores: quod ideo est, quia omnis sensus fundatur in sensu tactus (vt ipse illic dicit) qui perfectissimus est in carne perfectiore. Hanc conclusionem probat. S. Th. p. p. q. 84. art. 8. vbi probat, ꝙ ligatis sensibus, ligatur intellectus. Et Arist. reddit rationẽ libro de somno & vigilia, quare sensus ligãtur in dormiẽtibus, ꝙ scilicet resoluuntur vapores fumosi ad cerebrum & (vt dictũ est) quanto magis sensus soluũtur, tãto etiã ratio magis liberatur. ergo totũ prouenit ex parte sensuum. Vide Alber. de somno & Vig. c. 7. Vnde prouenit in dormientibus. &c. Quid autẽ sit in causa vt sensitiua pars non sit apta ad officiũ sentiendi in pueris, an humor verbi gratia immodicus in cerebro, quę item in phreneticis, & amẽtibus, nõ est huius loci quęstio, sed ad medicos, & physicos relegãda modo

hoc

hoc sciamus, eos, qui ęquo modo se habent in sen sibus, ęqualiter habere vsum rationis vt plurimũ,

12 Quarta propositio, Appetitus * sensitiuus potest esse causa priuationis vsus rationis: volo dicere, quòd dato ꝙ quis habeat vires sensitiuas conuenienter dispositas ad officium suum, tamen ex vehemẽti passione põt qs perdere vsum rationis. Hoc patet, quia vt Aristo. dicit. 6. Ethico. &. 7. Perturbationes, & passiones impediunt iudicium rationis. Ita enim iudicat homo in agendis sicut est affectus. Quare, inquit, qui in perturbationibus sunt constituti, eodem modo sunt constituti sicut dormientes, furiosi, & ebrij: eodem enim modo fallantur. atq; ideo impossibile est incontinentes esse sapientes, aut imprudentes. Si ergo perturbationes appetitus sensitiui impediunt vsum rationis, tantùm possunt crescere, vt omnino tollant. Et Aristote. 7. Ethico. expressè dicit, quòd ira, & cupiditates venereæ, & cæteraq; similia, nonnullos in furorem & insaniam adigunt. Et Comicus minimè miror eos, qui ex iniuria insanire incipiunt. Sed verum est, quòd licet fortasse appetitus sensitiuus posset immediatè mouere voluntatem, & nõ solùm mediante notitia, tamen ita perturbare iudicium rationis videtur, quòd non posset nisi turbãdo sensum. & sic ista causa huius priuationis tandem reducitur ad primam, scilicet ad impedimentum partis sensitiuæ cognoscitiuæ:

quã-

quanquam posset oppositum dici, vt statim disputabimus.

Quinta propositio, Probabile * est q̃ omnimo 13
da rectitudine posita ex parte sensitiua, vsus rationis posset tolli per habitus existentes in volũtate putà ex odio, vel amore etiã volũtatis. Patet, quia etiã, vt Arist. 6. Ethi. tradit, & experiẽtia docet, mali habitus perturbant iudicium rationis: ergo taliter possunt crescere, quòd superent virtutem naturalem intellectus, & omnino tollãt potestatem deliberandi: quia si possunt inferre difficultatem ergo & omnino impedire. Et confirmatur, quia tantũ possunt perturbare mali habitus, sicut passiones. ergo si passiones hoc possunt, quare non etiã habitus? Et licet verum sit, q̃ eo etiã casu turbantur etiam sensus, tamen priõr videtur turbatio rationis. Et confirmatur, quia à sensibus intellectus non recipit nisi species, & ad vsum rationis requiritur discursus, & ratiocinatio: ergo dato q̃ sensus cõmode administrent species, potest aliun de intellectus impediri ab vsu rationis. Quòd si hoc est verum, posset aliquis furere, non ex imperfectione sensuum. Et dixi hãc propositionem esse probabilem, & nõ ita certam: quia ex hoc videtur sequi, q̃ qui ita insaniret in corpore, q̃ etiã extra corpus, perseueraret insania, quia habitus mali perseuerant in animabus damnatorum, & sic essent aliquæ animæ in inferno non habentes

vsum rationis.

Sed qui vellet negare illam propositionẽ, oportet vt respõderet, quare si habitus mali possunt aliquo modo turbare iudicium rationis, non possunt tantum crescere, & tantum impedire, vt iam nõ sufficiãt ad vsum rationis? Et ad hoc inconueniens de anima separata, quod inferebatur, possemus dicere, quòd habitus quidem non possunt esse circa omnes materias, imò habitus ita magni non possent esse nisi circa raras materias: & sic remaneret intellectus liber circa materias alias: nec esset inconueniens, quòd anima separata insaniret circa aliquam materiam, sicut maniaci faciũt. Non autem est ita de passionibus, nam ex passionibus commouetur corpus, & ipsum instrumentum, vel organum virium sensitiuarum, quo corrupto, iam non est idoneum ad quacunq; materiam, etiam si causa fuerit circa vnum solum.

14 Sexta propositio, Nulla * dispositio qualitatũ naturalium sine speciebus sensibilibus est sufficiens ad vsum rationis, volo dicere, quantumcunq; organum esset optimè dispositum per qualitates naturales, & ad recipiendum species, non dum diceretur quis habere vsum rationis. Hæc patet manifestè. Nam ad iudicandũ & consultandum quid vitandũ est, & quid prosequendum, requiritur multitudo specierũ. Etenim ad rectè consultandũ in agendis, oportet habere memoriã prę-

terito-

teritorũ, vt dicit Cicero. 2. Rheto. & Arist. 2 Ethi. q̃ virtutes intellectuales indigent experimẽto, & tẽpore, nec potest homo iudicare de contingẽtibus nisi ex his, quæ cõmuniter accidunt, quæ sine memoria cognosci nõ possunt. Vnde si quis amitteret omnes species, quantumcumq; organa manerent bene dispositа ad recipiẽdum nouas species, constat, q̃ ille non haberet vsum rationis.

Septima propositio, Ad * hoc, q̃ aliquis perue 15
niat ad vsum rationis, multum facit doctrina, educatio, & institutio. Volo dicere, quòd priùs quis, cæteris paribus, perueniet ad vsum rationis si bene instituatur, & inter ciuiles homines, quã apud rusticos. Patet hoc, quia ad vsum rationis requiritur non solùm acquisitio specierum, sed etiam ordinatio, ad hoc autem plurimùm iuuat institutio. ergo. Ex quo sequitur, corollarium quòd etiã q̃uales inuaturalibus, non in æquali tempore perueniunt ad vsum rationis.

Et ex omnibus dictis patet, q̃ habere aliquem vsum rationis, vel peruenisse ad illum, nihil aliud est, q̃ esse in tali statu, q̃ præsentato aliquo obiecto, circa quod cõtingit operari, potest potentia propinqua sufficienter deliberare, & consultare quid agendũ, aut vitãdũ, mediatè vel immediatè. Quod addo, qa nõ oportet vt q̃cũq; habet vsum rationis, possit per seipsum dignoscere, & iudicare quid agẽdũ: sed satis est, vt hoc possit per se, vel

per instructionem aliorum,& ipse sit capax consilij, iuxta illud Hesiodi quod Aristot. adducit. 1. Ethi.c. 4. Optimus quidem ille est,ex se se qui omnia nouit. Is rursus bonus est, paret qui recta monenti,&c.Quanquam reuera fateor,quòd fortasse neq; ex omnibus quæ disseruimus satis habetur, quid sit habere vsum rationis, neq; in quo consistit.Longe enim facilius est intelligere & cogitare quis habet vsum rationis,aut non habet, q̃ expedire qd hoc sit. Illud enim vel idiotæ & qui vis ineruditi cognoscunt, & discernunt amentes ab integris, hoc verò neq; philosophis facile est explicare. Nam & hoc ipsum, quod constare videtur,& definitum est,non caret calumnia.Nam ignari,& aliâs errantes in moribus,vt sunt hæretici, non sunt sufficientes consultare, & iudicare quid agendum, aut vitandũ : aliâs non ita aberrarent, & tamen non negamus eis vsum rationis. ergo hoc non requiritur.

Potest quidem responderi ad hoc, negando assumptum,& dicendo q̃ omnes illi sunt sufficientes,errant tamen ex negligẽtia sua, vel corruptis affectibus. Sed hæc quidem sunt philosophica,in quibus theologum non oportet adeò solicitũ esse : & ego intelligo me etiam cum non satisfecerim,nimium fuisse. Ergo siue habere vsum rationis sit id,quod constituimus, siue quid aliud,nos supponamus,aliquem habere iam vsum rationis,

& de illo diſputemus.

Sed tamen hoc dubium, quod ex præcedentibus oritur, non licet prætermittere: An * aliquis poſsit habere vſum rationis circa aliquam materiam, vel obiectum, & nõ circa aliud, vt pote circa materiam iuſtitiæ, & non circa materiam temperantiæ, vt ſit capax rationis ad deliberandum, & iudicandum an ſit furandum vel nocendum alicui, & non ſit capax ad conſultandum de fornicatione, ſed habeat ſe ad illam tanquam puer. & videtur quòd non poſsit contingere. Quia aliâs damus hominem capacem meriti, & demeriti circa aliquam materiam, & non circa alias materias morales, quod nunquam aliquis conceſsit. In cõtrarium videtur, quia aliquæ materiæ ſunt multo notiores alijs. Vt, quòd non eſt occidendũ, quàm ꝙ non eſt fornicandum, & ſpecies non ſimul acquiruntur circa omnia. Item (vt dictum eſt) Maniaci videntur carere vſu rationis circa aliquam particularem materiam, ſicut amentes circa omnes. Profectò res eſt dubia & ideo reſpondeo. 16

Prima propoſitio, Videtur * ꝙ quis poſsit habere vſum rationis ſufficientem circa artes, & opificia, qui non habeat ipſum circa materiam moralem. Probatur, quia videmus aliquos, qui incidunt in amentiam, non amittere artem, ſi quam antea didicerant, ſed ſciunt ſcribere, legere, pingere, imò ſyllogiſmos nectere, & ſimilia, vt cãtare. 17

Confirmatur, quia pueri instituuntur in aliqua arte, etiã ante vsum rationis. Item (vt dictum est) institutio multum facit ad vsum rationis: sed potest quis institui circa aliquam artem priusquam circa moralia. ergo.

18 Secunda propositio, Hoc * quod dicimus esse possibile, videtur multùm difficile, vel nunquam cõtingere, quia principia saltẽ moralia multo nõ tiora sunt, q̃ artificialia. ergo omnino videtur impossibile, vt quis possit sufficiẽter iudicare de artificialibus, & oĩno sit expers rationis in agibilib⁹.

19 Tertia propositio, Omnino * puto impossibile, vt quis habeat vsum rationis circa aliquam materiam moralem, & non circa omnes. Probatur primo, quia principia moralia sunt eadem circa omnes materias. ergo si habet iudiciũ ad principia vnius materiæ, iam aliquo modo habet circa omnes. Vt qui iudicat ꝙ non est nocendum proximo, iam habet principium, ꝙ non est furandum, & ꝙ non est occidendum: sicut qui scit, ꝙ in Barbara est bona consequentia, scit hoc tenere in omni materia: & qui cognoscit, ꝙ est aliqua lex diuina, quam tenemur seruare, habet principium tam ad materiam iustitiæ, quàm temperantię. Secundo probatur quia eadem est via & ratio ad consultandum de materia iustitiæ quæ de materia temperantię. ergo impossibile est, vt quis habeat vsum rationis ad cõsultandum in materia iustitiæ,

stitiæ,& non temperantiæ. Antecedens declaratur,exempli gratia,In materia iustitię deliberatio incipit ab hoc principio. ꝙ oportet seruare pręcepta Dei, & ex hoc ꝙ præcepta Dei continentur in scriptura sacra,vel in doctrina ecclesię,&quòd vnum est non furari:eadem omnino via,vel simili procedendum est in quacunq; materia morali. Alius deliberat hoc modo, quòd in agendis oportet consulere peritiores & etiam illud est principium deliberandi in omni materia. Tertiò probatur,quia quicũq; habet vsum rationis, habet hoc principium, quòd in actionibus suis potest bene & malè agere: sed quicũq; habet hoc principium potest deliberare de omni agendo. ergo. Maior est nota,& minor probatur: quia omnis talis potest deliberare & quærere quid agendum sit, siue erret,siue non.

Et ad argumentum factum in cõtrarium, quia aliquæ materiæ sunt notiores alijs, respondetur, Verum est, sed ex hoc non sequitur, quin ille qui potest deliberare circa magis nota, possit circa minùs nota,quia satis est, quòd potest dubitare,& per consequens potest consulere.

Ad aliud de maniacis respondetur, ꝙ maniaci fortasse circa omnem materiam habent vsum rationis,sed dicuntur maniaci,qa circa aliquã materiã errant vehemẽter, nec possunt reuocari ab illa opinione,error tamẽ est quodãmodo naturalis &

inuincibilis. Et certum est, quòd maniaci etiam deliberant an bene vel malè agant, etiam circa illam materiam, circa quam laborãt morbo, errant tamen post deliberationem etiam sed quasi naturaliter. Vel fortè potest dici, q̃ mania tollit vsum rationis circa aliquid speculatiuum, vt q̃ quis putat se ægrotare, & valeat, vel aliquid simile. Et similiter videtur dicendum de phreneticis, qui videntur insanire in aliquib⁹, & sapere in alijs. Oppositũ huius propositionis posset poni & defendi: sed hoc videtur probabilius. Vtcunq; tamẽ sit, nõ dicitur aliquis habere vsum rationis simpliciter, vel peruenisse ad illũ, quousq; possit sufficiẽter deliberare in materia morali. Hoc patet, q̃a solùm de tali loquũtur philosophi & theologi: neq; dicitur quis sapere nisi in agẽdis, quantumcunq; aliquis (si fieri posset) omniũ artiũ esset peritus.

Sed priusquã ad secundã quæstionẽ veniamus
20 adhuc restat inquirendũ, quid * sit, vel quid vocetur primũ instans, vel primũ tempus (nihil enim interest) vsus rationis, vel primum instans, in quo peruenit quis ad vsum rationis, vel liberi arbitrij.

Et sit prima propositio. Prima deliberatio non potest esse propriè libera, id est, q̃ sit in potestate hominis deliberare, & nõ deliberare. Probatur, q̃a liberũ propriè est ex electione, vel actus qui sequitur deliberationẽ, vt suprà diximus, neq; est actus humanus, nisi sit deliberat⁹, sed deliberatio prima

non

non potest sequi deliberationem, quia non est processus in infinitum, ergo non potest esse prior libera. Vnde sequitur, quòd prima deliberatio non potest esse bona vel mala, meritoria vel demeritoria.

Secunda propositio, Prima* deliberatio est ex causis omnino naturalibus, vel prorsus extrinsecis, putà vel à Deo, vel ab angelo. Probatur, quia nõ potest esse ex electione voluntatis. Patet hoc quia (vt dictum est) non est libera, neque potest imperari ex electione, quia illa electio iam præsupponeret aliam deliberationem. ergo oportet omnino, vt sit vel ex motu phantasmatum facto ab obiecto, vel ex aliqua alia causa extrinseca. Vnde Aristoteles octauo Ethic. dicit, quòd principium consultãdi est aliquod intellectiuũ principium altius in intellectu nostro, q̃ est Deus, & per hunc modum ostendit quòd non est processus in infinitum Ed ad idem reducit libro de bona fortuna. Omnis enim actus voluntatis præsupponit actum intellectus & non econtrario. Sed primum consiliũ non est à voluntate. & idẽ S. Tho. prima parte q. 82. arti. 4. ad tertium. quod non videtur sic intelligendum, quòd Deus concurrat semper tanquam causa particularis ad primum consilium, sed dicitur principium esse Deũ quia primus talis motus intellectus est naturalis & naturalia attribuuntur Deo, qui hãc virtutẽ 21

dedit intellectui: licet non sit negandũ, quin non nunquam Deus, vel per se, vel per angelos peculiariter sit causa talis deliberationis, quam inspirationem vocamus. De quo vide Caietanum prima parte, quæstione octuagesima sen. Hæc autẽ adeò vera sunt, vt non tantùm cùm quis primò deliberat, prima deliberatio non sit in nostra potestate, sed etiam postquam aliquis omnino cessauit â motu intellectiuo, non sit in potestate eius prima deliberatio, vt est in dormiente, qui à somno excitatur propter eandem rationem.

22 Tertia propositio * Cùm quis primò deliberat non habuit in sua libertate priùs deliberasse. Patet ex dictis, quia si ista non fuisset prima deliberatio, etiam alia fuisset naturalis, vt patet. ergo non potuit esse alia libera ante hanc.

23 Quarta propositio, Cùm * quis primò deliberat, potuit prius deliberasse, probatur quia prima deliberatio est à causis merè naturalibus, vt dictum est illæ autem potuerunt priùs concurrere. ergo potuit prius deliberasse. sed etiam illa fuisset naturalis.

24 Quinta propositio, prima deliberatio* non potest cadere sub prȩcepto. Hæc patet ex aliis, quia non est in põt hominis, si est naturalis ergo non potest cadere sub præcepto. Nõ enim dantur prȩcepta, nisi de actibus, qui sunt in nostra potestate, & si omittitur, non libere omittitur & cõfirma

tur

tur, quia nō posset sciri tale præceptū, quia iā hoc ipsum esset deliberatio: iā enim habet vsum rationis q cognoscit se teneri præceptò. ergo impossibile est, q quis habeat præceptū primò deliberādi, nec omissio, nec impletio esset libera.

Sexta ꝓpositio, Quicūq; *primò deliberat, nō tenebatur priùs deliberasse. Patet ex dictis, quia nō erat ī sua libertate ergo nō poterat ei esse præceptum Vnde sequitur corollarium, Vanū * est q dicūt recētiores, q datur tēpus induciarum, in quo scilicet aliquis potest deliberare, & si nō deliberet, iā imputabitur ei. Hoc inquā patet ex dictis esse falsum, quia si non deliberat, nec est in libertate ipsius deliberare, imò si fieri posset, vt quis per centum annos bene dispositus nunquā deliberaret, non potest ei imputari. 25 26

Secundum corollarium, & sit septima propositio. Primum * instans vel tempus vsus rationis est, in quo quis primò deliberat actu, non in quo potest primò deliberare. Probatur, quia primum instans rationis vocatur, in quo quis potest primò vti libero arbitrio & in quo primò est capax præcepti & boni aut mali, sed hoc nullo modo potest antequam primo actu deliberet. ergo illud est primū instans vel tempus vsus rationis. 27

Tertiū corollarium, Cum doctores querūt, an homo obligetur ad aliquid in primo instāti vsus rationis, & ad q̄d teneatur, intelligendū est necessa-

sariò de primo instanti vel tempore in quo deliberat. Patet quia priùs non est imaginabilis obligatio, sicut nec libertas. ergo, Et cõfirmatur, quia omnino est impossibile, vt quis cognoscat quando primò potuit deliberare, si hoc fuit antequam actu deliberaret. Patet, quo enim signo vel argumento hoc posset cognoscere? ergo si aliud tempus designaremus vsus rationis antequam homo deliberaret, & in quo homo obligaretur, nullus posset scire, nec per coniecturas quidem pingues & crassas, an impleret illud præceptum nec ne. Et in summa, est absurdis. hoc ponere, sicut (si quis dormiat) dicere, q̃ habet aliquod nouum præceptum, vt expergiscatur, quod quidẽ priùs nõ haberet quàm dormiret. Dico ergo, quòd ad quamcunque dispositionem quis perueniat, ante quàm actu deliberet, nondum peruenit ad vsum rationis, nec est tempus vsus rationis, nec obligatur ad aliquid, nec de illo est apud theologũ aut philosophum aliud iudicium, quàm de puero. Sed quando quærimus, ad quid homo teneatur in primo instanti vsus rationis, intelligendũ est, id est in quo primo actu deliberat, vnde si quis excedat è vita, antequam actu deliberet, impossibile est vt peccauerit.

Hæc tantum de prima quæstione.

S E-

SECVNDA PARS RELECTIONIS.

SVMMA.

1 *Homo in Barbaria educatus, sine institutione, & mẽtione deitatis, & religionis, an cum primum peruenit ad vsum rationis, possit Deum cognoscere.*

2 *Homo ad cognoscendum quòd Deus est: saltem sine doctore extrinseco, indiget non paruo tempore etiam post capacitatem ad percipiendum disciplinas.*

3 *Doctorem non habens extrinsecum, quomodo videatur pro tempore posse habere de Deo ignorantiam inuisibilem.*

4 *Ratio nusquam est nec vnquam fuit, nec erit, vbi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes teneantur rationabiliter credere.*

5 *Ad vsum rationis potest quis venire, & pro aliquo tempore non habere notitiam Dei.*

6 *Ad vsum rationis veniens, etiam si Deum non cognoscat: an possit bene moraliter agere.*

7 *Homo cum primũ ad vsum rationis peruenerit, ut etiã si Deum neque cognoscat, neque possit cognoscere potest bene moraliter agere.*

8 *Ad vsum rationis perueniens, qui nec Deum cognoscit, nec potest cognoscere, an possit peccare.*

9 *Antequam cognoscat quis deum aut possit cognosce*

re,

re potest peccare.

10 *Legis diuinæ duplex consideratio.*

11 *Rationis vsum an possit habere quis ad peccandum venialiter prius: quàm ad peccandum mortaliter*

12 *Rationis ad vsum peruenientis: non tenetur se conuertere in Deum explicitè, distinctè: & formaliter.*

13 *Rationis ad vsum peruenientis, ad actum aliquem tenetur statim.*

14 *Rationio ad vsum peruenientis, tenetur se conuertere in bonũ eo modo: quo tunc potest, id est conformiter ad cognitionem, quam habet.*

SEcundapars & quęstio relectionis erat, Quid homo possit cũ primũ peruenerit ad vsum rationis, circa q̃ maximè occurrũt quatuor dubia

1 Primum, An* quilibet cum primum peruenerit ad vsum rationis, possit Deum cognoscere. Et vt omissis certis & facilioribus, veniamus ad nodum difficultatis, loquamur de homine educato in Barbaria sine institutione, & mentione Deitatis, & religionis, An talis possit cognoscere Deum cumrpimum peruenerit ad vsum rationis & videtur quòd sic. Primò quia illud est per se notum, saltem apud S. Tho. 1. p. q. 2. ar. 1. ergo non indiget tempore ad id cognoscendum. Secundò quia regula theologorum est, quòd faciẽti quod in se est, Deus non deficit in necessariis ad salutẽ: sed credere quòd Deus est, est necessarium ad salutem. ad Hebr. 11. Accedẽtem ad Deum oportet

cre

credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator est: ergo si facit quod in se est, non ignorabit. Et confirmatur ex illo. 1. Iohan. 2. Vnctio eius docet vos de omnibus.

In contrarium est, quia cognoscere quòd deus est sine doctore extrinseco, est valde difficile, habitat enim lucem in accessibilem, & cognosci nõ potest, nisi per ea, quæ facta sunt: Rom. 1. & oculus noster se habet ad manifestissima naturæ, sicut oculus noctuæ ad lumen solis, & ita videtur de Deo. Et item Aposto. Ro. 10. Quomodo credẽt ei, quẽ non audierũt? & ponamus q̃ aliquis nihil audiuit: ergo nihil potest talis cognoscere.

Ad hoc respondeo per propositiones. Prima est, Ad* cognoscendum quòd Deus est, saltem sine doctore extrinseco, homo indiget non paruo tempore, etiam, post capacitatem ad percipiendum disciplinas. Quæ propositio primò probatur sufficienter argumentis factis. Item, quia si põt cognosci, hoc maximè est argumẽtis, & rationibus, pcedentibus ex solo lumine naturali, & ex periẽtia rerũ, & cognitione naturali creaturarũ, sicut videtur dici ad Ro. 1. sed hoc est valde difficile, vt patet ex rationibus factis, tũ ab Arist. tũ ab aliis philosophis, & doctoribus, quæ sunt difficiles, & pcedunt ex principiis, quæ indigent magno ingenio, & doctrina, & hoc accepta à maioribus opinione, & cõmota iã disputatione de deo,

quan

quanto difficilius inuenta & cognita, etiã apud eum, cuius auribus nihil vnquam de Deo insonuit. Neque dubitandũ mihi videtur de hac propositione. De qua difficultate egregiè Cicero, in libro de natura Deorum sub persona Cottæ contra Balbum & Velleium, quanquã Velleius hanc dicebat esse prænotionem & prolepsim insitam animis hominum, Deos esse.

Secunda propositio, Si quis non habet doctorem extinsecum, videtur ꝙ pro tempore possit habere ignorantiã inuincibilẽ de Deo. probatur ex prima, & probationibus eius. Et confirmatur, quia S. Tho. 22. q. 10. arti. 1. dicit, Quòd apud eos, qui nihil audierunt de fide, infidelitas siue ignorantia fidei non est peccatum, sed profectò omnino videtur eadem ratio de illa, Deus est, apud omnes qui nihil audierũt de deo, sicut de aliis propositionibus fidei: & eadẽ videtur intentio Aug. lib. 83. q. & per hoc facilè posset responderi ad dubium videtur enim respondendum negatiuè, scilicet, ꝙ non omnis talis potest cognoscere Deũ, cum primum peruenit ad vsum rationis.

Et ad argumenta esset facilè respondere. Nam ad primum respondetur ex illo Aristo. Oculus noctuæ. &c. &, 1. Phy. Nõ eadem sunt nobis nota & naturæ.

Ad secundum diceretur, ꝙ saltẽ priùs esset ꝙ iste quæreret, & laboraret ad inueniendũ, & tũc

Deus

Deus prouideret, & iam saltem pro aliquo tempore ignoraret. Et item deus non semper prouidet docendo: quia clarum est, quòd aliquis etiã faciens quod in se est, potest habere ignorãtiam de necessariis, ad salutem, putà de Christo, & de præceptis, saltem pro tempore, sed Deus prouideret, vel illuminando, vel non imputando ignorantiam. de hoc tamen latiùs in. 3. &, 4. q.

Sed his non obstantibus sit tertia propositio probabilis, Nusquam* est, nec vsquã aut vnquã 3
fuit natio, nec erit, vbi non sit notitia de deo probabilis, & cui omnes rationabiliter teneantur credere. Ista propositio, fortasse non poterit ita manifestè probari, sed certè probatur apparenter. Primũ in historia nunquã legimus tam immanẽ & barbarã, & efferam nationem, quæ non haberet aliquem religionis ritum, & putaret deum esse, vt Balbus, & Velleius eloquenter apud Ciceronem disputant. Et patet ex omni historia tam sacra quàm profana: & si qua fuit natio, facilè potuerunt scire ex aliis nationibus, apud quas seruata fuit opinio de deo. Itẽ hoc fuit multo tempore notum, & receptũ in toto orbe etiã post diluuium. ergo nunquam traditum est obliuioni, quin perseueraret in memoria hominũ sicut aliq res minus celebres perseuerauerunt. Item Deus est administrator & gubernator orbis, vt ex fide notum est: sed in administratione hominum ma

xima pars est religio, religio autem nulla esse po test sine cognitione Dei. ergo cum vt ostensum est, homines per seipsos nō possint nisi cum magna difficultate, & multo tempore cognoscere Deum esse, si Deus permitteret tolli memoriam & cognitionem sui ab hominibus, nulla posset esse religio, quòd omnino non esset congruum Prouidentiæ dei, & sapientiæ ipsius, qui disponit omnia suauiter, & attingit, &c. quod nullus sapiens homo permitteret, si posset impedire.

Probatur maior ex illo. Pater meus vsque modo operatur. Et sapiētię 14. tu aūt pater gubernas oīa puidētia. Itē sapientię. 8. Sapiētia attingit à fine vsque ad finem, &c. Item. Deus vult omnes homines saluos fieri, ꝙ non possunt salui esse, nisi per cognitionē dei ergo. Et confirmatur, quia etiam præcepta iuris naturalis & decalogi non sunt per se nota, & tamen ex prouidentia dei doctores concedunt, quòd non stat ignorari, saltē nisi ex malitia, in quacunque prouincia, & natione. ergo cum multo magis ad vitam humanā exigatur cognitio Dei, quàm præceptorum, nullo modo est dicendum, ꝙ Deus permittat aboleri memoriam deitatis. Itaq; semper homo si vellet adhibere diligētiā, posset cognoscere deū esse.

Et si contra hoc quis arguat, ꝙ per millia annorum maior pars hominum falsos Deos coluit, & nullā habuit notitiam veri Dei, dico ꝙ nunquā

vide

videntur defuisse philosophi,& viri sapiẽtes, qui vnitatẽ veri dei affirmarẽt & docerẽt vt patet ex Apostolo ad Ro.1.& ex historia. Et si hoc verum erat circa tẽpora Apostoli, multo magis videtur verisimile superioribus temporibus, quando minus distabãt à lege naturæ & memoria Patrum: & alii tenebantur rationabiliter illis credere. & sic Deus semper sufficienter consuluit,& ꝓuidit.

Secũdò,possemus dicere ꝙ * etiã si gentiles haberent falsas sententias de deo,tamẽ semper hoc erat omnibus commune,ꝙ erat aliquis Deus, siue vnus,siue plures,cui debebant cultum, & religionẽ:& sic siquis vel hoc ignorabat,vel negabat vel dubitabat erat ex culpa sua,vt Diagoras, qui ideo atheos dictus est,& Theodor⁹,q deorũ naturã aptè substulerũt,&Protagoras sophistaq in dubiũ reuocauit,quo nomine Atheniẽsiũ iussu vrbe & agro est exterminat⁹,libriq; ei⁹ in cõcione cõbusti.Et ex hoc respondetur affirmatiuè ad quẽstionẽ,scilicet ꝙ quilibet cũprimum peruenit ad vsũ rationis,põt habere notitiã dei. Sed quia,etiã si ista vera sint(vt certè sũt)tamẽ nõ ꝓbatur,quia saltẽ breui tẽpore posset aliqs esse sine notitia dei Ideo põt poni quarta ꝓpositio absoluta, ꝙ * põt qs puenire ad vsũ rationis,& ꝑ aliquo tẽpe nõ habere notitiã dei, quia argumẽta hoc videtur ꝓbare.Et ita tenet Caie.12.q.10.ar.4.expresè.Et quã q̃ ita sit,vt dictũ est,ꝙ de⁹ gerit ꝓuidẽtiãmanifestã

4

5

di nomen ſuum, non reſpõdetur ad caſum de eo qui nutritur in ſylua ſine mẽtione religionis: nã deus ordinaria via non prouidet, niſi per cauſas ſecũdas,& de doctrina p prædicatores ad Ro.10.

6 Secundum dubiũ eſt, An*quilibet talis poſsit bene moraliter agere,Et quia de alio nõ eſt difficultas,perſeuerat dubiũ de illo, qui ita educatus eſt extra religionem,& ſine doctrina, & mentione Dei. De hoc dubio Grego. Arimin.2.d.38. & priùs d.26.omnino contendit, q̃ ad actum moraliter bonum requiritur circunſtantia vltimi finis qui eſt Deus.Itaque niſi actu, vel habitu actus referatur in Deum,actus non ſolùm non eſt bonus ſed eſt malus,& peccatum. Idem videtur tenere Ochã in 1.d.1.q.1.quẽ ſequitur Almain in Mora. c.14.quantum ad hoc q̃ ad bonitatẽ moralem requiritur circũſtantia vltimi finis.ſed videntur æquiuocare de actu moraliter bono.vnde Ocham apud Gab.2.d.28.tenet,q̃ ad actum moraliter bonum non requiritur q̃ referatur in Deum. Et ita tenet Gabriel illic,& eſt communior opinio, de qua nos etiam latè in lectionibus ordinariis diximus.Et ideo quantum ſpectat ſolum ad hoc dubiũ,patet,q̃ ſecundum Grego, dicendum ſit,q̃ ſi quis non cognoſcat Deum pro illo tempore,nõ poteſt bene moraliter agere.

Contra quam opinionem argumentor ſic, Quia ſequitur,quòd nulla via poſſet ille, qui aliquãdo

igno

ignoraret Deũ, peruenire ad cognitionẽ eius, ſaltẽ niſi caſu haberet exteriorẽ doctrinã. Probatur & maximè ſecũdum ſententiã eius, loco citato, quia nõ põt peruenire ad talem cognitionẽ ſine ſpeciali auxilio Dei, ſed iſte nullo modo põt ſe diſponere ad tale auxiliũ, quia per oẽs actus ſuos peccat ergo non poteſt. Secũdò ſequitur, q̃ talis eſſet omnino perplexus, quia nõ põt ſaltẽ ſtatim cognoſcere Deũ. & tamen tenetur ſeruare præce pta etiã ſecũdũ eundẽ, 2, d. 34. & nõ poteſt ſeruare niſi per actũ malũ. ergo eſt perplexus, quia ipſe non ponit actus indifferentes inter bonũ & malũ, imò videtur q̃ talis actus ſit mortalis quia eſt fruitio creaturæ. Hoc argumentũ aliter ſolui nõ poteſt, niſi dicendo, q̃ talis põt cognoſcere Deũ cum ſpeciali auxilio Dei, & ſic iam non eſt perplexus, quia poteſt vitare illud peccatum, ſaltem cum ſpeciali auxilio, ſicut ipſe ſibi reſpondet in illa d. 26. Sed hoc impugnatur vehementer, quia ſtat, q̃ non detur tale auxilium, & hoc ſine culpa illius. ergo iam non poterit vitare peccatum, Aſſumptum patet, quia non omnibus datur illud ſpeciale auxilium ad cognoſcendũ Deũ (vt etiã ipſe habet fateri) multi enim perſeuerant in tali ignorantia: & hoc nõ eſt propter culpã eius quia non poteſt illud vitare antequam illuminetur ſe cundũ ipſum, ergo adhuc manet perplex⁹. Huc pertinet illud quod Augu. de correctione & gra-

tia dicit de gratia præueniente. Quibus datur, misericorditer datur. Quibus autem non datur iuste negatur. Saltem in pœna peccati originalis. Vnde videtur quod sine noua culpa posset non dari. Item, vel ad hoc quòd illuminetur, requiritur, q̃ iste aliquid faciat vel non: si non, ergo non est in potestate ipsius quòd illuminetur, vel non & sic potuit sine culpa ipsius nõ illuminari & sic erit perplexus sine culpa sua, si oportet eum aliquid facere antequã illuminetur cõtrã, Illud nõ potest esse nisi peccatũ: peccatũ autẽ non requiritur ad illuminationem. ergo. Item ipse in eadẽ d. dicit, q̃ nullum potest esse meritum etiam de congruo ad primam gratiam, vel ad auxiliũ speciale. ergo non requiritur dispositio, quia illa videretur meritũ de congruo. Itẽ, dato q̃ ex culpa sua talis nõ illuminaretur, adhuc esset inconueniens, quia ex culpa præcedenti necessariò incideret in nouum peccatum.

Ad hoc argumentum responderet necessariò Greg. q̃ non obstante, q̃ Deus negaret alicui speciale auxilium ad vitandum peccatum, nihilominus imputaretur ei, quia ista priuatio vel ignorãtia est ex peccato originali. Et ita respondet expresse in illa d. 26. q. 1. in fi. sicut si quis ex ignorãtia, quã incurrimus ex originali peccato ageret quod non debet. Sed hoc profectò non videtur catholicè dictum. Item, quòd iste, qui nunquam

aliquid audiuit de Deo, cognoscat deum esse, & vltimum finem & omnia referenda in ipsum, nõ solum est speciale auxilium, sed etiã spiritus prophetię, vt patet ergo si quis ita natus & educatus esset sine religione & doctore, nullo pacto posset vitare peccatum, nisi in ipso primo instanti vsus rationis, antequã quicquam boni aut mali egisset, reciperet spiritum prophetiæ: quia quicquid pri⁹ faciat, necessario erit peccatũ, etiã si de⁹ post duos dies mittat angelũ aut prædicatorẽ. Imò dato ꝙ statim mittat p̃dicatorẽ, ipossibile est vitare peccatũ, quia ipsũ audire p̃dicatorẽ erit peccatũ cũ, nõ possit credere priùs quàm audiat nisi dicat ꝙ est actus indifferens. Hæc sunt absurdissima: & ideo si quis vellet omnino defendere, ꝙ ad actũ moraliter bonũ requiritur circunstantia vltimi finis, oporteret vt teneret simul, ꝙ actus carens illa circunstantia esset indifferẽs, neq; tamen hoc satisfaceret, quia magnũ incõueniens videtur, ꝙ actus indifferens requiritur vt illuminetur à deo.

Sed quia in moralibus nõ oportet solicitũ esse an possit aliqua sentẽtia & opinio defendi, aut quomodo responderi possit argumẽtis, sed cõsiderare potiùs, qd verisimilius sit. ideo sit ad dubiũ. Prima propositio, Omnis homo cũ primum advsũ rationis puenerit, etiã si deũ neq; cognoscat, neq; possit cognoscere, põt bene moraliter agere. Hæc probatur primo quia (vt dictum est) li- 7

berum arbitriũ est facultas rationis & voluntatis ergo quicunque habet liberum arbitrium, potest non solùm cognoscere bonum ꝙ malum, sed etiam facere & velle, vt suprà dictũ est, non enim loquuntur theologi aut philosophi de vsu rationis aut libero arbitrio, nisi in ordine ad bonum & malum, & ideo aliqui vocantur ameutes & insani. Quod si ad actũ bonum requiritur relatio in Deum, talis qui non cognosceret Deũ, non solũ non posset bene agere, sed neq; cognoscere quid bonũ esset. Item, si ad bene agẽdum requiritur relatio in Deũ, vel hoc est de iure naturali, vel positiuo & diuino. Primũ non videtur, cùm hoc non sit notum in lumine naturali, imò secundum sententiã Grego. neq; cognosci quidem potest sine auxilio speciali, ergo non est de iure naturali. Positiuo autem non constat. Neq; enim. Paulus cũ dixit, Omnia in gloriã Deifacite, voluit aliquod nouum ius ꝓmulgare neq; aliquis philosophorũ hoc vnquã dixit, qui tamẽ lumẽ naturale habebãt. Itẽ, dato ꝙ esset præceptum illius relationis, Paulus à ꝓtè excusat ignorãtẽ, ad Ro. 10. Quomodo inuocabũt in quẽ nõ crediderũt? Quòd si nõ credere est sine culpa, vt suprà ꝓbatũ est, ergo, nõ inuocare, vel nõ referre in illũ actiones suas erit sine culpa. Et quidẽ de relatione formali ĩ deũ, vel cõcomitãte, vel etiã præcedẽte, ita tenet Caie. 22. q. 10. ar. 4. Dicit tamẽ ꝙ ꝓ hoc, ꝙ actus humani re

ferã

ferãtur in bonum obiectum, virtualiter referũtur in Deũ, quia referũtur in res eo modo, quo Deus inſtituit, ſicut & omnia naturalia fiunt propter finem. 2. Phyſi. & tamen non ſemper referuntur in talem finem ab ipſo agente, vt actus hirundinis cùm componit nidum, aut formicæ cùm frumentatur in æſtate, referuntur quidem ad certos fines non ab hirundine vel formica, ſed à ſuperiori intelligentia. Ita cùm homo operatur bonum ex genere, licet nõ referat in Deum, tamen illi actus relati ſunt in Deum ipſum, ab ipſo Deo qui omnia propter ſeipſum operatus eſt & eſt exemplum. Seruus enim qui eo modo ſuum officium facit, ſicut dominus conſtituit, virtualiter facit propter dominum, & ad finem quem dominus ordinauit facit. Hoc dicit S. Tho. 2. diſt. 38. art. 1. Sicut rerum (inquit) omniũ vnus eſt finis vltimus, id eſt Deus Ita & voluntatum omnium vnus eſt finis vltimus ſcilicet Deus. Nihilominus ſunt alij fines proximi, & ſi ſecundum illos fines ſeruatur debita relatio voluntatis in vltimum finem, erit recta voluntas ſi autem non: erit peruerſa. Debita autem relatio ſeruatur ſecundum illum finem, quo voluntas nata eſt vltimum finem participare, &c. Et videtur etiam facere ad hoc, quod S. Tho. dicit. 1. 2. q. 21. arti. 3. & 4. q̃ homo natura eſt animal ciuile & ſociale. Qui autem in ſocietate aut ciuitate viuit, pars eſt ciuitatis. Qui ergo aliquid in bonum &

& in commodum facit alicuius priuati hominis, facit etiam in bonum publicum & commune, sicut qui priuatum hominem lędit, bonum cõmune lædit, cuius ille est pars, atq; laudem & prẽmiũ meretur, non à priuato homine solum, sed etiam à tota ciuitate aut collegio, & eadem ratione ab eo qui præsidet collegio & ciuitati, & si nihil de collegio aut præsidi benefaciendo cogitet. Et certe hoc naturalis ratio dictat. Et confirmatur. Certè enim videtur iniquum, & contra Dei bonitatem excogitatum, q̃ offendatur Deus etiam ab illo qui nihil minus cogitat, quam Deum offendere & tamen bene agere nemo posset nisi actu referens opus Deo placere studeat. Adde quòd nec est quisquam qui non laudet & probet factũ aut bonum collatum in amicum suum, aut vtcunque necessarium, etiam qui sibi nullo modo cogitarit gratificari. Vt quid ergo affirmamus Deum condemnare, etiam omnia officia collata in Dei filios quæ non respectu Dei fiant neq; Deus præcepit parentes honorare propter Deum, sed honorare solum: & ita de alijs præceptis, Ita nimirum ipsa implere vt rebus ipsis expediebat sunt enim præcepta distincta de cultu diuino, & de rebus humanis: atq; adeo nihil necesse est in omnibus alijs actibus Deũ colere & maxime ipso dicẽte quæcũq; vni ex minimis feciſtis mihi feciſtis.

8 Tertiũ dubiũ in hac secũda quęstione An* omnis

ta-

talis peruenies ad vſum rationis poſsit peccare. Et loquimur ſemper de illo q̃ nec deũ cognoſcit nec poteſt cognoſcere. Et pro parte negatiua fiũt argumẽta, neq; leuia, neq; ita facile expedibilia. Videtur enim, q̃ ille qui Deũ nõ poteſt cognoſcere, pro eo quidẽ tẽpore neq; peccare quidẽ poſsit Et primo quidẽ, quia Deũ eſſe, imo Deũ eſſe dñm eſt præambulum ad legẽ diuinã. vt S. Tho. ait. 22. q. 16. arti. 1. quia præſupponitur ante ſuſceptionẽ legis, vt quis fateatur ſubiectionẽ ad legiſlatorem iuxta illud, Accedentẽ ad Deum oportet credere quia eſt. Nec eſt intelligibile, vt q̃s recipiat legẽ ab illo, quẽ non cognoſcit ſuperiorẽ. Vnde qui nõ tenetur recipere aut cognoſcere dñm aut legiſlatorẽ, neq; legẽ eius tenetur recipere. Ergo iſte, quem ponimus ſine culpa ſua ignorãtẽ Deũ, nõ tenetur recipere legẽ dei, neq; illi obedire. Sed peccatum eſt dictũ, vel factũ, vel concupitũ cõtra legẽ dei. vt ait Augu. 22. cõtra Fauſt. & Ambr. libro de paradiſo, & Magiſter. 3. d. 35. dicit q̃ eſt prẽuaricatio legis diuinæ & cæleſtiũ inobediẽtiã mãdatorũ. Ergo videtur, q̃ in tali nõ poſsit eſſe peccatũ. Et cõfirmatur, Bene ſequitur, Ego nõ habeo dñm neq; ſuperiorẽ cui tenear obedire. ergo nõ obligor aliqua lege, ergo nõ pecco. Cõſequẽtię videtur notę q̃ nullus tenetur aliqua lege, niſi ſuperioris: neq; peccat, niſi faciendo contra id ad quod tenetur, vel præter ipſum vel omittendo illud ad quod tenetur.

tenetur. Sed antecedens est inuincibiliter creditũ ab isto. ergo & consequens, & per consequens ex cusatur ignorantia inuincibili. Item sequitur, Nõ est Deus, ergo nullum est peccatum. Et consequẽtia videtur nota quia vt dictum est peccatum nõ est nisi sit præter vel contra legem Dei. Antecedens autem est inuincibiliter creditum ab isto, ergo & consequens. Et confirmatur, quia si per impossibile non esset Deus, nullus obligaretur. Sed pro eodem videtur haberi, quòd non sit Deus, & quòd non possit cognosci an sit, sicut quãtùm ad obligationem, pro eodẽ profectò habetur, quòd quis nõ haberet regem, vel ignoraret inuincibiliter se habere regem: omnino enim est absurdum dicere quòd rex obliget me, de quo ego inuincibiliter iudico, ꝙ non est rex meꝰ. Et probatur, quia in omni mortali est auersio à Deo. ergo si non esset Deus, videtur quòd non esset mortale. Itẽ Apostolus Rom. 4. Vbi non est lex, neq; præuaricatio vbi per præuaricationem nihil aliud videtur intelligere, nisi peccatum, ergo vbi ignoratur lex inuincibiliter, etiam non erit peccatum, quia idem videtur iudicium, quòd non sit lex, & quòd ignoretur. Et confirmatur, quia lex non obligat nisi promulgata: legesque instituuntur cum promulgantur. Si ergo quis ignoret legem, non obligatur lege. Item quia actus est bonus, vel malus inquantum est conformis, vel difformis rationi.

2.Ethi. Sed ratio humana non habet vim obligandi neq, rationem legis nisi à lege diuina.ergo qui propter ignorãtiam excusatur à lege diuina etiã excusatur à lege rationis.Et confirmatur, quia leges humanæ non obligant nisi virtute legis diuinæ,quia omnis potestas à domino Deo est,adRoma.13.& Dominus in Euan. Ioã. 19. Non haberes potestatem aduersus me vllam nisi tibi desuper esset datum. ergo etiam neque ratio humana habet vim obligandi nisi à lege diuina. Item omne malum est malum, quia prohibitum à lege æterna.ergo si ignoratur lex æterna, videtur quòd excusetur à peccato:sed qui ignorat Deum,ignorat legem Dei, vt probatum est. ergo excusatur à peccato.Antecedens est S.Tho.1.2. quæs.71.art. 6.ad quartum, vbi dicit, quòd cum dicitur, quòd non omne peccatum est malum, quia prohibitum intelligitur prohibitũ iure positiuo.Sed omne peccatum est malum , quia prohibitum lege æterna. Item illud Roma.1.Quia cum cognouissent Deũ, &c.Vnde videtur,ꝙ si nõ cognouissent,essent excusabiles. Item, vt S. Tho. dicit illic ad quintum, Peccatum quidem à philosophis consideratur vt est contra rationem,sed à theologo vt est offensa Dei.Mirabile autem videtur,quòd quis offendat Deum,quem neq; cognoscit,neq; tenetur cognoscere.Et confirmatur,quia ponamus, ꝙ talis ante quam cognoscat,aut possit cognoscere, sed incipiens

piens inquirere, an sit deus, nec ne, habeat tale propositum, si scirem esse deum, ego vellem placere illi in omnibus, tunc videtur, quic quid faciat quòd excusetur. Item si quis ignoret inuincibiliter dominum, non tenetur præceptis domini: ergo qui ignorat deum, non tenetur præceptis dei. Item habet ignorantiam inuincibilem obligationis ad pœnam inferni atq; purgatorij, ergo videtur ꝙ saltem non imputetur ei peccatum. Item facit illud. Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. ergo à simili si non cognoscatur deus peccatum non habebunt hi. Ista & alia similia, quæ pro parte negatiua afferri possent, certè non parum mouere possunt ad suadendam partem negatiuam, quòd scilicet antequam quis cognoscat, aut cognoscere possit deum, non potest peccare.

Pro parte autem affirmatiua non oportet multa adducere, cùm sit consensus omnium doctorũ, quòd quicunq; habet vsum rationis, potest bene vel malè agere. Imò hoc videtur haberi ex diffinitione vsus rationis, aut liberi arbitri. probatur tamen, quia aliqui actus sunt intrinsecè mali, vt mẽdaciũ ex sententia Augustini, & doctorũ: ergo si fiat ab habente vsum rationis, erit peccatũ. Item probatur apertè ex illo Psal. 4. Multi dicũt, Quis ostẽdit nobis bona? signatũ est super nos, &c. vbi videtur tolli excusatio ignorãtiæ. Item, aliâs pri-

ma

ma principia non essent necessaria, puta, Non est faciendū alteri quod tibi non vis fieri, quia in tali casu omnia licerent, si non posset peccare. Ad hoc nō videtur omnino certū quid maximè dicē dū sit, & si liceret more iurisconsultorū noua dogmata asserere, & rem in discrimen vocare, nō videtur absurdū defendere duas propositiones sequentes. Prima, Quicūq; habet vsum rationis, potest quā primū bene & malè agere & propriè peccare. Ista propositio satis probata est. Secūda propositio, Quicūq; nō cognoscit nec potest cognoscere deū, non habet vsum rationis. & sic de eo de quo positū est dubiū, tam primū, q̄ secundū, q̄ tertiū, diceremus, ꝙ omnia ista dubia præsupponūt falsum, ꝙ scilicet talis habet vsum rationis, qui nō pōt cognoscere deū, sed diceremus, ꝙ est idē iudiciū de illo, & de puero, & amente, neq; bene neq; malè potest agere. & sicut suprà diximus ꝙ quantūcunq; quis habeat vsum rationis in artificialibus, vel in quibuscūq; alijs, si tamē non posit sufficienter deliberare de moribus non habet simpliciter vsum rationis, vt loquitur theologus & philosophus. Ita videtur dicendum de eo, qui nō cognoscit, neq; potest cognoscere deum, ꝙ quamtuncunq; vtatur ratione & consultet, nondū peruenit ad vsum rationis, quia non potest deliberare de bono & malo: quia vt videtur sentire S. Th. 1.2. quæst. 19. arti. 4. & q. 71. art. 6. nihil est bonum

aut

aut malum, nisi quia probatur, aut reprobatur in lege diuina: & ideo qui non cognoscit legem diuinam, deficit ei principium ad deliberãdum de agendis, & sic nõdum habet vsum rationis. Et cõfirmaretur hoc, quia si per impossibile quis priuaretur notitia principiorum circa agibilia, quantumcumque haberet principia speculatiua scientiarum, imò & conclusiones, & omnes artes etiã mechanicas non diceretur habere vsum rationis, vt certum est, ergo à simili, si non habet notitiam Dei, & illud est principium ad cognoscẽdum bonum & malum, quantumcumq; talis sit sapiens in alijs, non diceretur habere vsum rationis sicut neq; bruta animantia, etiam si discurrerent de medijs ad finem, & haberent potestatem agendi, & non agendi, non dicerentur habere liberum arbitrium, quia non cognoscerẽt bonum, aut malum in moribus. Et possent ista confirmari ex illo ad Roma. 1. Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt: ita vt sint inexcusabiles, vnde videtur, q̃ si non cognoscerent, essent excusabiles. Neque video quàm posset hoc vehemẽter impugnari, neq; quæ magna inconuenientia possent ex hoc sequi. & maximè, quia vt suprà dictum est, prouidentia Dei factum est, vt hoc vel non possit contingere, vel breui admodum tempore, vt non possit quis habere notitiam de Deo, nec videtur incõueniens, si quis paruula morula

non

non sit capax boni aut mali, quantumuis in alijs bene intelligat.

Sed quia hoc videtur Paradaxon,& non omnibus auribus placeret,& nouum videretur,ideo ad dubium affirmatiuè respondeo per hanc propositionem, Antequam * aliquis aut cognoscat aut 9
possit cognoscere Deum,potest peccare.Ista propositio præter probationes iam positas adhuc potest probari, quia agere contrà conscientiam est peccatum,iuxta illud Pauli,Omne quod non est ex fide,peccatum est: in tantum, vt etiam voluntas discordans à conscientia falsa, sit mala, vt omnes doctores dicunt. Sed ignorans sic deum potest facere contra conscientiam, quia naturaliter homo iudicat quòd est malum iniuriam facere innocenti,parentes esse honorandos,&c.ergo potest malè agere,& per consequens peccare. Confirmatur,quia etiam philosophi illi, vel qui negabant deum esse,vt Diagoras,vel qui negabant saltem quicquam ad deos attinere facta hominum, vt Democritus & Epicurus, dicebant tamen aliqua esse bona,alia mala, & peccata, & alia laudabilia, & alia vituperabilia, ergo id non dependet ex notitia dei. Item aliâs nullum principium morale esset per se notum.Patet quia si sine cognitione dei non potest cognosci neq; bonum neq; malum morale,cum deum esse non sit per se notum, nullum ergo principium esset per se notũ in mo-

ribus. Item sequitur, q̃ quicunq; non habet euidentiam, q̃ Deus est, non habet euidẽtiam de aliquo malo, aut peccato. Patet consequentia manifestè. Quia si periuriũ esset manifestè peccatum, vel homicidium, pẽdet ex hoc principio, q̃ Deus est: ergo qui non habet euidentiam de illo principio neq, de alio, scilicet q̃ homicidium est peccatum, sicut nõ potest habere euidentiam maiorem aut certitudinem de baptismo, quàm de Christo.

Ad rationes autem in contrarium Gregorius quidem Ariminensis in.3.d.34. Tenet duo Primũ dato per impossibile, q̃ non esset Deus, adhuc esset peccatum, & malum morale. secũdum, dato, q̃ nulla esset lex prohibitiua diuina, adhuc essent peccata. Infert corollarium, q̃ multa sunt peccata ita secundum se mala, q̃ non sunt mala, quia prohibita etiam lege diuina, fundamentum eius potissimum est, quia ad hoc, q̃ quis malè agat, satis est q̃ agat contra rectam rationem, siue humanam, siue angelicam. Cùm ergo hoc posset esse, etiam neq; Deo neq; aliqua diuina lege existente, consequens est illa duo dicta cum corollario esse vera. Item ad Ro.2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ sunt legis faciunt: ipsi enim sibi sunt lex. ergo ratio sufficit. Et confirmatur, quia si nihil est malum nisi quia prohibitũ, cùm posset nihil esse prohibitum, posset nihil esse peccatum. Et sic odium Dei, & periurium possent nõ

esse

esse mala. Hanc tamen propositionem nullo modo puto probabilem: neque est mihi intelligibile quomodo aliquis peccet si omnino non obligatur, neq; video quomodo obligetur, si non habet superiorem. atq; adeò si vel Deus non esset, vel nihil præciperet, ego non dubito, quin nullum esset propriè peccatū aut malum morale, licet posset esse peccatum, sicut est in natura vel in arte: nec esset aliter malū quòd homo interficeret patrem, quàm q̄ lupus interficeret matrem, Quod videtur etiam probari: quia etiam in his, quæ de se mala sunt, si fiant authoritate diuina, desinunt esse mala, vt interficere innocētem. Ergo signum est, q̄ tota bonitas aut malitia dependet ex authoritate diuina. Et præterea omnis obligatio est ex lege, sed lex non potest fieri nisi à communitate, vel superiori, vt dicit S. Tho. 1.2.q.9. art.2. ergo.

Ex quo infero, quòd Deus nullo modo obligari potest, quia non habet superiorem. neque potest certè explicari quid sit Deum obligari. Et item quicquid faciat pater ad extra quantumcūq; cōstituerit legē, gratis omnino facit. ergo nō obligatur, neq; promissio diuina, aut lex inducit proprie obligationem in Deum sed certitudinē.

Secūdo infero, q̄ licet bene asseratur à theologis q̄ sunt quędā quæ Deus nō potest facere, vt peierare, nō seruare promissum, & similia: tamē malè cōcedūt, q̄ si faceret, peccaret. Nō enim sequitur

per locũ intrinſecum, Deus mẽtitur, ergo peccat, nõ plus q̃ ſequitur, Deus facit duo cõtradictoria: ergo peccat. patet corollarium, quia non tenetur, nec obligatur, ſed eſt eodẽ modo impoſsibile deũ mentiri, ſicut non eſſe, vel mori, vel ægrotare.

Et ideo relicta imaginatione Gregorij, aliter di co ad argumenta facta cum S. Tho. 1.2.q.19.art.4. ad tertium, ꝙ * lex diuina dupliciter poteſt conſi derari à nobis, vno modo vt eſt in ipſo Deo. & ſic omnino eſt nobis ignota, neque hoc modo nos obligare poſſet. Alio modo prout nobis innoteſcit, vel per lumen naturale, vel per reuelationem: & hoc modo nos obligat. Dico ergo, quòd ad hoc ꝙ aliquis obligetur lege diuina, non oportet vt formaliter ſciat eſſe aliquam legem, vel legiſlatorem, vel à quo lata ſit, ſed ſatis eſt quòd ſciat aliqd eſſe bonum, vel malum, etiam ſi ignoraret omnino cauſam quare eſt bonum vel malum, vel vtrũ ſit prohibitum nec ne. Et ſic talis qui ponitur ſine cognitione Dei adhuc ex caſu, poſtquam ponimus eum habentem vſum rationis, cognoſcit aliquid eſſe malum, aliud eſſe bonũ, & hoc ſatis eſt, vt poſsit peccare, quia cognoſcit aliquid eſſe vituperabile, & hoc eſt quia malum. Vt enim S. Tho. 1.2.quæſt.21.arti.2.dicit, Ex hoc actus eſt laudabilis vel culpabilis, quia eſt bonus vel malus. Et hoc confirmatur apparenter, quia ſi ignorantia dei inuincibilis omnino excuſaret à peccato, ergo da-

to

to q ignorantia esset culpabilis deobligaret ab alijs præceptis legis diuinæ. Et qui omnino ex ignorantia crassa ignoraret deum esse, non teneretur honorare parentes, neq; diligere proximũ. Consequens est absurdum, dicere videlicet, q im pij negantes deum esse, solùm peccarent illo pec cato, & non fornicando, neque occidendo: ergo nullo modo est admittendum. Probo autem q se quatur. Nam si ignorantes Christum inuincibiliter omnino excusantur à culpa, ita etiã ignorantes vincibiliter, licet peccent illo peccato infidelitatis, tamen excusantur ab alijs præceptis Christi, vt de confessione, Eucharistia, & alijs. Neque Saraceni peccant, quia non confitentur, vel sumunt eucharistiam. Ergo etiam à simili si inuincibilis ignorãtia dei excusat ab omni peccato, ergo ignorantia culpabilis dei excusabit ab alijs peccatis contra legem diuinam.

Et per hoc potest responderi ad omnia argumenta. & ideo perseuero in conclusione supra posita, q etiam ille, qui perueniens ad vsum rationis neque habet neq; potest habere notitiam de deo, posset nihilominus peccare.

Sed ex alio capite arguitur, quòd perueniens ad vsum rationis, non possit peccare saltem pro primo instanti vsus rationis, quantumcunq; habeat notitiam dei: & loquimur de eo, qui nutritus est & educatus in vera religione. Et arguitur sic,

maximè in via ſancti Thomæ, homo non poteſt peccare in primo inſtãti ſui eſſe, ergo neq; in primo inſtanti vſus rationis. Antecedens eſt ſancti Thomæ, tum in multis alijs locis, tum in. p. p. q. 63. art. 5. Conſequentia probatur, quia tẽpus præcedens vſum rationis, videtur omnino pro nihilo reputandum, quantum ad bonitatem vel malitiã hominis ſpectat, nec videtur habere maiorem poteſtatem homo per hoc, quòd prius fuerit ſine vſu rationis, quàm ſi nunc inciperet eſſe cum vſu rationis. Si ergo incipiens eſſe cum vſu rationis, nõ poteſt peccare: nec ille, qui nunc primò peruenit ad vſum rationis poterit. Et confirmatur hoc, Sit puer quatuor annorum, cui Dominus pro hoc inſtanti acceleret vſum rationis, & incipiat habere vſum rationis, & ſit alius quem Deus creet in eodem inſtanti cum ſimili vſu rationis, certè nulla videtur ratio, quòd primus poſsit peccare, & non ſecundus. Et confirmatur ſecundò, quia ſi Adam non potuit peccare in primo inſtanti, in quo creatus eſt, nulla videtur ratio, ſi creaſſet per vnam horam antè ſine vſu rationis, quòd hoc aliquid faceret, vt poſſet peccare, cum primum haberet vſum rationis. Secundò arguitur ratione S. Tho. quia primus actus creaturæ rationalis eſt ex inclinatione naturali: ſed inclinatio naturalis nõ poteſt eſſe ad malum, ergo primus actus non poteſt eſſe malus. Maior probatur, quia id, quod eſt

per

per se, est prius eo, quod est per accidens, sed naturalia sunt per se, ergo primus actus est ex inclinatione naturali. Minor autem patet, quia inclinatio naturalis tribuitur generanti. 8. Physi. sicut motus grauium & leuium: ergo si actus ex inclinatiõe naturali esset malus, tribueretur Deo. Sed hoc argumentum videtur eodem modo procedere in primo instanti vsus rationis, quia etiam primus actus tunc videtur esse ex inclinatione naturali, sicut in primo instanti sui esse, ergo etiam primus actus: tunc non poterit esse peccatum. Et cõ firmatur, quia primus actus in perueniente ad vsum rationis videtur quòd sit dilectio sui, sed illa non potest esse mala. ergo primus actus in instanti vsus rationis non potest esse malus. Maior videtur. 8. Ethico. Amicabilia ad alterum sunt ex amicabilibus ad se. ergo primus actus est dilectio sui. Minor patet, quia diligere seipsum est, ex inclinatione naturali. ergo non potest esse mala.

His tamen non obstantibus dico, quòd perueniens ad vsum rationis, in primo instanti potest peccare, quia est liber ad bonũ & malũ. hoc enim importat liberum arbitrium. Est conclusio sancti Thomæ prima secundæ, quæstione octogesimanona, articulo sext. & omniũ. Item aliâs sequeretur, q omnis talis peruenies ad vsum rationis haberet necessariò gratiam sine sacramento, etiam Saracenus, vel Iudæus. Patet, quia vel facit totum

ad quod tenetur pro illo tempore, vel non: si non ergo peccat in primo instanti, & habetur intentũ principale. Si facit totum quod in se est ad quod tenetur, ergo recipit gratiam. nam facienti totum quod in se est deus non deficit in necessarijs ad salutem, vt est regula theologorum. ergo.

Ad argumenta. Primò possem dicere concedẽdo, quòd idem est iudicium de primo instãti vsus rationis, & simpliciter de primo instanti sui esse & quòd sanctus Thomas non intendit negare, q̃ homo in primo instanti sui esse non possit peccare, sed solùm quòd primus actus non possit esse peccatum. Secus autem per omissionem. Neque argumenta eius aliud videntur probare: nunquã enim probat quin possit peccare per omissionẽ. Et sic dicerem de primo instanti vsus rationis, q̃ talis scilicet non potest peccare commissiuè, sed bene omissiuè. Et certè non est facile ponere differentiam, quãtum ad hoc, inter primum instans vsus rationis, & primum instans simpliciter. Aliter dico, & fortè plus ad mentem sancti Thomæ, negando consequentiam factam in argumento â primo instanti simpliciter, ad primum instans vsus rationis. Et ratio differentię est, quia qui nũc primò peruenit ad vsum rationis, priùs habuit multos actus intellectus & voluntatis: & dilexit se, & per cõsequens iam potest habere alios actus circa alia obiecta, & sic potest habere actus malos

Quãuis

Quamuis enim actus ante vsum rationis nihil faciant ad bonitatem aut malitiam, faciunt tamen ad ordinem actuum, vt scilicet possit quis habere aliquos actus cùm peruenerit ad vsum rationis, quos non posset habere, nisi illi præcessissent notum enim est, quòd educatio ante vsum rationis multũ facit ad actus sequentes vsum rationis, atque adeo permultum interest ad mores, qualis fuerit institutio ante vsum rationis. Bene autem concedo, quòd si fieri posset vt creatus sine vsu rationis nullum actum haberet ante vsum rationis, omnino idem esset iudicium de illo, & simpliciter de primo instanti esse: nihil enim refert an sit primum instans simpliciter, an nõ, si priùs nullum actum habuit. Et hoc de tertio dubio huius secundæ partis & quæstionis principalis.

Quartum dubium circa eandem quęstionem II est, An* possit quis habere vsum rationis ad peccandum venialiter, priusquam ad peccandum mortaliter, hoc est, an posset peruenire ad talem statum, ut sit sufficiens ad peccandum venialiter & non ad peccandum mortaliter. & videtur ꝙ sic. Nam semiplena deliberatio sufficit ad peccãdum venialiter & nõ mortaliter. Sed potest quis imperfectè deliberare antequã hoc perfectè possit: ergo poterit peccare venialiter antequam posset mortaliter. Maior conceditur ab omnibus theologis. & probatur manifestè de motibus subitis

bitis circa materiam moralem, qui propter defectũ deliberationis non imputantur ad mortale. Minor verò probatur, quia maior capacitas requiritur ad perfectè deliberandũ, quã ad imperfectè. Et hoc videtur sentire Iacobus c. 1. Concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum, peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem. Et confirmatur, quia post primum tempus vsus rationis contingit frequenter in adulto vt habeat sufficientem notitiam ad peccandum venialiter, & non ad peccandum mortaliter, quare non ita poterit in primo instanti vsus rationis contingere. Item videtur, quòd aliquando ebrietas vel furia, relinquãt vsum rationis imperfectũ sufficientem ad veniale, & non ad mortale. Quare non poterit quis naturaliter venire ad illã dispositionem? Itẽ, hominem vehementer iratum excusamus sæpe à mortali circa materiam ex genere mortalẽ, & non àveniali, & nõ videtur, quin naturaliter quis posset peruenire ad similem dispositionem. Item vsus rationis acquiritur successiuè: prouenit enim ex trãsmutatione naturaliũ qualitatum, quæ non simul tota fit: ergo poterit priùs habere vsum rationis imperfectũ, quã perfectum, & sic peccare venialiter. Confirmatur ex S. Th. 4. d. 9. q. 1. arti. 4. q. 1. ad quintum. Vbi dicit, quòd consensus in pollutionẽ postquã quis euigilauit à somno, aliquando quidẽ est mortalis nẽ

pè

pè ſi ſit ex plena deliberatione: venialis uerò, ſi ſit ex ſurreptione. vnde patet, ꝙ poſtꝙ ꝙs ꝑdidit vſũ rationis, põt ita redire ad illũ, vt prius veniat imperfectè ita vt ſufficiat ad peccãdum venialiter, priuſꝙ ad peccandũ mortaliter, ꝙ nõ eſt niſi poſt quã eſt plenè expergefactus: ergo omnino videtur, ꝙ ſimiliter carẽs vſu ratiõis poſsit etiã illomodo puenire ad vſũ rationis ſucceſsiuè: oĩno enim vidẽtur ſimiles quãtũ ad hoc & dormiẽs, & puer.

His tamen non obſtantibus dico negatiuè ꝙ impoſsibile eſt, vt aliquis primò ꝓueniat ad talẽ vſũ rationis, ꝙ poſsit venialiter peccare, & nõ mortaliter. Iſta cõcluſio eſt S. Th. 1.2.q.89.arti.6. Idẽ ĩ.2.d.42.q.1.ar.4.& ꝓbatur. Primò, quia materia peccatorum mortalium notior eſt, quàm venialiũ, vt notius eſt, ꝙ homicidiũ, periurium ſunt mala, quãm mẽdaciũ, vel verbum otioſum. ergo nõ poteſt quis ita eſſe diſpoſitus, vt poſsit cognoſcere venialia peccata, & nullum mortale. Item vt infra dicetur prima deliberatio non poteſt eſſe circa materiam particularẽ, vt puta circa mendaciũ, vel ludum, vel vanã gloriam, vel aliquid ſimile: ſed neceſſariũ eſt vt incipiat ab aliquo vniuerſali, puta, ꝙ eſt lex, cui tenemur obedire, vel ꝙ homo põt bene aut malè agerè, & poſita deliberatione tali in vniuerſali, ſufficit ad mortaliter peccãdũ & clarũ eſt, ꝙ prius eſt vt homo cognoſcat ꝙ eſt aliquod malum graue & aliquod leue, quam

ꝙ men-

φ mendacium est malum. hoc enim per se nõ est notum, & præsupponit alias cognitiones sufficientes ad mortale. Item vsus rationis, qui sufficit ad bene agendum moraliter sufficit ad mortaliter peccandum : sed impossibile est vt quis habeat vsum rationis ad peccandum venialiter, quin possit bene moraliter agere. ergo omnis talis potest mortaliter peccare. Maior probatur, quia ad bene moraliter agendum, requiritur plena deliberatio: vt secundo. Ethicor. dicitur quòd ad bene agendum oportet vt quis agat sciens, eligens, & propter hoc, prout sapiens determinauerit. Minor verò patet, quia si quis posset peccare, & non bene agere, daretur viator sine culpa sua in statu peccandi, & non merendi, φ videtur inconueniens. Et confirmatur, quia non potest ita perdi vsus rationis, vt maneat sufficiẽs ad peccandum venialiter, & non mortaliter : ergo neque etiam ita acquiri. Antecedens probatur, quia nunquam damus amentem, neque auditum est de quo putemus quòd possit venialiter peccare & non mortaliter, neque talem qui possit venialiter peccare & non bene agere, Itẽ probatur à posteriori, quia sequitur, quòd possit esse peccatum veniale cum solo originali, quod infrâ ostendemus esse impossibile. S. Tho. 2. d. 42. q. 1. ar. 4. ad. 7. sic dicit, Si aliquid est sufficiens ad excusandum maius peccatum, multo amplius

suf-

ſufficit ad excuſandum minus peccatũ, Sed imperfectio ætatis excuſat peccatum mortale. ergo multo amplius excuſat veniale. & ideo non poteſt eſſe quòd homo venialiter peccet ante illud tempus, quo vſum rationis habet vt iam mortaliter poſsit peccare.

Ad argumenta verò in contrariũ dico ad primum, quòd nunquam aliquis ſemiplenè deliberat, quin poſsit plenè deliberare, licet ſit difficilius: & ſic poſſet mortaliter peccare. Et ſic cauſa quare motus ſubiti ſunt veniales, nõ eſt, quia nõ perfectè poteſt qui eos habet deliberare, ſed quia non perfectè deliberat. Vnde quantumcumque aliquis poſſet perfectè, imò faciliter deliberare circa materiam illecebrarum, ſi tamen non deliberat actu, nunquam eſt mortale, quantumcunque durent & perſeuerent illecelebræ. Secundò dico, quòd poſtquam aliquis plenè & pluries deliberauit perfectè. ſemiplenè deliberare, ſed non antè. Nam imperfecta deliberatio præſupponit perfectam: Ex eo enim quòd quis primo cognoſcit quòd homicidium eſt peccatum mortale, poſtea ſubitò cognoſcit eſſe malum, licet non conſideret eſſe mortale.

Ad ſecundum patet, quia vel nego, quòd talis poſsit perfectè deliberare: vel non eſt ſimile, quia in adulto preceſsit plena deliberatio, & ideo nunc poteſt eſſe ſemiplena, ſed non ita eſt

de

de alio.

Ad tertium de ebrio, licet etiam posset dici, q̃ non est simile, quia in ebrio præcessit deliberatio perfecta, sed melius nego, quòd hoc possit contingere: impossibile est enim quòd cognoscat mendacium esse peccatum, & non periuriũ, vel homicidium vt declaratum est.

Ad quartum patet per idem, quia excusatur, quia non deliberat, nõ quin est possit deliberare, aliàs esset amẽs. Ad quintũ primò trãseat assũptũ sed pri⁹ est circa materias vniuersales q̃ pticulares & pri⁹ circa materias grauiores, quã leuiores. Secũ dò dico, & veriùs, quòd omnino est impossibile, vt quis habeat vsum rationis ad deliberandum in vna materia, quin etiam possit deliberare de quacũq; materia quæ se offeret. Clarum est enim q̃ si quis semel cognoscit q̃ potest bene & malè agere de quacunq3 materia agendorum oblata, poterit dubitare an sit bona, vel mala & per consequens cogitare an sit bonum scilicet, an malũ: & simile est ac si quis diceret, quòd aliquis dialecticus potest nectere syllogismũ ex materia phisica, & non mathematica.

Ad sextum etiam patet ex dictis, nam talis potest deliberare perfectè, sed non deliberat. Et itẽ, vt dictum est, non est simile, quia iam præcessit deliberatio perfecta. & præterea omnia argumẽta præsupponunt falsum, scilicet quòd detur tẽpus.

pus,in quo quis poteſt primò deliberare & non deliberat,cuius oppoſitũ ſuprà probatũ eſt.Hæc de.2.quæſtione principali,& 2.parte relectionis.

SEquitur tertia pars,& quęſtio principalis huius relectionis.Ad quid teneatur homo cũprimũ peruenit ad primũ inſtãs vſus rationis. Et intelligo quæſtionẽ per ſe loquẽdo, id eſt ex eo ſolũ,q̃ puenit ad vſũ rationis,excludẽdo à quæſtione,ſi tunc occurrat p̃ accidens neceſsitas implẽdi aliquod pręceptũ particulare.Et videtur q̃ nõ teneatur aliquo præcepto, pro illo primo inſtanti vſus rationis, & loquamur generaliter de omni tali ad vſum rationis veniẽte. Arguitur ergo primo ad partẽ negatiuã,quia ſaltẽ loquendo de eo,qui nõ ſit inſtitutus à ſapiẽtibus, omnino ignoraret, neq; poſſet ſcire tale præceptũ, cùm nõ ſit per ſe notũ.ergo nõ tenebitur pro tali inſtãti.Itẽ cõfirmatur.Quia tale pręceptũ eſt in dubio etiã inter ſapiẽtes theologos: multi enim tenent partẽ negatiuã ergo ſaltẽ indiget quis tẽpore ad ſciẽdũ illud præceptũ, & ſic nõ obligatur in primo inſtanti.Itẽ null⁹ põt ſcire quãdo primò pũe nit ad vſum rationis.ergo nõ põt ſcire quãdo obligatur tali præcepto. Antecedẽs eſt manifeſtũ: quis enim vnquam notauit,ergo nunc primò habeo vſum rationis? imò neque per aliquantam differentiam & ſpatium temporis.Item,tranſacto illo primo inſtanti,non tenetur ſtatim etiã ſi

tũc

tunc omiserit, ergo neque in illo. Item, qui est in peccato mortali, non tenetur statim se conuertere in Deum ergo neque ille qui est in originali, & multo minus qui est baptizatus, tenetur se cõuertere in Deum in primo instanti vsus rationis. Et confirmatur vltimo, quia nullus etiam de numero eorum, qui timẽt Deũ, & sunt soliciti de salute sua, sentit conscientiam de tali transgressione, neque pœnitet, aut confitetur de illa, cũ tamẽ nemo sit qui audeat affirmare se implesse tale præceptũ. ergo non est ponendũ tale præceptũ.

In contrarium est, quia si pro illo instanti non obligatur ille, cùm nõ sit maior ratio de tempore sequenti, eadem ratione nunquam obligabitur: quòd non videtur dicendum. Neque videtur sufficiens solutio communis, quòd tenetur semel in vita. Hoc enim est absurdum dicere, quòd Adam aut Matusalen, qui ferè millenos annos vixerũt, possent nongentos annos licitè transigere sine fide, aut dilectione dei. Neque item satisfacit alia solutio, quòd dantur inducię, nam ex iure naturali non possunt determinari tales inducię, iure autem positiuo multo minus.

Respõdetur primò, pfectò nihil exploratũ potest haberi, neq; ex Scripturis, neque ex doctoribus in hac quæstione quia quicquid dicatur, videntur sequi non leuia inconuenientia, neque expediri facile possunt argumenta. Sed quod verisi-

risimilius videtur, dicã paucis propositionibus.
Prima, Non* quilibet perueniens ad vsum ratio- 12
nis tenetur se conuertere in Deum explicitè, di-
stinctè & formaliter. Ista propositio est expres-
sè Caieta. 2.2.q.10.arti.4. vbi dicit expresè, q̃ ad
diligendum Deum explicitè vt finem naturæ &
vniuersi nõ tenetur homo semper, cùm sit præce
ptũ affirmatiuũ, neq; statim, quia nõ tenetur pri⁹
diligere, quàm cognoscere. Cõstat autẽ, q̃ post
multum temporis aduenit homini ista cognitio
naturaliter loquendo: Eandem tenet. 1.2.q.89.ar.
6. & probatur efficaciter ex ratione Caieta. & ex
aliis rationibus suprà positis, quibus probatum
est, quòd homo non statim postquam peruenit
ad vsum rationis, potest cognoscere Deum, quia
nullus obligatur ad impossibile, vt ait Hierony-
mus, & certum est. ergo homo nõ tenetur statim
diligere Deum. Item procedit argumentum sta-
tim factũ quia non omnes sciunt, neque possunt
scire tale præceptum statim. Item nusquam legi-
tur hoc præceptum. ergo temerè asseritur. Assum
ptum probatur, quia vel esset illud. Conuertimi-
ni ad me. quod habetur & apud Hiere. & Oseam,
& Ezechi. & Iohelem, & alios prophetas, vel ex il
lo præcepto, Diliges dominum Deum tuum ex
toto corde tuo. quod habetur Deut. 6. & Matth.
22. & Luc. decimo. Sed primum, vt dictum est,
obligatio non est ut impossibile. Secundò illud

ceptum, Conuertimini ad me, vt patet ex propriis locis, fit ad peccatores in actualib⁹ peccatis in actualibus peccatis existētes. Itē vbi habetur, quòd illud præceptum obligat statim potius, quàm alia præcepta affirmatiua? Item illud præceptum expressè est de pœnitentia, vt patet in locis suis, quia in omnibus locis ponitur, agite pœnitentiam, vel in ieiunio, fletu, & plāctu, vel à viis vestris pessimis, &c, sed ad pœnitentiam, vt est communis sententia omnium, non tenetur aliquis statim. ergo nec etiam statim ante peccatum. Aliud verò præceptum de dilectione Dei refellitur eisdem argumentis. Item non tenetur quilibet statim credere, ergo neque conuerti.

Consequentia est nota ex Paulo ad Hebræos. 11. Accedentem ad Deum oportet credere quia est. Antecedens patet ex eodem Paulo ad Roma. 10. Quomodo credent ei quem non audierunt? quo modo autem audient sine prædicante? sed non quilibet statim potest habere prædicatorem, ergo neque credere. Et confirmatur ex eodem loco Pauli, Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt? sed de hoc plura in. 4. quæstione.

Oppositum huius propositionis tenet Capreolus. 2. distin. 40. quæstione vnica ad argumenta Scoti contra secundam conclusionem vbi videtur tenere, quòd statim, quòd aliquis peruenit ad vsum rationis, refert se & sua, in suū Deū, aut

peccat

peccat moraliter. Et putat se probare ex S. Tho. sed certè non probat.

Secunda propositio, Omnis * talis tenetur ad actum aliquem statim. Ista propositio non videtur ita certa, sed est probabilis, licet sit contra cõmunem sententiam Scholasticorum. & est San. Tho. 1.2. quæst. 89. ar. 6. &. 2. dist. 42. q. 1. ar. 5. ad. 7. vbi dicit, quòd statim quòd homo vsum rationis habet, si faciat quòd in se est, Deus ei gratiam infundit, si autem nõ, peccat mortaliter, quia tunc tempus est, vt de sua salute cogitet, & ei operam det. Ista propositio primò probatur ratione San. Tho. vbi suprà, quia omnino est grauissima negligentia, quod aliquis non disponat de ratione vitæ suæ, ex qua dependet salus & dãnatio eius. & cùm statim oportat aut bene aut malè agere, neque homo possit suas actiones suspendere vniuersaliter videtur, quòd statim oportet disponere de summa vitæ, & de agendis: aliàs videtur grauissima negligentia. Item si quis haberet curam alterius quo ad omnes actiones eius: & dependeret ex eo salus vel perditio illius, videtur quòd peccaret mortaliter, si non statim prouideret de salute alterius, si statim posset alius periclitari ergo multo maiori ratione videtur q̃ obligetur de seipso. Itẽ à posteriori, quia aliàs sequitur, quòd aliquis habẽs vsum rationis fecit totum quod debuit in tota vita sua, & tamen damnabitur. conse- 13

quens non videtur concedendum, ergo neque id,&c. Consequentia patet manifestè de illo, qui peruenit ad vsum rationis in peccato originali qui si nullum actum tenetur habere statim: ergo si se habet negatiuè,& moriatur, iam patet quòd fecit totum,ad quod tenebatur,& tamen dānabitur. Et cōfirmatur,ille ergo seruauit omnia māda ta, & tamen non saluabitur. ergo non esset vniuersaliter verum,quod Dominus dicit Matth.19. Si vis advitam ingredi,serua mandata. Item si nō tenetur statim,ergo poterit tunc si ille sit in peccato originali,erit cum solo veniali & originali, quod videtur inconueniens,quia non puniretur in limbo,quia nō habet pœnā sensus neq; in purgatorio quia est via ad gloriam: neque in inferno, quia non est in mortali.

14 Tertia propositio. Talis* tenetur se conuertere in bonum eo modo,quo potest tunc,id est cōformiter ad cognitionem,quam habet. Ista probatur ex præcedenti: quia si tenetur ad aliquem actum non potest esse incognitum. ergo oportet quòd sit conformiter ad cognitionem quam habet. Pro quo est considerandum, quòd (vt suprà tactum est) prima deliberatio non potest esse circa particularem materiam moralē, quia necesse est intellectum à notioribus procedere. 1. Phy. & sicut simpliciter in cognitione ens est prius notum,quàm species, aut genera entis,ita in cogni

tio-

tione practica principia vniuersalia & conclusiones etiam magis vniuersales, sunt magis notæ, & oportet intellectum ab illis incipere, vt est illud principium, Oportet viuere conformiter ad rectam rationem, Expedit homini honestè viuere, Non est facienda iniuria, vel aliquod huiusmodi, quod potest esse notum lumine naturali, etiam apud illum, qui educatus est sine notitia, & religione Dei vel apud eum, qui est institutus cum aliqua religione Dei aliquod tale principiũ vt colendus est Deus à me. Oportet me seruare legem Dei, Non licet agere contra præceptum dei vel aliquid simile. Est enim impossibile, vt prima cognitio, vel deliberatio sit de eleemosyna, aut de temperantia vel cõtra de furto, homicidio, vel periurio. Dico ergo, quòd cum primum homo habet tale iudicium sufficienter deliberatum, tenetur habere propositum bene agendi conformiter ad illud iudicium: & si cognoscat Deum, tenetur formaliter conuerti in Deum, puta, volo, aut propono seruare legem Dei, volo colere Deum si autem non cognoscat, satis est vt proponat bene viuere conformiter ad dictamen, vt Propono viuere secundum rationem, Volo honestè agere, Nolo male agere. Hoc expressè dicit Sanctus Thomas de veritate, quæstio. 14. artic. 11. ad primum. vbi dicit de eo, qui nutritus esset in Syluis, quòd si faciat quod in se est, ad prouidentiam Dei spectat

ctat subuenire in necessarijs, & declarat quid sit facere, quod est in se, dicens, quòd est sequi dictamen legis naturalis cum appetitu boni, & fuga mali, & quòd hoc sufficit, constat manifestè ex dictis. Neq; obstat quod quidam dicunt, quòd si hoc faciat, iam Dominus illuminabit eum de fide. Quicquid enim sit de hoc, de quo statim dicam, saltem prius est hoc ipsum facere, quod in se est, quàm quòd illuminetur, & sic illa illuminatio non spectabit ad primum tempus vsus rationis. Et confirmatur ista conclusio cum præcedente, nam quilibet tenetur recipere fidem & legẽ Christi, cum primum ei fuerit sufficienter promulgata, neque liceret alicui differre in certum tempus neq; satis esset acceptare semel invita sed tenetur statim proponere viuere in lege Christi, & ipsum colere. ergo etiam cum primum ei est promulgata lex naturalis, tenetur eam recipere, sed non recipit, nisi per propositum seruandi illam, & viuẽdi conformiter ad legem, ergo tenetur habere tale propositum. Consequentia videtur nota, quia non minus obligat lex naturalis, quam Christiana, cùm sit æquè diuina. Promulgatur autem lex naturalis per hoc, quòd aliquis cognoscit, quòd viuendum est conformiter ad rectam rationem, vt q̃ nocẽdũ non est proximo, vel aliquid simile Et confirmatur iterum, quia videtur impossibile, vt quis deliberet de vita & salute sua, & cognoscat

cat quòd expedit sibi ad bene esse vel ad felicitatem, vt bene viuat, & vitet malum, vt non faciat iniuriam, & quòd suspendat actum voluntatis, & non proponat vel sic vel aliter viuere. Neque puto, vt quisquam, etiam de industria, hoc possit facere, scilicet suspendere omnem actum voluntatis cum tali deliberatione. Prima autem cogitatio, quæ occurrit in primo instanti vsus rationis, est, vt cogitet in genere & in vniuersali de salute sua, vt Sanct. Thom. dicit. 1.2. quæstio. 89. artic. 6. idest de bene esse suæ salutis, vel quid in communi expediat ei. si ergo videtur impossibile vt non habeat actum, & non licet habere actum auersiuum à bono, ergo oportet quòd habeat actum cõuersiuum ad bonum.

Ex dictis sequitur corollarium, q̃ non solùm apud eum, qui nullo modo cognoscit Deum sufficit talis conuersio ad bonum etiam sine Dei notitia sed etiam aliquando apud eum, qui sit bene educatus in religione, & cultu Dei. Patet, quia dato q̃ sit institutus in fide, potest fieri prima deliberatio per solum lumen naturale, & conuersio etiam illo modo sufficit. Ad hunc ergo sensum intelligenda est celebrata opinio Sancti Thomę de conuersione in Deum in primo instanti vsus rationis, qui nihil aliud vult habere, nisi q̃ cum primũ quis actu cogitat & deliberat de vita sua, oportet vt habeat ꝓpositũ ad bonũ, siue in vniuersali,

siue etiam diuinum cõformiter ad cognitionem. Et hoc modo erit probabilis & consona rationi sententia. Et hæc est conclusio non solùm theologorum, sed philosophorum etiam sententijs celebrata, de qua nobilem illam fabulam veteres prodiderunt, de illo nobili Hercule: cum ille scilicet ad hoc ætatis peruenisset, de quo in præsentia disputamus, & solicitus esset vtram viam potiùs sequeretur virtutis & laborum, an voluptatis & desidiæ, duas illi matronas subitò astitisse, virtutem scilicet ac voluptatem, varijsque incitamentis & suasionibus vtramque conatam vt ad se animum Herculis polliceret, sed vicisse tandem, vt par erat virtutem, atq; Herculem in suam sententiam & contubernium traxisse. Simile ergo est quod S. Tho. vult & docet, vt cùm scilicet primo quis solicitus est, ac deliberat, vtrum potius sequatur bonum an malum, vitia, an virtutes, nõ se expediat ab eo consilio, & deliberatione priusquam constituat ac proponat meliorem partem, id est virtutem, potius sequi. Et ad hoc præceptum conuersionis tenentur non solùm qui ad tale tẽpus perueniunt sine gratia, sed etiam baptizati, qui gratiam habent: præceptis enim non satisfacit, quis per gratiam, aut omnino per aliquem habitum, sed per actum.

Ad argumenta in contrarium. Ad primum dico, q̃ perueniens ad vsum rationis ignorat hoc præ-

præceptum sub illa lege, Conuertimini ad me, in primo instanti vsus rationis, vel alia simili forma sed cognoscit, quòd oportet seruare legem Dei, vel oportet viuere secundum rectam rationem, vel huiusmodi iudicium, quia est ista prima deliberatio, & per hoc patet ad prima tria argumẽta.

Ad quartum, concedo, quòd postea non tenetur, quia iam est transgressus illud præceptũ, licet posset dici, q̃ semper tenetur quousq; impleat.

Ad quintum nego consequentiam.

Ad sextum dico, q̃, vt dictum est, est impossibile, vel valde difficile, vt sic deliberans non habeat vel bonum propositum, vel malum, & si habeat malum, iam de eo pœnitet. Si quis enim habuit propositum non seruandi legem Dei, pœniteat de illo.

FINIS.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM LOCVPLETISSIMVS, TOMI PRIMI.

* *
*

A



Abbatissæ, & aliæ monasteriorũ & virginũ matres, nullam habent potestatẽ nec iurisdictionẽ spiritualẽ, numero. 4. folio. 61

Apostoli, an æqualẽ acceperint cũ Petro põtatẽ. 10. 64

Amens, an possit esse dominus, 22. 142.

Apostoli domini quam potestatem, & authoritatem habuerint in ecclesia. 7. 5.

Apostoli oẽs an habuerint potestatẽ immediatè à Christo, an solus Petrus à Christo, & alij à Petro. 8. 62.

Apostoli, nõ solùm potuerũt relinquere sibi successores sed etiã quilibet successorũ eorũ potuit similiter sibi relinquere successorẽ, 28. 74

Apostolorum aliorum quilibet à Petro. potuit relinquere successorẽ, licet non vniuersalem, saltem in qua cunq; prouincia voluisset, qui esset verus episcopus illius prouinciæ. 27. 73.

Apostolis alijs successit nemo cum æquali potestate & authoritate iurisdictionis. 26. 73

Authoris sentẽtia pro dubio, an princeps secularis possit ponere impedimentum matrimonio, 12. 218.

Authoritas perfecta, & propriè spiritualis, tota incepit ab aduentu Christi, qui fuit primus author, & dator clauiũ, & potestatis spiritualis, 8. 26

Authoritas propriè, & perfectè spiritualis (quę sunt claues regni cælorum) nunquam fuit in lege naturæ, nec in lege scripta ante nostri Redemptoris aduentum. 24. 5

B

Barbari, an priusquam aliqd audissent de fide Christi, peccarent peccato infidelitatis, eo quòd non crederent Christo, 32. 153

Barbari,

Barbari, an ad primum fidei Christianę nuntium teneã tur credere, ita quòd peccent mortaliter, nen credentes Christo, solum per simplicem annuntiationẽ &c. 34. 156.

Barbari Indi quomodo in ditionem Hispanorum venire potuerunt propter tyrãnidem, 15. 171.

Barbari Indi, potuerunt in Hispanorum ditionem venisse per veram, & voluntariam electionem, 16. 171

Barbari quando tenerentur recipere Christi fidem sub mortalis peccati pœna, 37 157

Barbari, causa religiõis Christianæ propagandæ potuerunt in Hispanorum ditionem venire. Et Christiani habent ius prædicandi, & annuntiandi Euangelium in prouincijs barbarorum 9. 168

Barbari, non sunt debellandi neque eorum bonis priuãdi, si permittant Hispanos liberè, & sine impedimento Euangelium prædicare siue illi fidem recipiant, siue non, 11. 169.

Barbari, in Hispanorum venire potuerunt ditionem: quia cum bona pars eorum esset ad Christum conuersa, & Papa, illis petẽtibus, aut non petentibus, potuit ex rationabili causa dare illis Christianum principẽ, vt est Hispanorum rex, alijs dominis infidelibus repulsis, 14. 170.

Barbari, societatis, & amicitiæ titulo potuerunt venire in ditionem Hispanorũ 17. 172.

Barbari, nec propter peccata alia mortalia, nec propter peccatum infidelitatis impediũtur quin sint veri domini tã publicè quàm priuatim, 19. 140.

Barbari, amentiæ prætextu non impediuntur esse veri domini, cum non sint amẽtes, 23. 142.

Barbari quomodo potuerũt venire in ditionem Hispanorum ratione naturalis societatis, & communitatis, 1. 163.

Barbari, quomodo potuerũt in Hispanorum ditionem venire, eo quod cum essent conuersi, & Christiani effecti, eorum principes vi, aut metu volentes eos ab ido

idololatria reuocare, ab Hispanis fuerint protecti, & sub eorum tutelam recepti, 13.170.

Barbari rogati, & admoniti, vt audiant pacificè loquentes de religione, quomodo si nolint, nõ excusentur a peccato mortali. 36, 157.

Barbari si nolint recognoscere dominium aliquod papæ, non ob id possit eis bellum inferri, & illorum bona occupari. 31.151.

Barbari si vellent prohibere Hispanos quominus exercerent cum illis commercia, &c. quid esset agendũ. 6.166.

Barbari, siue eorum domini, siue ipsa multitudo, impedientes Euangelij promulgationem, quomodo ab Hispanis (absq; scandalo tamen) possint coerceri. Et quid dicendum de his, qui prædicationem admittũt, conuersionẽ tamen aut interficientes vel punientes, siue terrentes ad Christum cõuersos impediũt. 12.169.

Barbaris an hactenus ita proposita & annuntiata fuerit fides Christiana, vt teneantur credere sub nouo peccato, non satis liquet secundum authorẽ. 38.157

Barbaris & si quantũcunq; fides annũtiata ꝓbabiliter & sufficiẽter fuerit, & noluerint eã recipere, non tñ ob idlicet eos bello persequi, & bonis suis spoliare. 39. 158.

Barbaris, non licet prohibere Hispanos à communicatione & participatione illorum, quę apud eos sunt communia tam ciuibus, quàm hospitibus. 4.165.

Barbaris si simpliciter annũtiaretur & proponeretur & nollent statim recipere, hac ratione non possent Hispani illis bellum inferre, neque iure belli contra eos agere. 35.156.

Bellum an possit ex vtraque parte esse iustum. Ex quo modo secluſa ignorantia hoc non possit contingere. 32. 189

Bellum defensiuum quilibet possit suscipere, & gerere etiam priuatus. 3.179.

Bellum gerendi, aut incendendi penes quem sit authoritas. 2.179.

Bellum quando nullum esset iustum. 13. 86.

Bellum si satis commodè geri potest non spoliando agricolas, aut alios innocentes, videtur non licere eos spoliare. Et quid dicendum de peregrinis, & hospitibus qui sunt apud hostes. 40. 192.

Bellum vt dicatur iustũ, nõ semper est satis principem credere se habere iustam causam. 20. 184.

Belli causas examinare qui non teneantur, sed possint fide adhibita maioribus, licitè militare. 25. 186.

Belli iusti quæ possit esse ratio, & causa. Et ꝙ iusti belli causa nõ sit diuersitas religionis. 13. 182.

Imperij amplificatio, ꝙ non sit iusta causa belli. 11. 182.

Belli iustitia si sit dubia, quid faciendum. Et quomodo si Princeps vnus sit in legitima possessione, manẽte dubio non possit alius bello & armis repetere. 27. 186.

Belli iustitia, est summopere, & magna cum diligentia examinanda. 21. 185.

Bello iusto, licet occupare ex bonis hostium impensam belli, & omnia dãna ab hostibus iniustè illata. 17. 183.

Bello iusto licet recuperare omnes res perditas & illarum partem. 16. 183.

Bello iusto existente, licet omnia facere quæ ad defensionem boni publici sunt necessaria. 15. 183.

C

Canones, siue regula vniuersalis obseruanda, si ex aliquo pacto, aut stipulatione nõ statim ab initio oriatur matrimonium. 9. 211.

Canones, seu regulæ belli gerandi describuntur. 60. 198

Capta in bello iusto, vtrũ fiãt capientium, & occupantiũ. Et quomodo capta in iusto bello vsque ad sufficiẽtem satisfactionem rerum ablatarum per iniuriam, & etiã impensarum fiant occupantium. 50. 195.

Captiuos aut deditos an liceat interficere, suppositio quòd etiam fuerunt nocentes. 49. 195.

Christus an totius orbis fuerit dominus. 15. 39.

Christus inquantũ homo habuit potestatem remittendi peccata, & quomodo sæpe vsus fuerit ea, imò &

eam tradiderit Apostolis. Et de remissione peccatorũ per claues Ecclesiæ tra ditas.4.11

Christus dono Dei non habuit dominium temporale, quale est dominiũ principum,17.40.

Christus an fuerit rex hæreditaria successione, 16.40

Christi regnum in toto orbe quo titulo fuit,18.41.

Christus quando claues dederit Apostolis, variæ sententiæ recensentur.9.27

Christiani an sint aliqui, quibus conuenire non possit potestas ecclesiastica. 1.59.

Christiani omnes, nec sunt sacerdotes, nec omnes æquales, sed est ordo in ecclesia & gradus ecclesiasticæ potestatis.1.58.

Christianis licet militare, & bella gerere.1,177.

Ciuitas, aut prouincia, de qua dubitatur, an habeat legitimũ possessorẽ, maximè si est deserta morte legitimi domini,&c. quid in tali casu sit agendũ.28.187

Ciuitatum,rerumq; publicarũ fons & origo, non fuit inuentũ hominũ,sed tãquã a natura profectum.5.80

Claues ecclesiæ,solæ sufficiũt ad salutem,& ad aperiendũ regnum cælorum,vbi nulla alia via esset apertũ.7.14.

Claues regni cælorum:potestas remittendi peccata, & excommunicandi, consecrandi, &c. sunt in ecclesia.5.5.

Clericorum aliqua exemptio à potestate seculari, est de iure diuino.3.45.

Clericorum exemptio, maximè quo ad personas, ita ꝙ nec iudicari, nec puniri à seculari potestate possint, est multum conformis iuri diuino, & naturali.6 47.

Clericorum exẽptio siue sit de iure diuino, siue nõ potest à principe seculari huiusmodi libertas,vel exemptio tolli.7.47

Clericorum libertas si esset in manifestam Reipub.perniciem, & pontifices nollent remedium adhibere, quid agendum.8.48

Clericorũ personæ, nõ omnino,& quoad omnia sunt exẽpteà potestate ciuili,nec iure diuino, nec humano. 446.

Clericorum , non omnis exem-

exemptio est de iure diui no.2.43.
Concilii facta determinatione, quòd nunquam in aliqua lege ecclesiastica dispensetur, an liceret vnquã Pape dispensare in tali lege, & vtrũ dispensando ex quacunq; causa, peccaret mortaliter.12.113.
Concilium quę maximè debeat cauere, si quando decretum aliquod esset faciẽdum, vt Papę authoritas illibata conseruetur.25.128.
Conciliũ, quando, & in quo casu posset conuocari, & congregari contra voluntatem Papę.24.128.
Conciliũ quando, & in quo casu posset declarare, & determinare, & etiam statuere, vt in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispẽsaretur.10.112
Concilium videtur non posse errare in determinatione, quòd in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensetur.11.113.
Concilium, si declarat aliqd esse de fide, aut de iure diuino, Papa in hoc nihil possit immutare, maximè si tale ius spectet ad fidem vel ad mores ecclesię vniuersalis.2.103.
Condemnatione facta etiam post mortem hęretici, retroagitur confiscatio ad tẽpus commissi criminis, ad quancunq; peruenerit potestatem.12.139.
Consensus inter virum & fœminam, an sit de ratione matrimonij.4.102.
Contritio quid importet.8.15.16.

D.

DEcretum si fieret à concilio quòd in aliquibus legibus ecclesiasticis nunquam dispensaretur, tale decretum non deberet apponi in multis legibus, sed solum in paucis, hisq; grauissimis, & valde necessarijs.13.118.
Decreto facto per consilium quòd in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensetur. Si illo non obstante, Papa dispensaret, vtrum teneret factum licèt male faceret.14.118.
Deus quomodo vniuersalis ecclesię duas instituerit dignitates.11.6.
Dolor qualis sufficiat ad remis

missionem peccatorũ cum uibus,10.17.
Dolor quando non dicatur contritio.9.16.
Dominium vtrũ perdatur ratione infidelitatis.7.138.
Dominij vt quis sit capax, an vsus rationis requiratur. 20.140,
Dubitans de iure suo,etiam si pacificè possideat, quomodo examinare teneatur. diligenter causam,si fortè possit certum scire vel prose,vel pro alio.29.187
Dubius in rebus, quomodo post cõsultationem rei dubiæ debeat sequi id, quod diffinitum fuerit à sapientibus esse illicitum, etiã si aliàs esset licitum.2.134
Dubius in rebus, si post consultationem rei dubiæ diffiniatur a sapiẽtibus illud esse licitum, quod alias est illicitum, vt sit tutus in cõsciẽtia an debeat sequi sententiam illorum,3.134
Dubius in rebus vt sit tutus in conscientia, quomodo debeat consultare illos,ad quos spectat hæc docere. 1.134.
Ducere relictam fratis sine liberis defuncti, vt in causa regum Anglorum contingit, nunquam fuit prohibitum iure diuino legis veteris,7.225
Ducere vxorem fratris defuncti, non est prohibitum lege naturæ,6.226.
Deus ea sapientia,qua constituit in naturalibus vt inferiora regerentur à superioribus,eadem etiam prouidit, vt in ecclesia sua ordo rerum esset circa dignitates, & officia,13.7

E

Ecclesia ex quibus constet, 5.51.
Ecclesię inest aliqua potestas & authoritas tẽporalis in toto orbe.11.39
Ecclesiastici,iure sunt exempti,& liberi à potestate ciuili,1.43
Ecclesia sicut aliquas personas sua authoritate reddit illegitimas ad contrahendum,an princeps hoc possit facere.11.216
Ecclesia vtrum præter ciuilem, & laicam potestatem necessario habeat etiam aliam spiritualem.3.4.
Ecclesiasticæ personæ, licèt non essent exemptæ iure Diuino, aut Cæsareo, sum

mus Pontifex potuit eas eximere à potestatate ciuili 5.47.
Electio summi Pontificis deficientibus cardinalibus, &c. quòd non videtur spectare ad totum clerũ. 20.71.
Electio summi Pontificis ad quem spectaret cardinalibus deficientibus, negligẽtibus, aut pernicioſe inter ſe diſsidentibus. 19.71.
Eligendi ſummum Pontificẽ ratio, quæ nunc ſeruatur in eccleſia non eſt de iure diuino. 24.72.73.
Ratio eligendi ſummũ Põtificem eſt ex conſtitutione, & authoritate eccleſiæ. aut ſummorum Pontificũ, quæ eadem eſt, & eadem authoritate mutari poſſet. 25.73.
Epiſcopus quilibet, in ſua prouincia potuit condere legẽ vt presbyteri eligerent epiſcopum, vel aliam formam inſtitutionis dare, etiam ſe de Petri inconſulta. 29. 75.
Error duplex eorum, qui dicunt virtute clauium non vere remitti peccata, ſed ſolùm oſtendi remiſſa. 5.13
Error quorundam recenſetur, qui dicebant, nullum in peccato mortali exiſtentem habere dominium in quacunque re. 5.137.
Examinata cauſa, quãdiu rationabiliter perſeuerat dubium, legitimus poſſeſſor non tenetur cedere poſſeſſioni, ſed poteſt licitè retinere. 3.187.

F

Frater ſeclusò iure humano, ſine quacunque Papæ diſpenſatione poſſet accipere vxorem fratris ſiue cum liberis, ſiue ſine liberis defuncti. 8.228.

G

GRadus eccleſiæ perſeueraturi ſunt in eccleſia vſque ad vltimum iudiciũ, & mortuorum reſurrectionem. 15.67.
Gradus in Leuitico prohibiti, non omnes iure naturali ſunt prohibiti. 5.222.
Gradus omnes, qui Leuit. 18. & 20. prohibentur, an ſint iure naturali prohibiti. 1. 221.

H

HAEritici venditiones, donationes, & omnis alie natio bonorum à die commiſ-

missi criminis sunt inualidæ,&c. 13.139.
Hæreticus an de iure humano perdat dominium bonorum suorum. 9.138.
Hæreticus in quo casu etiam titulo oneroso posset bona sua licitè alienare. 18. 140.
Hæreticus, à die commissi criminis incurrit confiscationem bonorum. 10. 139.
Hæreticus, iure diuino non amittit dominium bonorum suorũ ob hæresim cõmissam. 8.138.
Hæreticus dominus est bonorum suorum in foro conscientiæ antequam condẽnetur. 14.189.
Hæreticus, titulo gratioso potest, transferre bona sua, puta donando. 16.140.
Hæretico, non licet titulo onero, puta vendendo, aut dando in dotem, bona sua tranferre si crimen posset venire in iudicium. 17. 140
Hæreticorum bona, non licet fisco occupare ante condemnationem, quamuis de crimine constet. 11. 139.
Hæreticus, licite potest viuere ex bonis suis. 15. 140.
Hominis miseria recensetur Et quid faciendum oportuit, vt illius necessitatibus consuleretur. 4. 79.
Hispani, quando, & in quo casu possent sæuire in barbaros tanquam in perfidos hostes, & in illos omnia belli iura prosequi, eos spoliare imò & in captiuitatem redigere, quin etiam & domi nos priores deponere, & nouos constituere. 8. 167.
Hispani potuissent barbaros redigere sub eorum ditionem, si certò constaret eos esse amentes. 18. 173.
Hispani, habent ius peregrinandi ad Indorum barbarorum prouincias, & illic degendi, sine eorum tamẽ nocumento aliquo, nec possunt ab illis prohiberi. 2, 163.
Hispani si omnibus modestissime tentatis, non possunt consequi securitatem cum barbaris seu indis nisi ciuitates occupãdo, & subiiciẽdo illos, an hoc facere licitè possint. 7. 167.
Hispanis, licet apud indos Barbaros negotiari, sine patriæ tamen incom-

modo, importãdo merces quibus illi carent, &c. & efferendo inde aurum, & argentum, vel alia quibus abundant, nec illorũ Principes Possunt impedimẽto esse quominus subditi exerceant commercia inter Hispanos, &c. 3. 165.

Hostes multare parte agri, licet ratione iniuriæ illatæ, & nomine pœnę, hoc est ad vindictam. Et quomodo, hac etiam ratione potest arx, aut oppidum cum moderamine occupari. 56. 197.

Hostes si nolint restituere res iuiuria ablatas, & non possit, qui est læsus, aliun de recuperare, quomodo possit vndecunque satisfactionem capere, siue à nocentibus, siue ab innocentibus. 41. 192.

I.

Ignorantia ad hoc quòd alicui imputetur, & sit peccatum, vel vincibilis, quid requiratur. Et quid de ignorantia inuincibili. 33. 155.

Imperator, non est totius orbis dominus. 25. 144.

Indi barbari, vtrũ essent veri dñi ante aduentũ hispanorũ priuatim, & publicè. Et vtrum essent inter eos aliqui viri principes, & domini aliorum. 4. 135.

Innocentes, à quibus in futurum imminet periculum, an liceat interficere. 38. 191.

Innocentes, & pueri licèt nõ sint interficiendi, an saltẽ liceat ducere illos in captiuitatem: & seruitutem. 42. 192.

Innocẽtes interficere in bello, an liceat. 34. 190.

Innocentes interficere, nunquam per se & ex intentione licet. 35. 190.

Interficere an liceat omnes in bello nocentes. 44. 193.

Interficere innocentes per accidens, etiam scienter, aliquando licet & aliquãdo non. 37. 190.

Interficere an liceat infantes & fœminas in bello cõtra Turcas. Et quid dicendũ de agricolis apud Christianos, togatis: peregrinis, hospitibus, & clericis 36. 190.

Interficere aliquando & licet & expedit omnes nocentes, & hoc maximè in bel

bello contra infideles. Et quid in bello contra christianos. 48. 194
Interficere licet indifferenter omnes, qui in actuali conflictu prælii, vel in oppugnatione, aut defensione ciuitatis cõtrà pugnãt & quandiu res est in periculo. 45, 193.
Interficere non semper licet omnes nocentes solum advindicandum iniuriam. 47. 194.
Interficere licet nocentes, parta victoria, & rebus iã extra periculum positis. 46. 194.
Iniuria accepta, vnica & sola causa iusta, ad inferendũ bellum. 13. 182.
Iniuria quælibet, & quantauis, non sufficit ad bellum inferendum. 14. 182.
Iure diuino nullus alius de numero Christianorum præter fœminas excluditur à potestate ecclesiastica, siue ordinis siue iurisdictionis. 6. 62.
Inuasus à latrone, aut inimico, an possit repercutere inuasorem, si possit fugiẽdo euadere. 4. 179.
Ius conueniendi an satis sit ad matrimoniij essentiã. 3. 203.

L.

Lex aliqua etiam positiua, posset esse in ecclesia, & fortè aliquæ tales sunt, in quibus expediret, vt nunquam dispensaretur. 9. 111.
Lex diuina sicut habet vim obligandi ad culpam, ita & lex humana. 17. 90.
Lex humana & diuina in quo differant, & in quo etiam conueniant. 16 89.
Legis ratione cessante, an cesset obligatio. 22. 93.
Leges ciuiles an obligent legislatores, & maximè reges. 21. 93.
Leges humanæ quando obligent ad mortale, & quando ad veniale, qualiter dignosci poterit. 19. 91.
Legum humanarum transgressores, ad quam culpã obligẽtur, ad mortalẽ, an ad venialem solum. 18. 91.
Libertas, q̃ non sit minor in regali principatu, quam in aristocratico, & democratico. 11. 95.
Liberi, si apud Indos nascantur ex parentibus Hispanis illic domicilium ha-

bentibus, & velint esse ciues, non possint arceri vel a ciuitate, vel a commodo aliorum ciuium 5.166.

M

MAtrimonii cõsensus qualis sit. 8. 209.

Matrimonii vinculum, quomodo ex lege naturali aut diuina non contrahatur, nisi coniugum ipsorum cõsensu, licet deus sine dubio nullo consensu viri & fœminę interposito, constituere possit. 6.204.

Matrimonium, nulla authoritate humana posset constitui, nisi consensu contrahentium. 7. 207.

Matrimonium quantum ad sui essentiam quid sit. 5. 204.

Matrimonium quid sit. 1. 201.

Matrimonij quotuplex finis. 2. 201.

Matrimoninm si quis deceptus contrahat, an teneat 10. 215.

Militibus: an liceat ciuitatem permittere in prædam. Et quomodo non sit illicitum sed & necessarium. 52. 196.

Militibus, non licet prædas agere, aut incendia facere sine authoritate, alias tenerentur ad restitutionem. 53. 196.

Mobilia omnia quomodo iure gentium fiant occupantis, etiam si excedant compensationem damnorum. 51. 195.

Monachę an teneantur obedire Abbatissę. 5. 52.

Monarchia, siue regia potestas, non solum iusta est, & legitima, sed reges etiam a iure diuino & naturali habent potestatem, & non ab ipsa republica, aut prorsus ab hominibus. 8. 83.

Mulieres, nec sacerdotes esse possunt, nec aliquem ordinem aut potestatem ecclesiasticam habere, quę sit de iure diuino. 3. 60.

O.

OBsides, qui vel tempore induciarum, vel peracto bello ab hostibus recipiũtur, vtrum interfici possint. si hostes fidem frangerent, & conuentis non starent. 43. 193.

Occupare licet ab hostibus, & tenere arcem aliquam, aut

aut ciuitatem pro paranda securitate, & vitando periculo, aut pro defensioone, & vt tollatur ab hostibus occasio nocendi, &c. 55. 197

Occupare licet, & tenere agrum, arces, & oppida hostium quantum necessariũ fuerit ad damnorum illatorum compensationem. 54. 196.

P

PApa an & quando esset audiendus rege contradicente, & quãdo non, in his quę ad aliquam legem ciuilem aut administrationem temporalem attinent. 14. 38.

Papa, an sit orbis Dominus. 2. 29.

Papa in quo genere decretorum aut canonum nihil possit immutare dispensando, & multo minus ab rogando. 1. 97.

Papę mandatum, aut dispensatio non semper obligat subditos ad parendum. 18. 122.

papæ mandatis, an liceat resistere per appellationem ad futurum concilium. 21. 125.

Papa non obstante decreto irritante cõci lii, posset dispẽsare in statutis eius. 5 107.

Papa quid possit, aut quid non possit, &c. non spectat ad subditos determinare. 17. 121.

Papa, nullam potestatem temporalem habet in Barbaros indos, neque in alios infideles. 30. 151.

Papa non fit dominus ciuilis aut temporalis totius orbis loquendo propriè de dominio, & potestate ciuili. 27. 148.

Papę, non licet dispensare in legibus, & decretis conciliorum pro suo arbitrio, & sine causa rationabili, etiã vbi nihil continent iuris diuini. 7. 107

Papa potuit negotium conuersionis Indorum barbarorum solis Hispanis demãdare, & omnibus aliis non solum prędicationem, sed etiam commercium interdicere. 10. 168.

Papa non habet potestatem deponendi principem secularem, etiam ex iusta causa ratione authorita-

tis temporalis. 6. 33.
Papa, non habet confirmare, nec posset infirmare leges ciuiles simpliciter. 7. 33.
Papa, habet potestatem temporalem in ordine ad spiritualia. 29. 150.
Papa, posset dispensare in legibus, & statutis concilij generalis. 2. 104.
Papa, in ordine ad finem spiritualem habet amplissimam potestatem temporalem supra omnes principes, & reges, & imperatorem. 12. 36.
Papa, nō habet iudicare, saltem via ordinaria, de causis principum, aut regnorum titulis, nec potest ad eum appellari in causis ciuilibus. 5. 32.
Papa, dispensando in legibus, & decretis, tam conciliorū, quàm aliorum pontificum, posset errare, & grauiter peccare. 6. 108.
Papa, multo minus potest abrogare sine causa rationabili decreta concilij. quā in eis dispēsare. 8. 110
Papa non deberet ægre ferre, sed potius gaudere, ꝙ fieret aliquod decretum à concilio, quo caueretur vt in aliqua lege ecclesiastica nunquam dispensaretur. 20. 124.
Papa sicut peccaret dispensans cōtra decretū concilij: ita etiam peccaret qui peteret dispensationem, & qui vtetetur illa. 15. 120.
Papa si dispensaret, in quo casu subditi non tenerentur parere dispensationi. 19. 124.
Papa si facta declaratione, & decreto à concilio, contrarium mandaret, quid agendum. 23. 126.
Personæ aliquæ ex hoc, ꝙ in Leuitico sint prohibitę contrahere, non est argumentum illas tempore legis euangelicæ iure diuino esse prohibitas. 3. 220
Personę aliquę ex hoc, quòd itre diuino prohibeantur contrahere non sufficienter probetur si cōtrahant, matrimonium esse nullum & irritum. 2. 219.
Personæ quæ sint prohibitę à matrimonio iure diuino, terminari non potest nisi ratione naturali, hoc est, ex morali philosophia, & propositionibus

cognitis ex lumine naturali. 4.222.
Peccatum mortale, non impedit dominium ciuile, & verũ dominium. 6.136. 137.
Petrus inter Apostolos omnes oẽs an fuerit authoritate, & potestate primus & princeps, cum summa supra totam ecclesiam potestate. 11.65.
Petrus potuit eligere, & designare successorẽ: qui, eo defuncto, sine alia electione esset summus Pontifex. 23.72.
Petrus vel solus, vel cum aliis Apostolis potuit constituere formam, & rationem, qua post obitum eligeretur ei successor. 22. 71.
Petri successores, potuerunt & possunt pro suo arbitrio episcopos creare in singulis prouinciis, & quascunque leges de hac re prius latas tollere, & nouas condere, prouincias distinguere, & omnia ad hoc spectantia pro suo iudicio: & potestate facere 30. 75.
Petro Apostolorum principe defuncto, aliquis ei successit cum simili & authoritate, & potestate iurisdictionis in totum orbem 17.69.
Petro mortuo ecclesia habet potestatem subrogandi, & instituendi alium loco illius, etiam si Petrus nihil de hoc prius constituisset. 18.70.
Pontificis dispensationes, sunt in duplici differentia, & quæ sint. 16. 121.
Pontificis mandatis resistere & non parere, non videtur permittendum cuicunque priuato sua authoritate, etiam si huius modi mandata essent cõtra determinationem concilij 20.126.
Potestas ad quid constituatur in republica. 4.4.
Potestas aliqua spiritualis potuit esse in statu innocentiæ. 1.22.
Potestatis ciuilis & ecclesticæ differentia. 2. 19.
Potestas ciuilis aliquo modo subiecta est, non potestati temporali summi pontificis, sed potestati

ſpirituali.10.34

Poteſtas ciuilis, non eſt ſubiecta poteſtati temporali Papæ tanquam domino temporali,4.32.

Poteſtas eccleſiaſtica, an ſit per ſe in tota eccleſia,1.45.

Poteſtas eccleſiaſtica, & ſpiritualis tota, quæ nunc reſidet in eccleſia, eſt de iure diuino poſitiuo mediatè vel immediatè,4.20.

Poteſtas eccleſiaſtica, immediatè eſt in concilio, & etiam ratio totius. Et multa de poteſtate concilij, 6. 52.

Poteſtas eccleſiaſtica, eſt duplex. Et de earum effectibus. Et quomodo nonnulli hæreticorum ab vtraque claue tollunt omnem effectum meré ſpiritualem. 2. 10.

Poteſtas eccleſiaſtica, quantum ad aliquam poteſtatem ſui habuit ortum à iure naturali, vel poſitiuo, 3.20.

Poteſtas eccleſiaſtica eſt verè & ſimpliciter cauſa alicui⁹ effectus ſpiritualis.1.9.

Poteſtas eccleſiaſtica non ſolùm fuit in Apoſtolis, ſed etiam in alijs,13.67.

Poteſtas eccleſiaſtica quo iure ſit introducta,1.19.

Poteſtas eccleſiaſtica ſiue ordinis, ſiue iuriſdictionis, tota fuit in Petro Apoſtolo,7.62.

Poteſtas eccleſiaſtica,ſiue ſpiritualis qnomodo poſsit eſſe in tota eccleſia,2.46.

Poteſtas gubernandi ſcientiam exigit,9.5.

Poteſtas merè temporalis, nulla eſt in papa, videlicet quæ ad finem ordinetur tẽporalem,8.33.

Poteſtas omnis ordinis & iuriſdictionis, quæ prius erat in Chriſti Apoſtolis, illis defunctis perſeuerauit in eccleſia,14.67.

Poteſtas omnis ſeu publica, ſeu priuata qua reſpublica ſecularis adminiſtratur, non ſolum iuſta & legitima eſt, ſed ita Deum actorem habet, vt nec orbis totius conſenſu tolli, aut abrogari poſſet.1.77.

Poteſtas omnis ſpiritualis quæ fuit in lege naturæ, licet potuerit eſſe ſolùm authoritate humana, tamen veriſimile eſt vel ex ſpeciali reuelatione diuina, vel inſtinctu & motio

tione diuina fuerit constituta authoritas aliqua, & potestas spiritualis, & aliqua sacrificia & sacramenta, & aliæ cæremoniæ spectantes ad cultum diuinum, & ad salutem spiritualem animarum. 3. 23.

Potestas ordinis in ecclesia, tota deriuata est, & pendet immediatè ab episcopis, 15.68.

Potestas duplex, publica, & priuata. 2.77.

Potestas regia quamuis contineat omnem potestatem ciuilem, tamen non habet authoritatem ad cultum diuinum, & actiones spirituales, 10.5.

Potestas spiritualis, quæ fuit in veteri testamento, tota expirauit, & antiquata fuit in lege euangelica, nec amplius perseuerauit. Et sacerdotes noui testamenti non sunt successores illorũ, sed omnino est noua potestas. 7.26.

Potestas spiritualis, statim post peccatum fuit in lege naturæ. 2.23.

Potestas spiritualis, præstantior, & eminentior est potestate temporali. 1.29.

Potestas spiritualis, fuit aliqua in lege scripta, 4. 24.

Potestas spiritualis tota, quæ fuit in veteri lege, quomodo primo & solum in tribu leuitica fuerit. 3.47.

Potestas spiritualis tota, quæ fuit in veteri lege, fuit de iure diuino positiuo. 5. 20.

Potestas temporalis, & ciuilis, integra est apud paganos. 8.5.

Potestas temporalis in summo pontifice: qualiter intelligatur. 13.37.

Potestas temporalis, non dependet à spirituali omnino eo modo, quo ars, siue facultas inferior dependet a superiori. 9.34.

Potestas temporalis non dependet à summo pontifice, sicut aliæ potestates spirituales inferiores, &c. 3. 31.

Potestas vere, & propriè spiritualis, qualis nunc est in ecclesia, quæ vocatur potestas ecclesiastica, nec primò, nec per se, imò nullo modo est immediatè in tota ecclesia vniuersali

eo modo, quo potestas ciuilis est in republica, 4, 47
Potestas vtraq; ordinis scilicet, & iurisdictionis, habet verum effectum spiritualem, probatur, 3 10.
Potestatis ciuilis causa efficiens quæ, 6. 81
Potestatis ciuilis finis quis sit. 3. 79
Potestatis publicæ secularis tres causę explicãtur, 10. 85
Potestatis spiritualis testimonia ex scripturis recensentur, 12. 6
Potestatem ecclesiasticã aliquam, nullus alius à Christo videtur accepisse præter sacros Apostolos, 12. 66
Potestatem omnem, quam Apostoli habuerunt, receperint immediatè à Christo, 9. 63.
Potestatem totam in veteri lege iure diuino institutã, potuit Israeliticus populus sua authoritate instituere, etiam si à Deo instituta non fuisset, 6. 25
Potestates qui potius appellentur, ab authore recensentur, 2. 4.
Potestates, quibus infidelium respublicæ gubernantur, an sint legitimæ, Vel, au inter paganos sint legitimi principes, & magistratus, 9. 85.
Præcepta parentum, eodem modo obligant, sicut leges ciuiles. Et idem de præceptis meritorum in vxores, 24. 94.
Prætores, & magistratus omnes citra Principem, grauiter errant, & peccant, iudicia exercentes cõtra priuilegia clericorum quamuis pernicioforum. 9.
Princeps iusti belli recuperatis rebus ab hostibus, quid vlterius possit facere. 18. 183.
Princeps, eandem authoritatem habet ad indicendum & inferendum bellum, sicut respublica. 6. 184
Princeps, siue subditus, qui ex ignorantia sequutus est bellum iniustum, si postea constiterit ei de iniustitia belli, an teneatur restituere. 33. 189.
Principis gloria propria, aut aliud commodum: non est belli iusta causa. 12. 182.
Principi iusti belli, licet parta victoria, recuperatis rebus, ac pace etiam & securitate habita, vindicare iniu

riã

riam ab hostibus acceptam & animaduertere in hostes & punire illos pro iniurijs illatis,19.184

Principes Christiani, nõ possint etiam authoritate Papæ, coercere Barbaros à peccatis contra legem naturæ, nec ratione illorum eos punire,40.159.

Principes hostium an liceat deponere,& nouos ponere & constituere, vel sibi principatum restituere. Et quo modo nõ possint,& ex qua cunq; causa belli iusti hoc liceat facere.58.198.

Principes hostium quando legitimè possent deponi,59.198.

Principum leges, & constitutiones quomodo obligent in foro conscietię. Et quid de præceptis parentum in filios, & maritorum in vxores.15.88.

Puer an possit esse dominus ante vsum rationis,21.141.

R

REguli, siue Principes,qui non præsunt reipub. perfectè, sed sunt partes alterius reip.nõ possunt bellum inferre,aut gerere. Et quid dicendum de ciuitatibus,9.181.

Remedia duo efficacia ad rẽ missionem peccatorum à Deo in ecclesia relicta,6.37

Respublica quælibet, habet authoritatem indicendi,& inferendi bellum.5.180.

Respublica quid est & quis proprie dicatur Princeps, 7.180.

Respublica,tota potest puniri licite pro peccato regis, 12.86.

Respublica vnde habeat potestatem ciuilem. Et de causa materiali eiusdem potestatis. Et penes quem iure naturali & diuino residеat,7.81.

Reipublicæ sicut maior pars regem supra totam Rempublic. constituere potest, alijs inuitis:ita pars maior Christianorum, reliquis etiam renitentibus monarcham vnum creare iure potest,cui omnes principes& prouinciæ parere teneantur,14.86.

Respublicæ, aut principes plures, si habeant vnum communem dominum, aut principem, an possint per se inferre bellum sine authoritate superioris prin-

ci-

cipis,8.181.
Rex si vellet non obligare ad culpam,an posset,20.92

S

SAcerdotes veteris legis,an haberent potestatem ferendi leges, & præcepta faciendi obligantia in foro animæ,6.25
Sedes Apostolica in quocunque casu vacaret manendo in solo iure diuino,ad quē spectaret electio,21.71
Senatores reguli, & vniuersaliter omnes qui admittuntur,vel vocati,vel etiam vltro venientes ad cōsilium publicum, vel regis, tenentur iiusti belli causam examinare.24.185.
Spoliare an liceat innocentes inter hostes. Et quibus rebus sint spoliandi, 39.192.
Subditi si habeant conscientiam de iniustitia belli, nō licet illis sequi bellum, siue errent, siue non.23.185.
Subditi,an teneantur examinare causam belli. Et quomodo si subdito constet de iniustitia belli, non liceat ei militare, etiam si Princeps impediret.22.185.
Subditis non solum licet in bello defensiuo in re dubia sequi principem suum in bellum, sed etiam in bello offensiuo.31.183.
Subditos militantes quando non excusaret ignorantia de iustitia belli,26.186
Summus Pontifex,licet haberet potestatem secularem in mundo, non posset eam dare principibus secularibus.28.149.
Summus pontifex,non solum posit dispensare in statutis conciliorum, sed in totum,& aliquando abrogare talem legem, vel statutum.29.150.

T

TRibuta an liceat victis hostibus imponere.57.197.
Tyrannorum leges an obligent,23.94.

V

VItæ duæ,vna terrena,altera spiritualis. Et quomodo humana societas nō posit sine vtraque manere.5.5.

INDEX TOMI SECVNDI.



Abstinere perpetuò à certo genere alimentorũ, etiã in extrema necessitate, vtrum sit laudabile Cartusiensi, & secluso scandalo non videtur illicitum in extrema necessitate abstinere à carnibus, 8. 272.

Accipere aliquid pro sepultura, an sit licitum, & quando, 10. 342.

Accipiens aliquid temporale ratione contractus simoniaci, an teneatur restituere quicquid simoniacè accepit. 1. 329.

Actus intensior, non auget habitum per totam suam latitudinem, sed solum secundum excessum quem habet supra habitum, probatur, 3. 233.

Actus intensior habitu, an augeat habitum secundũ suã totam latitudinem, an solùm secundum excessum, quem habebat supra habitum. 2. 233.

Actus quilibet meritorius, & augeat gratiam secundum totam suam latitudinem, & non solum secundum excessum supra habitum, 4 237.

Agentia plura, nunquam producunt maius lumen, vel calorem in primo puncto suæ sphæræ, vel actiuitatis quàm produceret vnum illorum, quòd maximum est 9. 240.

Alimentis insalubribus & nocuis vitam reddere breuiorem, non licet, neq; tamen quisquam vti tenetur optimis, 34. 302.

Animam ponere pro amicis licet sit stultitia huius mundi est tamen sapiẽtia apud Deum. 27. 300,

An licitum sit dare aliquid temporale pro spirituali, 1. 307.

Animæ defunctorum, maximè quæ sunt è numero damnatorum, an se misceant artibus & operibus magicis. 17. 369.

Appe-

Appetitus sensitiuus, posset esse causa priuationis vsus rationis.12.394.

Auxiliari licet amico etiam cum quantocunq; vitæ discrimine. Et quid dicendũ de vxore, quæ etiam cum magno periculo marito peste laboranti adsideret, 13.301.

B

BEneficiũ adeptus, qui quidem non dederat pecuniam episcopo, sed alius pro eo, ipso ignorante, an teneatur restituere.8.340.

Beneficium habens, cui per aliquod tempus ministrauit, licite potest authoritate papæ cedere beneficio, retenta certa pensione super beneficium & fine quocunque onerali officio spirituali,49.325.

Beneficium si quis contulit, aut permutauit pro pensione, etiam authoritate apostolica, an talis pensio possit vendi, aut pecunia redimi.53.326.

Beneficium si quis conferat cõsanguineo alias idoneo, quantumcunque motus à consanguinitate, non peccat mortaliter.28.324.

Beneficium simoniacè acquisitum, an sit restitutioni obnoxium de iure diuino.5.340.

Beneficia conferre propter preces principaliter, an sit simonia.30,325.

Brutus, Cato, Decius & alij innumeri, qui sibi mortem consciuerunt, vtrum excusationem habebunt, eo p̃ putabant in hoc se fortiter & laudabiliter agere. Et quid de Samsone, Rasia & Saule.37.203.

C

CArnium vsus, vtrum ante diluuium esset concessus.3.261.

Carnibus humanis an vesci liceat.5.264.

Carnibus vesci humanis, an in extrema necessitate liceat.6.266.

Cartusiensi an liceret in casu necessitatis extremæ carnes comedere.10.275.

Charitas an augeatur per quemlibet charitatis actũ. Et quomodo de hoc tres opiniones recitãtur.1.232.

Charitatis quolibet actu quãtumuis remisso, meretur quis, & habebit maiorẽ gloriam.11.243.

Chari-

Charitas, non augetur per totam latitudinem actus, sed solùm secundum excessum actus supra habitum, 5.237

Charitas, nunquam est æqualis gratiæ, saltem in adulto, 6.237.

Charitas quomodo dupliciter diminuatur. Vno modo per peccatum veniale, altero modo per mortale. 20.249.

Charitas, vel gratia, an per peccatum veniale diminuatur. 21.249.

Charitatis actu quolibet quã tũuis remisso, augetur gratia, 12.244.

Charitas, si per actum remissum non augetur statim, voluntarium videtur dicere, quòd augeatur in fine vitæ, 13.244.

Cibi, aut alimenti nullum genus fuisse, aut esse prohibitum homini iure naturali, ostenditur, 2.256.

Clerico vtrum liceat suas locare operas in administratione spiritualium, 9.344.

Collatio spiritualis ratione consanguinitatis an sit simonia, 26.324.

Commendæ, pro beneficio commutari non possunt etiam ex authoritate Papæ, 46, 324,

Condimentis, & artificio, an liceat vti ad edendum cibos suauiores. 4.264.

Conferre beneficium intuitu consanguinitatis, non est simoniacum, 27, 324.

Conferre spiritualia ad captandum quodcunq; commodum non spirituale, siue digno, siue indigno, est illicitum, 31.326.

Conferre spiritualia ad captandum quodcunq; commodum nõ spirituale, quo modo ignorat author an hoc sit mortale, si aliàs collatio fiat digno, 32.326

Conferre spiritualia ad captandum quodcunq; commodum non spirituale, quomodo si fiat digno, nõ putat author hoc peccatũ esse propriè simoniam, 33. 326.

Contractus aliquis, qui nunc non est simoniacus, an sit vel possit iure positiuo fieri simoniacus, 13.315.

Contrahentes aliquid spirituale cum Papa, an sint simoniaci, aut incurrant pœnam iuris, 9.341.

INDEX.

D

DAEmon malus, an sit operum magicorum autor vel an referenda sint potius in bonos angelos, vel in ipsum Deum omnipotẽtem. Et an omnino sint dæmones, 10.350.

Dæmon superior, an & quomodo possit inferiorẽ dæmonẽ tenere alligatũ annullo, aut imagini. 31.378.

Dæmones a bonis angelis cogi possunt & aliquando coguntur, 22.373.

Dæmones esse, etiam stando in recta, & legitima Philosophia, nullo modo negandum est, 11.362.

Dæmones, & magi, virtute dæmonum possũt mouere, & transferre corpora de loco ad locum, 33.379.

Dæmones, & magi virtute dæmonis non possunt immediatè imprimere in rebus naturalibus, & materialibus aliquam formam, vt calorem, frigus, morbum, aut sanitatem, 35.381.

Dæmones, cogi possunt aliquando, & coguntur ab hominibus. 21.373.

Dæmones superiores, possũt cogere inferiores, 30.377.

Dæmones superiores, an habeant aliquam potestatem in inferiores, 29.377.

Dæmones vt virtute diuina coerceantur, aut angelica, multùm refert, quibus verbis, aut signis homines vtãtur, 23.374.

Damnato ad mortem non licet se fame interficere. 28. 300.

Damnato ad mortem licet fugere, & mortem non expectare, 29.300.

Damnato, ad mortem per cicutæ seu veneni haustum, licet illud haurire, nec videtur ad eius mortẽ cooperari, 30.300.

Dare pecuniam, vt ab officio nõ deponatur, quis an sit simoniacum, 15.343.

Defectus, & imperfectio, vel priuatio vsus rationis, vnde semper, vel ex maiori parte proueniat, 10.393.

Deliberatio prima, ex causis non naturalibus vel prorsus extrinsecis, puta vel à Deo, vel ab angelo est, 21. 379.

Deliberans primo, non habet in sua potestate prius deliberasse, 22.399.

Deliberans primò, non tenebatur

bátur prius deliberasse. 25. 400.
Deliberans primò, potuit primò deliberasse. 23. 399.
Deliberatio prima non potest cadere sub præcepto. 24. 399. 400.
Deus an naturas rerum immutare potuerit, vel ab initio alias facere, quàm nunc sunt. 4. 286.
Deum naturas rerum mutare non posset ab authore probari videtur, 5. 287.
Deus creauit hominem sine inclinatione mala, qua appetitus inclinat ad malum 8. 289.
Deus dedit appetitui naturalem inclinationem vt obediret voluntati. 9. 229.
Deus solus est vitæ & mortis dominus, non homo, qui quantum ad hoc, est peculiariter seruus Dei, vnde occidere seipsum, est Deo iniuriam facere, 23. 297.
Deus supposito quòd nõ possit rerum naturas mutare, an fecerit hominem cũ naturali inclinatione ad malum. 6. 288.
Dispositio qualitatum naturalium, nulla sine speciebus sensibilib⁹ est sufficiẽs ad vsum rationis. 14. 396.
Doctorem nõ habens extrin secum, quomodo videatur pro tempore posse habere de Deo ignorãtiam inuincibilem. 3. 402.

E

ECclesiastici liber an deberet recipi inter Canonicas scripturas, quomodo in ecclesia dubitatum fuerit, & quid tenendũ. 1. 386.
Educatio docta, & instructio multum facit, vt aliquis perueniat advsum rationis 15. 396.
Emptio, aut venditio eorum, quæ iure positiuo sunt spiritualia, iure diuino prohibita est. 15. 315.
Emptio, & venditio rerum spiritualium nõ solùm est simoniaca, sed omnino dispensatio, & permutatio non gratuita. 8. 312.
Emptio, aut venditio, non solùm ex intẽtione apud idololatras fuit crimen simoniæ verũ, sed etiam ex obiecto. 21. 321.

G

GLoria, respondet gratiæ, & non charitati, 7. 37.

INDEX.

H

HAbitus data opinione ℣ nō augeatur per actum remissum, an plures actus remissi possint augere habitum, vel etiā vnus actus continuatus possit æquialere in merito vni actui intēso. Et de triplici istius quæstionis opinione, 15. 245,

Habitus in augmento, an habeatur respectus nō ad intensiorem actus graduales meritorij, sed ad quantitatem meriti, 14. 244.

Habitus, sine dubio augetur, quandocunque peruenitur ad meritum æquale cū actu intenso, siue per multiplicationem, siue per intensionem, 19. 247,

Homicidium de iure naturali & diuino permissum, quibus sit commissum, 19. 293.

Homo ad cognoscendum ℣ Deus est, saltem sine doctore extrinseco, indiget non paruo tempore etiam post capacitatem ad percipiendum disciplinas, 2. 402.

Homo cùm primum ad vsum rationis peruenerit, etiam si Deum neque cognoscat, neque possit cognoscere, potest bene moraliter agere, 7. 406.

Homo in Barbaria educatus, sine institutione, & mentione deitatis, & religionis, an cum primum peruenit ad vsum rationis, possit Deum cognoscere, 1. 402.

Homicidium omne ex intentione, præcepto de non occidēdo est prohibitum seu publicæ, seu priuatæ personæ, præter quàm id, quod reip. aut publicis magistratibus, & principatibus fuerit commissum. 20. 393.

Homini cuicunq; ad vsum rationis peruenienti, an pateat aditus ad salutem, & vitam æternam, 2. 387.

Homo, in multis casibus quā uis licitis vijs possit vitam seruare, quomodo tamen non teneatur, 24. 197.

Homo, non inclinatur ad diligendū se plus quàm Deū, vel proprium bonum plus quàm commune, 10. 289.

Homo, quòd semper tenetur defendere vitam proximi. etiam quandocunque licet, non est exploratum. 25. 298.

In-

INDEX.

I

INclinatio hominis quãuis sit ad malum, tamen non est mala, malitia morali, quandiu manet intra termi nos appetitus, 7.289

Inclinatio hominis, quatenus homo est: bona est, & quòd ad nullum malum, aut virtuti contrarium inclinet, argumentis probatur, 3. 282.

Instans primum, vel tempus vsus rationis, in quo quis primo deliberat actu, non est in quo potest primò deliberare. Et multa de vsu rationis. 27.400

Interficere seipsum, semper est impium. Et multa de inclinatione naturali, an sit semper prona ad malum, 2.280.

Interficere seipsum quare nõ liceat, 21.294.

Interficere licebat adulterã, aut furem in lege Moysi, quod & licuit ante legem, & licet in lege euangelica 14.292.

L

LEgans monasterio perpetuò mille aureos vt faciat sacrum perpetuò: hæres dicit, Ego dabo beneficium simplex huius missę, & dimittatis legatũ, an hoc sit licitum, & fieri possit sine simonia. 13. 343.

Legis diuinę duplex considerario. 10. 412.

Liberum arbitrium aut vsum rationis habere, nõ est idẽ quod habere actus intellectus, & voluntatis. 4. 388.

Liberum arbitriũ habere, est idem, quod esse dominum propriarum operationum. 5. 39.

Liberum arbitrium habere, aut vsum rationis, non videtur idem, quod posse agere & non agere positis re quisitis ad agendum ad sensum, in quo cõmuniter doctores capiunt. 5. 388.

Liberum arbitrium: duo requirit, & quomodo secundum potest esse sine primo, & posito primo, ponitur secundum, 6. 392.

Locare operas in administratione spiritualium, nõ plus licet, quàm ipsa spiritualia neque licet aliquid recipere pro labore spirituali magis, quam pro ipso spirituali. 20. 345.

Lumen productum nũquam

est maius, quàm sit lumen in maximo luminoso. 10. 240.

M

MAgia aliqua, dici potest naturalis, & sine commercio alicuius substantiæ spiritualis. 7. 358.

Magia ars an omnino sit, hoc est, an inter mortales sit ars vel facultas aliqua ad videndum, & faciendum opera illa mirabilia, quæ de magis scribuntur, & circunferuntur. 1. 349.

Magica ars alia, præter naturalem, quæ non viribus & causis naturalibus constet, sed potestate aliqua, & virtute immateriali, & separata nititur, non est dubium quin reperiatur. 9. 359.

Magiæ studiosi qui fuerint, recensetur. 8. 359.

Magi, an virtute dæmonũ possint corpora localiter trãsmutare, hoc est, per multa terrarum spatia, summa (vt ferunt) celeritate. 32. 379.

Magi, an possint cogere dæmones pro suo arbitrio. 20. 372.

Magi, an possint miracula facere. 18. 370.

Magi an possint pro suo arbitrio immutare corpora, alterando secuudum qualitates, immittendo morbos & contra sanitatem præstando. 34. 381.

Magi, aliquando possunt cogere dæmones. 25. 374.

Magi, in suis operationibus nonunquã vtuntur facultate solum naturali. 15. 366.

Magi, nihil operantur, aut potestate diuina, aut angelica. 14. 365.

Magi, non possunt miracula facere. 19. 371.

Magi quomodo possint dæmones cogere, & non alio modo. 26. 375.

Magi, quomodo habentes fœdus cum aliquo dæmone principali, possunt cogere inferiores dæmones, nõ autem ipsum principalem dæmonẽ. Et quid si nõ habeãt tale fœdus. 27. 375.

Magorum facta licet nõnulla fiãt solum per illusionẽ, & præstigia sensuum, tamen quædam in re, & secũdum existentiam fiunt. 5. 345.

Magorum mirabilia opera, an sint omnia opera naturalia, hoc est, ex causis merè naturalibus, & non dependentia à substantijs sc-

separatis. 6. 356.
Magorum operationes supra facultatem naturalem malorum dæmonum potestate & virtute fiant. 16. 366.
Magorum opera, non omnia sunt vana, & confícta. 3. 353.
Magorum tota opera, & efficacia in quo fundetur. 28. 395.
Magica ars, licet sit alicuius efficaciæ, an tota eius vis referatur circa illusionem sensuum, & imaginationis, ita quòd ex parte rei nullus sequatur effectus, nec sint entia vera, & naturalia quæ à magicis fiunt, sed solùm præstigium & illusio oculorum. 4. 354.
Magicorum opera, & mirabilia quæ referuntur, plurima sunt falsa, confícta, & ex hominum vanitate credita. 2. 353.
Meditatores, qui pro aliis cõtractus cõstituunt simonia cos, quas incurrant pœnas 14. 343.
Meritũ, nullo modo proportionatur intentioni. 16. 246.
Meritum non duplicatur, nisi sit magna continuatio & perseuerantia in actu. 18. 247.
Meritum non solum proportionatur intentioni, sed nec magna multitudo actuum remissorum æquiualet vni actui intenso, vel perfecto. 17. 247.
Mortem sibi consciscere, quomodo sicut semper impiũ, ita & mortem non solum patienter, sed liberè etiam subire, plerunque consiliũ, nonnunquam præceptum est. 1. 279. 280.

N.

Nauigare, & artem militarẽ exercere etiã cum magno vitæ periculo seruatis circunstantijs (quæ magis & vt plurimum contingunt) licet. 33. 302.

O.

Obiectum voluntatis, non est solum verum bonum. 22. 296.
Occidere hominem reipub. nociuum ex intentione, stando in iure diuino & naturali licet. 18. 293.
Occidi quomodo dupliciter potest homo, scilicet ex intentione, & præter intentionem. 17. 293.

Opera aliqua fiunt a magis, quæ nullo modo fiunt per gratias, & econtrario, 13. 364.
Opera eadem, vel similia, siũt per artes magicas, & per gratias gratis datas, 12. 364
Opiniones secunda & tertia de augmento charitatis, in quo differant a prima, 8. 238.

P

PAnem licet alteri cedere cum certa pernicie propriæ vitæ. 26. 299.
Papa quòd det clerico pensionem aliquam in alieno beneficio, solùm quia sit clericus, non videtur irrationabile. 51. 326.
Papa, in simonia, quæ est iuris diuini, æquè, vel grauius potest esse simoniacus, sicut alius homo, 39. 319.
Papa, non potest vendere sine vitio simoniæ ex quacunque causa quodcunque beneficium ecclesiasticum. 44. 322.
Papa, non posset dare alicui pensionem aliquam super beneficio ecclesiastico, qui nullum ministerium neq; temporale, neque spirituale conferat in ecclesia, vel alio pio titulo. 50. 325.
Papa si alicui iusto vel iniusto titulo concedat pensionem sine obligatione ad aliquod ministerium spirituale, neque ratione alicuius tituli spiritualis, talis pensio est merè temporalis. Et quomodo vendere talem pensionem, aut redimere pretio quolibet tẽporali, non sit simoniacum 52. 327.
Peccatum veniale nullũ posset tollere gratiam. 22. 251.
Pecunia ex contractu simoniaco acquisita, cui debeat restitui. 6. 340
Pensio, quæ assignatur alicui super beneficium alterius ratione alicuius ministerij spiritualis, licita est, & honesta. 48. 325.
Pensio quæcunque, quã Papa imponit, vel ex officio suo, vel ad alterius supplicationem, modò non sit causa permutationis, & sine obligatione ad aliquod officium, vel ministerium spirituale, possit vendi, & sine simonia redimi. Et an talis pẽsionarius teneatur ad officium canonicum.

nicum. 54. 327.
Pontifices parati ad dãdum beneficia consanguineis sine deliberatione peccant mortaliter. 29. 324. 325.
Præbendæ omnes militares, quas commendas vocant, authoritate Papæ possunt vendi pro temporali fine vitio simoniæ. 45. 324,
Preceptum de non occidendo, est iuris naturalis, & non positiui, sicut etiam alia præcepta Decalogi, secundum authorem. 12. 292.
Præceptum de non occidendo, semper fuit æquale & ante legem, & in lege, & tẽpore euangelii. 13. 292.
Præcepto de non occidendo, non magis prohibetur homicidium authoritate publica, quàm priuata. 16. 293
Præcepto hoc, Non occides, quomodo prohibeatur omne homicidium, quod stãdo in lege naturæ sola, est malum, & irrationabile. 15. 292.
Præcepto, Non occides, quale homicidium prohibeatur. Et de triplici opinione ibi recitata. 11. 291.
Præstare obsequium pontifici, vt illa ratione quis possit cõsequi beneficium, an, & quando esset simoniacũ. 37, 318.

R.

RAtio nusquam est nec vnquam fuit: nec erit, vbi non sit notitia de Deo probabilis, & cui omnes teneãtur rationabiliter credere. 3. 403.
Rationis ad vsum perueniens qui nec Deum cognoscit, nec potest cognoscere, an, possit peccare. 8. 407.
Rationis adv sum quilibet perueniens, non tenetur se cõuertere in Deum explicitè distincte, & formaliter. 12. 419.
Rationis adv sum quilibet perueniens, ad actum aliquem tenetur statim. 13. 420.
Rationis adv sum quilibet perueniens, tenetur se conuertere in bonum eo modo, quo tunc potest, id est conformiter ad cognitionem, quam habet. 14. 42.
Rationis ad vsum quis possit venire, & pro aliquo tempore non habere notitiam Dei. 5. 404.
Rationis ad vsum veniens, e-

tiam si Deum non cognoscat, an possit bene moraliter agere. 6.404.

Rationis vsus primum instás quid sit, vel quid vocetur. Et quomodo deliberatio non possit esse libera, id est quòd sit in potestate hominis deliberare, & non deliberare. 20. 398.

Rationis vsum an possit aliquis habere circa aliquam materiam, vel obiectum, & non circa aliud, vt pote circa materiam iustitiæ, & nõ circa materiam temperantiæ, vt sit capax rationis ad deliberandum, & iudicandum an sit iurandum, vel nocendum alicui, & non sit capax ad consultandum, de fornicatione sed habeat se ad illam puer. 16. 379.

Rationis vsum an possit habere quis ad peccandum venialiter prius, quàm ad peccandum mortaliter. 11. 415.

Rationis vsum habere, quid sit. 4. 388.

Rationis vsum habere sufficientem circa artes, qui nõ habeat circa materiã moralem, videtur possibile. 17. 396.

Rationis vsum habere sufficientem circa artes, qui nõ habeat circa materiam moralem, licet sit possibile, tamen videtur multum difficile, vel nunquàm contingere. 18. 345.

Rationis vsum habere circa aliquam materiam moralem, & non circa omnes, putatur impossibile ab authore. 19. 397.

Rationis vsum quòd vnus homo habeat, & alius non, vnde proueniat. 8. 392.

Rationis vsum, quòd vnus homo habeat, & alius non, posset immediate ex parte intellectus, & voluntatis prouenire. 9. 393.

Rationis vsum quod vnus habeat, & alius non, nõ prouenit ex aliquo habitu à natura concreato, vel intellectu vel in voluntate, qui solum sit in vno, & non in alio, vel in puero, & non in adulto. 10. 393.

Recentiorum dictum, quod detur tempus induciarum, in quo aliquis potest deliberare, vanum est. 26. 399.

Religionem si quis ingrediatur, an ille, qui eum recipit possit pro ingressu aliquid reci

recipere. 12. 343.
Restitutio pecuniæ acquisitæ per simoniam, non est de iure diuino. 4. 330.
Restitutionem si quis bona fide fecit dando pauperibus uel illi, à quo accepit, an teneat factum. 7. 341.

S.

Sacrificare homines Deo, vt faciunt barbari est de iure diuino, & naturali prohibitum. 7. 168.
Sepulturæ ius priuatum an possit quis obtinere, & quomodo. 11. 342.
Simonia aliqua, est omnino & præcisè de iure positiuo. 16. 316.
Simonia an contingat circa pensiones. 47. 324.
Simonia an sit aliqua circa ea quæ sunt vere spiritualia, & secundum se & de iure positiuo. Et quomodo contractus aliquis, vel permutatio spiritualis secundum se de iure positiuo sit simoniaca. 17. 317.
Simonia omnis an sit iure diuino prohibita, & an aliqua sit solum iure positiuo 12. 314
Simonia, quomodo fortè esset, si preces, fauor: vel laus & amicitia deducerentur in pactum. 35. 317.
Simonia, quomodo esset, si fauor, vel preces, vel laus resoluerentur tanquam pretium in aliquod temporale. 34. 317.
Simonia, diuino iure est prohibita. 10. 313.
Simonia est, illicita. 9. 313.
Simonia, iure naturali prohibita est. 11. 314.
Simonia, nõ committitur nec circa scientiam, aut doctrinam, nec circa aliud spirituale à spirituali creato. 5. 310.
Simoniæ crimen, an inter paganos, & idololatras esse potuerit. 20. 321.
Simoniæ definitio. Et quid sit. Et vnde sit dicta simonia. 2. 38.
In simoniæ definitione, quid per emptionem, & venditionem intelligitur. 7. 312.
Simonię peccatum in lege naturæ potuit esse, aut fuit. 19. 321.
Simoniæ obiectũ circa quod versatur. 308.

Si-

Simoniæ peccatum in lege scripta & potuit esse, & fuit 18.320.
Simoniacus an possit esse summus pōtifex. 38.319.
Simoniacus an sit is, qui timore, consanguinitate, precibus, & fauore, aut obsequio administrat spiritualia. 22, 322.
Simoniacus an de iure naturali & diuino teneatur restituere, an de solo positiuo. 3.329,
Simoniaci pœna quę sit. 14. 343.
Simoniacum est conferre officium ecclesiasticum pro obsequio, quum tale obsequium est pecunia æstimabile, ita quòd tandem resoluitur in commodum temporale. Et quid si non absit pactum expressum, vel tacitum. 36.318.
Simoniacum non est conferre spirituale sine respectu ad commodum, vel incommodum, timore indignatione. 2.15.
Simoniacum an sit sperare beneficium spirituale ex officio temporali. 40. 320.
Simoniacè consecutus beneficium ecclesiasticum, nihil iuris acquirit in illo, neque facit fructus suos, sed tenetur resignare. 2. 329.
Spirituale dare digno ex timore mali temporalis, vt mortis, aut exilij, aut carceris, dummodo hoc non redundet in aliquod commodum tēporale, vel sit ex pacto, aut aliquo modo per modum prętij. non videtur esse malum. 25. 323.
Spirituale dare ex timore alicui digno videtur non esse malum. 24. 322.
Spirituale in hoc proposito vocatur donum spiritus sancti. 6. 311.
Spirituale quid dicatur in materia simoniatica. 4. 161.
Spiritualia promittere, an sit simonia. 41. 320.
Spiritualia sunt aliqua iure positiuo. Et quæ sint. 14. 315.

T

Titulus triplex recipiendi tē poralia mediantibus spiritualibus describitur. 18. 344.
Temporale licet non possit aliquis recipere pro spiritualibus titulo emptionis & venditionis an aliquo titu-

tulo spirituali possint esse media ad aliquod temporale.17. 344.

V

Vendere Canonicatum simplicem: non minus est simonia, quàm vendere beneficium cum cura animarum. 43.321.

Verba nulla, nec exorcismi, habent efficaciam infallibilem ad cogendum dæmones, & arcendum illos, ita vt semper sortiantur effectum suum.24. 374.

Vitam per abstinentiam ex intentione reddere breuiorē non licet,12.270.

Vitam protelere quantū quis per alimenta possit non tenetur. 13. 276.

Vitam reddere breuiorē per abstinentiam, vtrum liceat. 11. 276.

Vitę conseruandę ratione nō sunt omnia media adhibenda, necessario, sed solum illa, quæ ad hoc sunt de se & ordinata, & congrua. 35. 302.

Vitam abbreuiare nullo modo licet, etsi non teneatur quis omnia media licita etiam facere, vt sibi vitā reddat longiorem.33.301.

Vitam suam propriam quilibet tenetur conseruare per alimentum. 1.254.

Vsum rationis pssse tolli per habitus existentes in voluntate, puta ex odio, vel amore voluntatis, est probabile posita etiam omnimoda rectitudine ex parte sensitiua.13.375.

Vti alimentis, quibus vita breuior reddatur, quando non esset peccatum. 14. 277.

Vtus quis singulari inedia, & cibo nocuo, quando nō excusaretur a mortali peccato.15. 297.

FINIS.

SALMANTICAE.

Excudebat Ioannes à Canoua.

1564.




CONSILIO, ET VIRTVTE CHIMÆRAN SVPERARI, IDEST, FORTIORES ET DECEPTORES.
I C
A

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SALAMANCA





